MANUALIS CONFESSARII,
SEU
METHODI COMPENDIOSÆ
Munus Confeſſarii ritè obeundi, utilitati præſertim ad id piè ſe diſponentium elucubratæ,

Pars Secunda.

Authore

P. FRANCISCO HERZIG, S.J.

Cum Privilegio S. Cæſ. Maj. & Permiſſu Superiorum.



AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Impenſis Georgii Schlüter, & Martini Happachi;
Anno 1718.

Digitized by Google

Digitized by Google

Poteſtas facta à Revdo. Patre Provinciali Societatis JEſu per Provinciam Bohemiæ.

CUm Sacræ Cæſareæ Majeſtatis decreto, omnibus, & ſingulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis librariam negotiationem exercentibus ſeriò, firmitérque inhibeatur, ne quisquam ullos libros à noſtris Patribus hactenus editos, vel impoſterum edendos, intrà Sacri Romani Imperii, Regnorúmque, & Dominiorum Suæ Sacræ Cæſareæ Majeſtatis hæreditariorum fines, ſimili, vel alio characteris genere, atque forma, ſive in toto, ſive in parte recudere, vendere, aut diſtrahere, clàm, ſeu palàm, citra conſenſum ac teſtimonium ſuprà dictorum Patrum audeat; Ego JACOBUS STESSL Societatis JEsu per Provinciam Bohemiæ Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta à Patre noſtro Michaële Tamburino Præpoſito Generali, Georgiò Schlüter, & Martino Happach Bibliopolis Auguſtanis jus Cæſarei hujus Privilegii circa Opuſculum *Manuale Confeſſarii* intitulatum à P. Franciſco Herzig S. J. elucubratum, ac impenſis dictorum Georgii Schlüter, & Martini Happach edendum, uſurpandi poteſtatem ad decennium indulgeo, ut eo invito eundem nemo recudere, nemo intrà S. R. I. fines, & hæreditarias S. Cæſ. Maj. Provincias importare, aut venum exponere audeat.

Roborandæ Facultati Sigillum Officii mei appreſſi, & nomen meum ſubſcripſi. Wratislaviæ 24. Aprilis 1717.

(L.S.)

Jacobus Steſsl, mpp.

Index Titulorum
PARTIS II.
De Munere, & Obligatione Confeſſarii.

Cap. I. De Præparatione Confeſſarii ad excipiendas Confeſſiones. p. 2
Art. I. De iis, quæ Confeſſario præmittenda ſunt, priusquam Confeſſiones audire incipiat. 2.
Art. II. De iis, quæ Confeſſario agenda ſunt, dum actu Confeſſiones excipere parat. 5
Cap. II. Principia Generalia Confeſſarium durante Confeſſione dirigentia. 10
Cap. III. De Munere Confeſſarii pœnitentium indiſpoſitorum. 22
Art. I. De Munere Confeſſarii indiſpoſitorum ob inſufficientiam notitiæ ad hoc Sacramentum requiſitæ. 22
Art. II. De Munere Confeſſarii indiſpoſitorum ob inſufficientiam examinis. 33
Art. III. Interrogatorium ad interrogandi (uti & examinandi) laborem facilitandum. 47

Art.

Art. IV. De Munere Confeſſarii indiſpoſitorum ob inſufficientiam doloris. 58
Art. V. De Munere Confeſſarii indiſpoſitorum ob defectum propoſiti. 72
Art. VI. De Munere Confeſſarii indiſpoſitorum ob defectum integræ Confesſionis. 83
Cap. IV. De Munere Confeſſarii pœnitentium diverſis peccatis gravatorum. 97.
Art. I. De Munere Confeſſarii pœnitentis in infidelitatem lapſi. 97
§. I. Præmittenda. 97
§. II. Quæſita, & Reſponſa. 109
Art. II. De Munere Confeſſarii pœnitentium ſuperſtitioſorum. 125
§. I. Præmittenda. 125
§. II. Quæſita, & Reſponſa. 133.
Art. III. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentium peccatis contra ſpem obnoxiorum. 146
§. I. Præmittenda. 146
§. II. Quæſita, & Reſponſa 150
Art. IV. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis obnoxii peccatis contra Dei, ſui ipſius, vel proximi charitatem. 153.
§. I. Præmittenda. 153
§. II. Quæſita, & Reſponſa. 159
Art. V. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis Sacrilegi, præſertim verò Simoniaci. 178

§.I. Præmittenda. 178
§.II. Quæſita, & Reſponſa, 185
§.III. De pretio Simoniacè acquiſito. 194
Art. VI. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis blasphemi. 199.
§.I. Præmittenda. 199.
§.II. Quæſita, & Reſponſa. 204.
Art. VII. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis peccaminosè jurantis. 213
§.I. Præmittenda. 213
§.II. Quæſita, & Reſponſa. 222.
Art. VIII. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis violatione voti delinquentis. 230.
§.I. Præmittenda. 230
§.II. Quæſita, & Reſponſa. 238.
§.III. De praxi expetendi, & exequendi literas S. Pœnitentiariæ. 262
Art. IX. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis dies feſtivos inhonorantis. 268
§.I. Præmittenda. 268
§.II. Quæſita, & Reſponſa. 278
Art. X. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis peccatis contra pietatem in Parentes obnoxii. 284
§.I. Præmittenda. 284.
§.II. Quæſita, & Reſponſa. 296
Art. XI. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis homicidæ. 310

Digitized by Google

§. I. Præmittenda. 310
§. II. Quæſita, & Reſponſa. 319
Art. XII. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis luxurioſi. 331
§. I. Præmittenda. 331
§. II. Quæſita, & Reſponſa. 345
Art. XIII. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis ad reſtitutionem ob furtum, vel damnificationem obligati. 359.
§. I. Præmittenda de furto, & damnificatione. 359
§. II. Præmittenda de reſtitutione. 366
§. III. Quæſita, & Reſponſa. 377
Art. XIV. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis ad reſtitutionem famæ obligati. 391
§. I. Præmittenda. 391
§. II. Quæſita, & Reſponſa. 395
Art. XV. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis ſuperbiæ, avaritiæ, & invidiæ obnoxii. 407
§. I. Præmittenda. 407
§. II. Quæſita, & Reſponſa. 411
Art. XVI. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis gulæ, ac ebrietati obnoxii. 418
§. I. Præmittenda. 418
§. II. Quæſita, & Reſponſa. 420

Digitized by Google

Art. XVII. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis iræ, vel acediæ obnoxii. 425
§. I. Præmittenda. 425
§. II. Quæſita, & Reſqonſa. 427
Art. XVIII. De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis de violato jejunio ſe accuſantis. 439
§. I. Præmittenda. 439
§. II. Quæſita, & Reſponſa. 441
Cap. V. De Munere Confeſſarii circa pœnitentias pœnitenti injungendas. 450
Cap. VI. De Indulgentiis. 464
Cap. VII. De Munere Confeſſarii in Abſolutione impertienda. 482
Cap. VIII. De Munere Confeſſarii reſpectu Sigilli Confeſſionis. 493

MA

MANUALE CONFESSARII,
Seu
METHODUS COMPENDIOSA
Munus Confeſſarii rite obeundi.

PARS II.

DE MUNERE, ET OBLIGATIONE CONFESSARII.

Præfatio ad Lectorem Theologiæ Auditorem.

MUnus Confeſſarii munus Chriſti, adeò præcelſum eſt. Doctor, Judex, Medicus Chriſtus; Doctor, Judex, Medicus etiam Confeſſarius Chriſti Vicarius. Vacuum tamen, & inane dignitatis ſuæ nomen portat, quisquis theoricâ notitiâ inſtructus praxim ſeu detrectat, ſeu ignorat. Summa Chriſti, in quo cæteroquin omnes Sapientiæ, & Scientiæ theſauri abſconditi, laus fuit, & encomium: omnia bene fecit. Theoria cum requiſitis cæteris medium eſt; finis, & ſcopus praxis, ſinè qua theſaurus requiſitorum abſconditus quid prodeſt? Ut proinde ad praxim muneris tui quemadmodum facilè, ità proficuè te

applices Amice Lector, Parte II. tenuis opuſculi hujus te paro manuducere, proponens in compendio totum excipiendæ Confeſſionis ordinem, atque methodum, quam apud alios complures aut fusè admodum, aut partim tantùm, aut minus ordinatè propoſita reperies. Sit itaque

CAPUT I.

De Præparatione Confeſſarii ad excipiendas Confeſſiones.

ARTICULUS I.

De iis, quæ Confeſſario præmittenda ſunt, priusquam audire Confeſſiones incipiat.

Q. I.

1. *QUid præprimis curandum Confeſſario, priùsquàm excipiat Confeſſiones?* ℟. Suppoſitis iis, quæ ad valorem Sacro-Sancti hujus miniſterii requiruntur, *Sacerdotio* videlicet, *Approbatione*, *Juriſdictione*, & *Intentione*, præprimis illi curandum eſt, ut cum munda conſcientia ad illud accedat. Proinde aliquam ſaltèm reflexionem præmittere oportet: annon graviori noxâ conſcientiam habeat contaminatam, ut, ſi ità comperiet, vel confeſſione propria, vel ſaltèm contritione elicita eam emundet; nè dum alios à peccatorum ſordibus liberare parat, ſe ipſum ampliùs, & amplius indignô ſuô miniſteriô maculet, &

defe-

defædet. Vide priore parte art. 1. de hoc puncto fuſiùs tractantem. Prævideat etiam, ùt monet Lohner in Inſtr. pract. de Confeſſion. Excip. p. 1. c. 1. diligenter pericula, & contra ea ſe per efficacia media præparare ſtudeat; præcipuè verò contra inordinatam, & nimiam cum mulieribus familiaritatem.

Q. 2. *Quid porrò Confeſſario Conſcientiâ ritè diſpoſitâ ſit agendum?* ℟. Verbis Wratislaveni Ritualis: *Sacerdos ad audiendam Confeſſionem vocatus promptum, facilémque ſe præbeat, ac priùsquàm ad audiendum accedat, ſi tempus ſuppetat, ad hoc miniſterium rectè, ſanctéque obeundum, divinum auxilium precibus imploret.* Fuſiùs hoc declarat Polancus in Directorio c. 2. § 1. ubi ſic: *Sacerdoti paranti ſe ad audiendas Confeſſiones renovandum eſt deſiderium ſalutis animarum, & honoris Divini per orationem brevem, quâ petat à Deo gratiam pœnitentibus, ut ad ipſum verè redeant per Confeſſionem, ac Sacramenti finem conſequantur; & ſibi, ut ſuo munere rectè fungatur, & nè Confeſſarii negligentia impediat vim, & efficaciam Sanguinis Chriſti, & Divinæ liberalitatis influxum in pœnitentes; quin potiùs ſuppleat ſumma Bonitas ipſius, & Potentia defectus vilis inſtrumenti.* 2.

Q. 3. *Quomodo hoc ipſum in praxim ſit redigendum?* ℟. Hôc, vel ſimili modô. 3.

Oratio utiliter ante audiendas Confeſſiones recitanda.

Mitiſſime Domine JESU, qui Sacro-Sancti Pœnitentiæ Sacramenti (utì & aliorum) es Author, ac

principalis operator, Te ſupplex oro, ut ſicut mihi indigno poteſtatem judiciariam ligandi, atq; ſolvendi peccata communicare dignatus es, ità etiam largiri digneris ſanctitatem, quâ munus hoc ſoli Deo proprium, tam dignè expleam, ac decet Vicarium tuum. Sit igitur in me cor imprimis purum, & caſtum; nè dum alios à fœditate mundo, ipſemet vel leviſſimè polluar: Sit in me ardens prorſus deſiderium ſalutis alienæ, & animarum, pro quibus Sanguinem fudiſti, itémque præmii æternum perdendi, ac pœnæ incurrendæ digna æſtimatio. Sit in me ſuavitas Patris, peritia Medici, cura Paſtoris. Da, ut valeam ſolari afflictos, illuſtrare cæcos, pacare turbatos, timidos confortare, recidivos ſtabilire, negligentes percellere, tepidos accendere, fragiles firmare, infirmos ſanare, cuivis bene conſulere, & quæ ad ſalutem ſunt perſuadere. Mihi verò, qui venturos jam vi tuæ poteſtatis abſolvere volo, da attentionem, & patientiam, cordi, & corpori puritatem, ſpiritui tranquillitatem, animæ ſolatium. Da, ut compatiar miſeris, nec efferar præ illis, quibus ſinè tua gratia pejor fuiſſem. idq; à Patre tuo per te peto, per quem omnia nos obtenturos promiſiſti Salvator mundi.

4. Q. 4. *Quæ precatiuncula hujus, vel ſimilis, utilitas?* ℞. Utilitatem ipſius ex eo facilè colligi, quòd munere, & obligatione Confeſſarii in particulari perpensâ, dignitate etiam miniſterii obeundi luculentè propoſitâ, aptiſſima omnino ſit ad Confeſſarii animum eòusque inflammandum, ut finem tanti Sacramenti tum condignè æſtimet, tum conveni-

veniente curâ eundem procuret, removeat inſimul à ſe velut conſuetudinarium teporem, quo Confeſſariorum nonnulli ſatìs muneri ſuo ſatisfactum ſibi blandiuntur, ſi formulam Confeſſioni præmittendam ex præſcripto recitârint, pœnitentis peccata judicando inter lepram, & lepram excepe-rint, pœnitentiam talem qualem injunxe-rint, ac demum abſolutionem impertíve-rint, in minimis curis reponentes, quomodo eidem pœnitenti, ſæpe ſæpius magnopere indigo, ſeu conſilio, ſeu adhortatione, ſeu mediorum præſcriptione opitulentur. Quo fit, ut ſi pœnitens verè etiam abſolvatur, facillimè tamen ad vomitum redeat, vel prægrandes conſcientiæ torturas perſentiſcat. Paucis: ut Judicis quidem fungantur officio; Doctoris verò, & Medici ſeduli pariter, atque accurati munus cum deplorabili animarum diſpendio intermittant. Cui ſanè oppoſitum obveniret, ſi dicto, vel ſimili modo tepore diſpulſo animum pro debito inflammarent.

ARTICULUS II.

De iis, quæ Confeſſario agenda ſunt, dum actu Confeſſiones excipere parat.

Q. 1. *Quid agendum Confeſſario, dum miniſterium ſuum aggreditur?* ℞. Rurſum verbis Ritualis Wratislavienſis: *In Eccleſia, non autem in privatis ædibus Confeſſiones audiat, niſi ex* 5.

cauſa rationabili, quæ cùm inciderit, ſtudeat tamen id decenti, ac competenti loco præſtare. Habeat in Eccleſia ſedem Confeſſionalem, in qua ſacras Confeſſiones excipiat, quæ ſedes patenti, conſpicuo, & apto Eccleſiæ loco poſita, crate perforata inter pœnitentem, & Sacerdotem ſit inſtructa. Superpelliciô, & ſtolâ violacei coloris utatur prout tempus vel locorum feret conſuetudo. Addo ex Polanci Directorio c. 1. *ità ſit compoſitus exteriùs, & interiùs, ut nihil videatur in vultu, & geſtibus, vel moribus corporis, vel etiam in veſtitu, nec in voce audiatur, quod non deceat virum maturum, & qui meminit ſe locum DEI tenere.*

6. Q. 2. *Quid agendum Confeſſario ad audiendum præſentem pœnitentem jam parato?* ℟. Inchoandum à ſequentis precatiunculæ cum efformatione Crucis in modum benedictionis recitatione: *Dominus ſit in corde tuo, & labiis tuis; ut rite confitearis omnia peccata tua in Nomine Patris, & Filii, & Sipiritûs Sancti. Amen.* A qua formula Societati noſtræ conſueta licèt Ritualia quædam verbis pauculis diſcrepent, ſenſu tamen omnino conveniunt.

7. Q. 3. *Quid à Confeſſario in pœnitente, ſi ab hoc omittatur, procurandum?* ℟. cum Palanco cit. c. 2. *Curandum eſt, ut decenter ſe pœnitens habeat utroque genu flexo, & capite nudo (ſi poteſt) facie verò non ad Sacerdotem, ſed ad latus verſa. Et ſi ſponte non faceret, blandè monendus eſſet, ut meminerit ſe non coram homine peccatore, ſed coram DEO altiſſimo conſtitutum eſſe, ut agnoſcendo*

offen-

offenſas humiliter veniam poſtulet. Doceat præterea (ſi tam rudis ſit pœnitens, ut per ſe facere neſciat) ſigno crucis ſe munire, & formulam aliquam congruam Confeſſioni præmittere. De hoc

Q. 4. *Quæ formula pœnitenti ante, uti & poſt Confeſſionem adhibenda?* ℞. Unam ex melioribus eſſe, quâ cum attentione ante Confeſſionem recitatur: *Confiteor*, usque ad verba: *meâ maximâ culpâ.* Poſt Confeſſionem verò ſubnectuntur verba: *ideò precor*, usque ad finem. Alia multis uſitata eſt hæc: *Dolens me accuſo coram Deo, & Reverentia veſtra de peccatis à proxima Confeſſione commiſſis, quam peregi ante* NN., hìc dicitur temporis diſtantia à proxima illa Confeſſione, ac dein recenſentur peccata; quibus recenſitis ſubditur clauſula: *Accuſo me præterea de omni verbo otioſo, levi mendacio, diſtractionibus negligenter excuſſis, & de omnibus peccatis totius vitæ meæ, de quibus ex toto corde doleo ob Deum ſummum bonum à me offenſum; propono cum Divina gratia ſeriam emendationem; peto humiliter ſalutarem pœnitentiam, & abſolutionem.* In qua clauſula particula: *de omni verbo otioſo, levi mendacio, diſtractionibus negligenter excuſſis*, utiliter additur, in caſum, quo pœnitens confitendo ſufficientem materiam abſolutioni non dediſſet: cùm enim non facilè reperiendus ſit, qui totâ vitâ retroactâ tribus modis particulâ illâ propoſitis non peccâſſet, ſuppletur per illam Confeſſionis defectus, ſic, ut, ſuppoſitis reliquis neceſſariis, abſolutio ſecurè 8.

Digitized by Google

dari poſſit. Nec obſtat, quòd accuſatio in communi e. g. *accuſo me de omnibus peccatis meis*, extra neceſſitatis caſum eam vim non habeat: quia per dictam particulam non fit accuſatio in communi tantùm, ſed in ſpecie; neque in venialibus numerum explicare eſt neceſſe. Card. 2. Criſi d. 2. à n. 124. cum communi.

9. Q. 5. *Quam formulam germanus pœnitens utiliter doceri poſſit?* ℞. Hanc, vel huic ſimilem: Facta cruce petat benedictionem his verbis: Euer Ehrwürden geben mir den heiligen Seegen/ damit ich alle meine Sünden vollkommentlich beichten möge; Dein ſubdat: Ich armer Sünder bekenne GOtt dem Allmächtigen/ Maria ſeiner lieben Mutter/ und euch Prieſter/ an GOttes ſtatt/ daß ich von meiner letzten Beicht/ welche geſchehen iſt vor ungefehr ... Täge/ oder Monaten/ &c. (dicitur tempus à proxima Confeſſione dilapſum) offt/ und viel geſündiget habe. Inſonderheit aber gib ich mich ſchuldig/ daß &c. hic recenſentur peccata. Clauſula: Dieſe/ und alle meine Sünden/ ſeynd mir leyd von Grund meines Hertzens/ weil ich dich/ O GOtt! das höchſte Gut dardurch erzürnet habe. Nehme mir feſtiglich vor/ mich zu beſſern; begehre ein heylſame Buß/ und Abſolution.

10. Q. 6. *Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens facta cruce illico peccata ſua recenſere velit?* ℞. iterum verbis Wratislaveni Ritualis: *Confeſ-*

ſarius

ſarius inquirat de illius ſtatu (niſi aliter notus fuerit) & quàm pridem ſit confeſſus? & an impoſitam pœnitentiam adimpleverit? num rite, atque integre aliàs confeſſus fuerit? num conſcientiam ſuam, ut debet, prius diligenter diſcuſſerit? Et de ſtatu quidem percontari convenit, ut de peccatis citra interpolationem Confeſſionis judicare, pœnitentiam ſtatui convenientem injungere, & media proportionata præſcribere poſſit. De nomine tamen, & quis ſit pœnitens non inquirendum, niſi neceſſarium foret ad intelligendam ſpeciem peccati confeſſi. La Croix l. 6. p. 2 n. 1712. *De tempore* verò à *præcedenti Confeſſione*, ut videat: an præceptum de annua Confeſſione obſervatum ſit; ſæpe etiam prodeſt ad dignoſcendum peccatorum numerum, tunc videlicet, quando pro ejus notitia, quam cæteroquin pœnitens dare nequit, inquirendum eſt: quoties circiter peccaverit per menſem, per hebdomadam, per diem. *De pœnitentia expleta*, ut advertat, an culpabiliter, vel inculpabiliter omiſſa ſit, ut vel ad illam implendam pœnitens urgeri, vel alia ipſi (ſi indiſcreta impoſita, vel diſcreta oblivioni data eſt) injungi poſſit ad integrandum præcedens Sacramentum. Pro quo Sylv. v. Confesſio, & Bonac. d. 3, q. 5. p. 3. S. 3. n. 8. non improbabiliter cenſet recenſenda eſſe à pœnitente principalia quædam peccata, licèt Navarr. Sotus, Cajet. Vasq. relati à Bonac. loco cit. talem excuſent à pœniten-

tiæ præcedentis executione ratione impoſſibilitatis, in qua conſtituitur, dum illius pœnitentiæ ampliùs recordari non poteſt. *De integritate*; ut obſervet: an Confesſio præcedens valida fuerit, vel invalida? ac ideò vel Confesſionem illam iterari faciat, vel ad eam non urgeat. *De examinanda* demum *conſcientia*, ut diſpiciat: an ob negligentiam debiti examinis pœnitentem citra abſolutionem dimittere debeat, donec conſcientiam debitè examinet? vel an defectus examinis per interrogationes Confeſſarii ſuppleri posſit? ſed de his plura tum cap. 3. a. 2. tum aliis locis infrà.

CAPUT II.

Principia Generalia Confeſſarium durante Confesſione dirigentia.

12. *PRincipium* 1. Specialiter caveat, nè inter audiendas Confesſiones dormitet, diſtrahatur, aut omnino obliviſcatur peccatorum, antequam injunxerit pœnitentiam: nam ſi omnino nihil percepiſſet de aliquo peccato, deberet ſtatim interrogare: ſi enim in finem interrogationẽ differat, cùm pœnitens ignoret, quod peccatũ intellectum non ſit, communiter interrogationi ſatisfieri non poteſt, niſi aut major pars, aut tota Confesſio repetatur La Croix l. 6. p. 2. n. 1716. Dixi: *Si omnino nihil percepiſſet de aliquo peccato*: Si enim aliquid intellexiſſet; poteſt ad finem differ-

differri interrogatio, dummodò moralis adſit certitudo, quòd memoriâ non excidet. Si tamen perſpectam habens pœnitentis conſcientiam prudenter præſumere poſſet, eum nonnisi venialia confiteri ſolere, neque de peccato non percepto ſinè turbatione, & moleſtia illius posſit interrogare, poteſt interrogationem omittere. Quòdſi nullum omnino peccatum percepiſſet, licèt reſpectu talis pœnitentis etiam tunc omitti poſſet interrogatio, ſuadet tamen Gobat tr. 7. n. 239. ut, ſi absque notabili moleſtia pœnitentis fieri queat, jubeat repeti unum v. g. ultimum è narratis peccatis.

Principium 2. Quod cum aliis tradit Segneri Inſtit. Parochi c. 22. §. 3. Tolerans ſit moleſtiarum, & faſtidiorum, quæ pœnitens affert, memineritque eum, qui nihil moleſtiæ in hoc miniſterio ferre vult, planè ſe ineptum ad illud oſtendere, neque ullum unquam multum mellis ex alveari colligere, qui apium aculeos formidat. Signa proindè intolerantiæ non prodat asſidendo cum nauſea, ſe jam huc, jam illuc torquendo, jubendo importunè pœnitentem abrumpere, interpellando etiam, cùm res non poſtulat. His enim facilè moveri poteſt pœnitens, ut ſacrilegio ſe obſtringat, aut reticendo, quod admiſit, aut abrumpendo, aut excuſando, quod addendum fuit & fatendum. De quo ſanè audienti graviſſima ratio reddenda manet. Præſertim 12.

tim

tim verò caveat, nè dum pœnitens enorme aliquid affert, ſigna admirationis, vel indignationis oſtendat. Proindè ſigna manuum, vel pedum, alióſque corporis motus omnino intermittat; hæc enim pariter Confeſſionis Sacrilegæ cauſa facillimè eſſe poſſunt: aptiſſimáque ſunt, ut Confeſſionis ſigillum graviter violetur, cùm videlicet circumſtantes ex illis ſeu colligere, ſeu ſuſpicari poſſint graviora delicta à pœnitente recenſeri. Quare ſe ita componere nitatur, acſi nihil audiret, ídque uſque ad Confeſſionis finem, ubi quantum opus eſſe judicaverit, peccatorum gravitatem, & deformitatem pœnitenti exponat. De quo Rit. Wratisl. ità loquitur: *audita Confeſſione perpendens peccatorum, quæ ille* (pœnitens) *admiſit, magnitudinem, & multitudinem, pro eorum gravitate ex pœnitentis conditione opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paterna charitate adhibebit.* Cum hoc principio connexum eſt

13. *Principium* 3. Univerſim abſtinendum eſt ab increpationibus, & exprobrationibus, aſperis interrogationibus, ſeveris admonitionibus, multò magìs à contumeliis, ſcommatis &c. Ratio eſt eadem, quæ paulò antè data eſt: nè fortè pœnitentes deterriti cætera peccata ſacrilegè taceant, nec meliùs ſe abſolvi permittant, & unius Confeſſarii vitio Confeſſionem habeant odioſam, fiátque Confeſſarius cauſa damnationis, qui ſalu-

ſalutis cauſa eſſe debuiſſet. Cogitet ſe gerere perſonam Chriſti, qui pœnitentes blandisſimè excepit, nec ullo verbo aſperiore objurgavit. Unde, cùm duri, & laxi reprehendendi ſunt, id pariter fiat in fine, & in ſpiritu charitatis, lenitatis, ac manſuetudinis. Stoz. l. 2. q. 2. a. 1. n. 25. & alii communiter.

Principium 4. Quod tradit Berteau in Direct. Confeſſ. tr. 3. c. 4. Nunquam negligat in Confesſionibus excipiendis ex pœnitente, quoad fieri poterit, reſcire *numerum* peccatorum, quemadmodum præcipit Concil. Trid. Seſſ. 14. de Pœnit. c. 5. Itèm *ſpeciem*, & *circumſtantias ſpeciem mutantes*, quod idem requirit cit. Trid. Ratio eſt: quia ſinè horum cognitione nequit ſtatum conſcientiæ pœnitentis dignoſcere, nec rationabile judicium de eo formare, neque pœnitentiam convenientem injungere, aut media pro vitando peccato congrua præſcribere. Quoad circumſtantias *purè aggravantes* ſequi poteſt ſententiam, quam vult, ex oppoſitis: utraque enim valde probabilis eſt, utpote Authorum gravisſimorum authoritate nixa. Addo ego, quam rationabiliter pœnitenti magìs ſalutarem, & proficuam eſſe judicârit, juxta ea, quæ dicentur Principio 9. 14.

Principium 5. Adjuvet pœnitentem, ubi opus eſt, prout monet Rituale Wratislaviense, quod potisſimùm fit interrogando, præſertim valde rudes, & ruſticos; quanquam 15.

quam & reſpectu aliorum ſæpe offeratur occaſio, & neceſſitas, ut dignoſcatur vel ſpecies, vel obligatio reſtitutionis, vel periculum proximum &c. Pro hoc Polancus ſupra cit. §. 2. ſequentes ſtatuit regulas: *quamdiu dixerit quiſque, quod meminit, eum attentè audire oportet, niſi forte videretur monendus obiter, nè nominet perſonam aliquam, vel nè dicat ſuperflua, & ad rem non pertinentia &c. poſtquàm verò dixit, quod per ſe dicere potuit, ſi non videtur omnia, quæ neceſſario dici oportuit, dixiſſe, tenetur interrogare Confeſſarius.* 2dò *Diſcurrat interrogando per præcepta, & quidem diligenter, & prudenter, ubi opus eſt, ut quæ peccator ignorat, vel præ verecundia, vel negligentia tacet, eliciat.* 3tiò *Procedat ordinatè, cùm vacat pœnitenti: alioqui ſi mors, vel phreneſis, vel linguæ impedimentum timeretur, ſummus ordo eſt non ſervare ordinem alium, quàm quem diſcretio dictat.* 4tò *nè in peccatis, præſertim Venereis, ità explicitè interroget, quæ communiter non ſunt nota, ut doceat pœnitentem, quæ neſcit: Ideò à longè, & gradatim procedere oportet.* 5tò *ut in circumſtantias non neceſſarias non inveſtiget.* 6tò *de numero interroget quidem, ſed videat ſimul, nè ſubtiliter computando faſtidium generetur pœnitenti: ſatis enim eſt, ut plus minus ſecundùm æſtimationem ſuam dicat quisque, quoties peccavit.* 7mò *interroget pœnitentes pro eorum qualitate, & quemque de his, quæ magis propria ſunt ei conſiderato illius ſtatu, officio* &c. 8vò *ut magis innoteſcat, & meliùs juvari poſſit pœnitentis conſcientia, interrogare oportet; num præ-*

prævoniat tentationes? an iis aditum prabeat, vel reſiſtat? tum de bonis inſpirationibus: expedit enim bona, ſicut & mala, à Confeſſario intelligi, ut ad ea conſervanda, & augenda juvet. 9nò *denique interroget pœnitentem: an aliquid aliud habeat, quod gravet conſcientiam?* Juvetur præterea pœnitens, cùm deficit, ad dolorem, & propoſitum motiva congrua proponendo; itèm ad ſeriam vitæ emendationem media convenientia præſcribendo; itèm ad promptam ſatisfactionem, & gratiæ augmentum exhortando, & modos utrique conducentes indicando, de quibus fuſiùs infrà.

16. *Principium* 6. Tradit Stoz. l. 1. p. 3. q. 2. n. 46. Confeſſarius, ſi advertat pœnitentem paratum eſſe ad nominandum complicem, debet illum ab hoc prohibere, niſi fortè manifeſtatio iſta fiat, & faciat ad corrigendum ipſum complicem, quæ tamen correctio rectiùs fieret ab alio, quàm ipſo Confeſſario, & meliùs extrà, quàm intrà Confesſionem. Addo cum D. Thoma variis locis, Suarez de Pœnit. D. 34. ſ. 2. D. Bernardo, & aliis permultis à Suarez citatis contra Stoz, niſi alius Confeſſarius non facilè haberi, & ſpecies peccati aliter explicari nequeat: tunc enim non tantùm poteſt, ſed etiam debet admittere talem manifeſtationem. Nec obſtat, principale ipſius argumentum: quòd præceptum poſitivum de integritate Confesſionis cedat naturali de non infamando proximo. Ajo enim nullum

tunc

tunc adeſſe naturale præceptum prohibens infamationem, ſed ſolum adeſſe præceptum poſitivum de integritate, ceſſante omni cauſa illud non implendi. Cujus ratio eſt: quia nulla adeſt *infamatio formalis*, ſed *materialis tantùm*, ſicut in ipſius exceptione nullum tale præceptum adeſt, dum complex manifeſtatur eo fine, ut corrigatur. Ratio ulterior eſt: quia tunc non eſt *formalis infamatio*, ſed *materialis tantùm*, quando non fit intentione, & animo damnificandi proximum, & cauſa rationabilis, ac necesſitas adeſt ad damnum majus, vel ſaltem æquale evitandum, ùt fit in eodem exemplo à Stoz adducto, & quotiescunque licitum eſt conſilii, vel auxilii causâ crimen proximi revelare; atqui dum in Confesſione manifeſtatur complex, ſupponitur non manifeſtari intentione, & animo damnificandi, adeſt etiam cauſa rationabilis, ac neceſſitas majoris damni evitandi, quale eſt violatio integritatis, & reverentiæ Sacramenti; ergo. Accedit, quòd in judicio ſæculari nec Judex, nec reus agat contra præceptum naturale, dum ille urget manifeſtari à reo complicem, iſte verò eundem manifeſtat; idem ergo erit, imò ampliùs urgebit in judicio fori Sacramentalis, nè præceptum de Sacramenti integritate, & reverentia violetur.

17. Porrò Confeſſarius cenſetur non poſſe facilè haberi juxta Gob. tr. 6. n. 476. & ſeq. imò

1mò quando pro illo inveniendo oporteret differre Confeſſionem cum jactura Confeſſionis Paſchalis, aut Jubilæi, vel Indulgentiæ. 2dò quando Sacerdos ſolitus quotidie ex devotione celebrare non poſſet differre Confeſſionem, nisì cum jactura trium Sacrificiorum, aut quando alicui tam grave eſt privari ſua ordinaria communione, quàm communiter grave eſt Sacerdoti abſtinere triduo à Sacro. 3tiò quando quis deberet per triduum vivere in tali peccato nec directè, nec indirectè remiſſo per abſolutionem. 4tò quando quærendus eſſet Confeſſarius magno labore, & moleſtiâ. His addit cit. Gob. cum Lugone & Dicaſtillo illam moleſtiam debere eſſe longè majorem pro excuſando pœnitente, qui complicem induxit in crimen, præſertim per injuriam. Cum hoc connexum eſt

Principium 7. Quod ſtatuit cit. ſuprà Berteau torrenti conſentiens: ſi pœnitens utatur ſuperfluis circumlocutionibus, & hiſtoriis in declaratione ſuorum peccatorum, Confeſſarius cum debita lenitate omnia reſcindat; dicendo opus non eſſe enarrare illas circumſtantias; ſatìs eſſe, ſi breviter dicat: ſpeciem, & numerum. Quandoque ſermonem aliò divertat petendo: annon hoc, vel illud aliud peccatum fecerit? ſi dicat: non juravi, nullum commiſi furtum &c. oportet reponere, id eſſe virtutis, quod hoc peccatum non patraverit, proindè requiri, 18.

ut ſe ſolùm de peccato accuſet. Si incipiat aliorum peccata detegere, ſtatim moneat, ut de illis taceat, nè detrahat, & alios infamet. Si nimis craſsè, & minùs pudicè quædam peccata explicet, doceatur honeſtiùs ea eloqui: nè alia vice ſibi, & Confeſſario faciat ſcandalum.

19. *Principium* 8. Dat rurſus La Croix cit. l. 6. p. 2. n. 1719. Non nimis citò depropereт Confeſſiones eo fine, ut plures audiat. De quo ſapienter Gerſon apud eundem: *Eligibilius eſt paucos audire completè, quàm multos imperfectè .... mallem namque, ſi Curatus eſſem, multorum differre Confeſſiones poſt Paſcha etiam, ubi quidam non redirent, quàm quòd cæcus cæcos ſeducerem, dum pro verò abſolutis ipſi non rectè abſoluti ſe gererent.* Et S. Xaverius, Confitentibus non feſtinatam, ſed diligentem navandam operam cenſebat monens: ut Confeſſarii præoptarent Confeſſiones paucas ritè audire, quam multas temerè properatas. Excipe neceſſitatis caſum, quales ſunt periculum mortis, imminens prælium, aut naufragium, & ſecundùm Gobat tr. 6. n. 479. quando adeſt tanta multitudo confiteri volentium, ut Sacerdos nequeat omnibus ſatisfacere audiendo omnes integrè, ubi cenſet contra Coninck D. 7. d. 9. n 89. poſſe Confeſſarium ſingulis dicere, ut aperiant ſolùm graviora è mortalibus, reliqua differant in aliud tempus. Sequenda tamen eſt oppoſita, ùt ex infrà dicendis conſtabit. Ac pro-

proinde mallem cum Gerſone multorum Confeſſiones differre etiam poſt Paſcha, quàm præceptum Divinum de Confesſionis integritate poſtponere Eccleſiaſtico de annua Confeſſione; magìs verò privare pœnitentem indulgentiâ, quàm Sacramenti integritatem, & reverentiam violare. Excipio cum Segneri Inſtruct. Confeſſ. c. 2. ſi communio in aliud tempus rejici nequeat ſinè ſcandalo, vel gravi admiratione; quæ accidere poteſt circa puellam à ſuis domeſticis obſervatam. Sed de hoc enucleatiùs infrà c. 3. a. 6.

Principium 9. Quod indicat Segneri cit. c. 1. Tametſi Confeſſarium ſuavem, & benignum eſſe oporteat, juxta monitum Apoſtoli ad Gal. 6. *Fratres, etſi praoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis hujusmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis*; benigniores tamen ſententias non reſpectu omnium ſequatur; ſed reſpectu eorum duntaxat, quos benignæ ſententiæ quaſi manuducunt ad legis obſervationem; quando autem per eas difficulter præcepto ſatisfieri poteſt, ſuadendæ non ſunt: nè animæ, quæ maximâ ſolicitudine veterno ſuo liberandæ ſunt, dulci velut ſoporifero accepto conſopiantur. Ait præterea licitum eſſe benignas cum Doctoribus Claſſicis ſententias amplecti circa præcepta *poſitiva*; non verò *naturalia*, præſertim quæ carnis concupiſcentiam frœnant. Cæterùm præſcindendo ab opi- 20.

nione rigidiore, vel benigniore, ſi pœnitens velit dirigi ſecundùm opinionem ſuam probabilem, & Confeſſarius ſit in oppoſita quamvìs probabiliore, Confeſſarius tenetur eum abſolvere. Pro qua ſententia Vindex Gobat ad prob. 26. nominatim refert 65. graves Authores.

21. *Principium* 10. Quod adſtruit Stoz l. 2. q. 1. a. 3. n. 23. Non ſit præceps in judicio ferendo, nec ſtatim pœnitentibus reſtitutiones, vel alias obligationes imponat; neque temerè ab iis liberos pronuntiet, donec rem bene pependerit ſumpto etiam ſpatio deliberandi, ſi veritatem non penetrat. Proinde ſi deliberatio hæc longius ſpatium requirat, pœnitentem ad acceptandum, quod ſubinde verum compertum fuerit, diſponat, & tempore præfixo ad determinationem audiendam redire jubeat.

22. *Principium* 11. Eſt P. Suarez de Pœnit. D. 32. S. 3. n. 9. Regulariter Confeſſario ſtandum eſt Confeſſione, & dicto pœnitentis. Unde quantumcunque Confeſſor ſciat peccatum pœnitentis ex aliorum relatione, tenetur in hoc judicio magìs credere ipſi pœnitenti: cùm hic rei ſimul, & teſtis perſonam ſuſtineat. Deindè ſi ipſe Confeſſor ſuis oculis vidit peccatum, & probabiliter exiſtimare poteſt pœnitentem id ipſum eſſe confeſſum alteri, poteſt diſſimulare, & credere ideò tunc negari illud: quia non tenetur iterum illud confiteri. Si autem omnino

ſit

Digitized by Google

ſit evidens illum mentiri contra integritatem Confeſſionis, non tenetur ità ſtare dictis pœnitentis, ut non poſſit uti ſcientiâ ſuâ ad convincendum, & redarguendum ipſum pœnitentem. Unde ſi evidenter viderit illum eſſe indiſpoſitum, non debet illum abſolvere, quidquid ille dicat, idem ergo erit ſi evidenter videat non integrè confiteri. Ità cit. Suarez.

Principium 12. Eſt ejusdem P. Suarez 23. eâdem Diſp. Sect. 4. Si Confeſſarius probabiliter credat pœnitenti laboranti invincibili ignorantia alicujus peccati admonitionem profuturam ſinè ullo ſcandalo, vel gravi incommodo, debet eum admonere, ut relinquat ſtatum, qui materialiter eſt ſtatus peccati. Ratio eſt: quia imprimis ex charitate tenemur admonere proximum, etiamſi ignoranter faciat id, quod ex ſe peccatum eſt, quando eſt ſpes fructûs, ùt conſtat ex correctione fraterna. Præterea ratione officii ſubit Confeſſor vicem Paſtoris, & Doctoris; ergo tenetur, dum commodè poteſt, illuminare pœnitentem. Pro Regula proinde Confeſſarii hìc eſt: ut prudenter dijudicet: an admonitio ſinè ſcandalo, & gravi incommodo pœnitentis fieri poſſit. Quando verò Confeſſor non ſperat fructum, vel quia probabiliter, & prudenter timet pœnitentem non effecturum, vel certè non poſſe ſinè gravi incommodo id efficere, de quo monendus eſt, poteſt, & debet

pœnitentem in ſua bona fide relinquere. Ratio eſt: quia tunc nec vi charitatis, nec ratione officii tenetur admonere. Imò in tali caſu eſſet potiùs admonitio contra charitatem: quia poſſet afferre magnum incommodum proximo ſinè ullo fructu.

CAPUT III.

De Munere Confeſſarii pœnitentium indiſpoſitorum.

24. INdiſpoſitio pœnitentis contingere poteſt ſex ferè modis, 1mò videlicet ob inſufficientiam notitiæ ad hoc Sacramentum requiſitæ. 2dò ob inſufficientiam examinis requiſiti. 3tiò ob inſufficientiam materiæ remotæ. 4tò ob inſufficientiam doloris. 5tò ob inſufficientiam propoſiti. 6tò ob inſufficientiam Confeſſionis. Quæ ſingula, ut methodicè procedatur, ſingillatim hìc ſunt pertractanda.

ARTICULUS I.

De Munere Confeſſarii indiſpoſitorum ob inſufficientiam notitiæ ad hoc Sacramentum requiſitæ.

25. INdiſpoſitio, de qua hìc agitur, rudes concernit, & præſertim pueros, atque puellas, quorum audiendorum ea ſuevit eſſe difficultas, ut annoſi licèt Confeſſarii paſſim aſſerant malle ſe audire, plures etiam, viros, &

mulieres, quàm puerum ſeptennem, aut octennem. Ratio difficultatis eſt 1mò: quia perſæpe dubium eſt: an, cùm ætatis ſint tenerioris, uſu rationis prædíti, & hujus Sacramenti capaces ſint? 2dò: an verè credant neceſſaria neceſſitate medii credenda? 3tiò: an dignoſcant peccati malitiam? 4tò: an ſciant vim, efficaciam, & finem hujus Sacramenti? 5tò: an verum habeant dolorem, & propoſitum? Pro hac itaque difficultate facilitanda

Q. 1. *Quæ regula ſerviat ad dignoſcendam: an pueri, & puellæ rationis uſu præditi ſint?* ℞. 26.
cum Laym. l. 5. tr. 6. c. 5. n. 7. id colligendum eſſe non ex ſola ætate, utrùm ſcilicet ſeptennium exegerint (poſt illam enim ætatem præſumptio eſſe ſolet de uſu rationis) ſed multò magìs ex ingenii, & educationis qualitate: quia multi poſt illam, alii ante illam ætatem diſcretionem aſſequuntur, ità ut non tantùm venialiter, ſed etiam mortaliter peccare poſſint. Leſſius in Auctar. v. Confeſſarius c. 6. hanc regulam ſtatuit: pueri videntur capaces rationis, ſi ſciant, quid eventurum ſit malè agentibus, quid benè agentibus: tunc enim concipiunt timorem Numinis, & affectum ſervitutis erga Deum. Teretius in libello cui titulus: Confeſſio, ſeu Inſtructio Idiotæ c. 2. §. 5. qu. 2. apud Gobat hanc: Si parentes, aut Paſtores viderint pueros diſcernere bonum, & malum, pudefieri de mendacio, de aliqua impudi-

citia commiſſa, laudare obedientiam, concludent illos ratione uti, quemcunque annum ætatis attigerint.

27. Q. 2. *Quomodo colligere poſſit Confeſſarius pœnitentem ſufficiente ad hoc Sacramentum notitiâ eſſe deſtitutum?* ℟. Cùm ignorantia hæc rudes, ùt dictum, ac præſertim pueros, & puellas concernat, obſervet Confeſſarius externam talis pœnitentis conſtitutionem: ſi enim adultus Confeſſionale ingreditur nec facta cruce, aut ſi eam efformet, velut mutus flectere continuat. Itèm ſi puer, aut puella ſeu ſilens, ſeu quædam proloquens digitis fricat cratem, ùt loquitur Gobat tr. 7. n. 443. interjectam inter ipſam, & Confeſſarium, quandoque nugatur circa ſuum roſarium, & pileum, quandoque etiam vultum, & oculos vertit versùs alios adgeniculantes, ſuſpicio oboriri poteſt, quòd neceſſaria ad hoc Sacramentum, ſaltèm non debitè, perſpecta habeat.

28. Q. 3. *Quomodo procedendum concepta hac ſuſpicione?* ℟. Interroget ex qua cauſa ad Confeſſionale acceſſerit? ſi impertinentia reſpondeat, ùt: quia Parentes, vel Patresfamilias, vel alii juſſerunt, ampliùs in opinione ſua firmabitur Confeſſarius. Si verò dicat: ideò ſe adveniſſe, ut confiteatur; interroget porrò Confeſſarius: an intelligat, quid ſit confiteri, & cur velit confiteri? ſi dicat: ut à peccatis liberer, & ſic pœnas peccatis debitas evadam: ſalva res eſt, poterítque tunc jubere enarrari pec-

peccata. Si verò dicat, ſe neſcire, vel ideo ſe velle confiteri; quia ab aliis juſſus eſt; &c. oportebit ipſum pertentare; an noverit credenda neceſſitate medii, videlicet, Deum eſſe, & Remuneratorem eſſe, Trinum in perſonis, ex quibus altera pro nobis eſt Incarnata, & paſſa? ſi hæc velut pſittacus recitare advertatur, allaboret Confeſſarius, ut eum diſponat ad verum actum fidei, ex quo procedere debet dolor neceſſarius ad pœnitentiam, ùt tenet communis: de quo in rudibus, pueris, & puellis, perſæpe rationabile dubium eſſe poteſt; licèt enim in Catecheſi didicerint, quæ credi oporteat; motivum tamen veræ fidei aut ignorant, aut in praxi eo non moventur. Pro quo

Q. 4. *Quomodo talis ad eliciendum practicè verum actum fidei ſit diſponendus?* ℞. cum Gobat. tr. 7. n. 455. interroget Confeſſarius; an putet Deum poſſe falli? vel an Deus poſſit mentiri? communiter audiet reſponſum: non poſſe. Urgeat: an ergo credat omnia eſſe vera, quæ unquam dixit Deus? reſpondebit facilè: credo. Pergat interrogando: an ſemper hoc credat? reponet: ſemper. In particulari verò de neceſſariis neceſſitate medii, & de credendo Pœnitentiæ Sacramento, acceptô reſponsô; quòd Deus nec falli, nec fallere, ac proinde nec mentiri poſſit, quærat: an credat Deum eſſe unum, & trinum in perſonis, ex quibus ſecunda, videlicet DEI Filius, pro nobis eſt Incarna- 29.

ta, & paſſa? Itèm an credat, quòd Filius Dei incarnatus, ſive Chriſtus Sacramentum inſtituerit, quo per Sacerdotis poteſtatem à peccatis noſtris liberemur? Reponet: credo. Urgeat: quare hæc credat? & obtinebit reſponſum: quia Deus, qui nec fallere, nec falli, conſequenter, nec mentiri poteſt, hæc dixit, docuit, revelavit. Ac ità Confeſſarius de primo requiſito ad Sacramentum Pœnitentiæ ſecurus eſſe poterit.

10. Q. 5. *Quid agendum Confeſſario, ſi rudis neceſſaria neceſſitate medii non capiat?* ℟. Si puer eſt, aut puella, dimittatur data illi benedictione; ſi adultus eſt, diſpiciatur ex quo fonte tanta hebetudo profluat: an videlicet oriatur ex peccatis quibusdam ipſi conſuetis, quæ mentem obtenebrant, qualia ſunt luxuria, & ebrietas, & tunc differenda eſt abſolutio, dum ab his abducatur, ac ſubindè inſtruatur. Si verò hebetudo proveniat ex complexione naturali (cujus ſignum eſt: ſi etiam ad alia temporalia hebes appareat, ac cæteroquin innocenter vivat) Confeſſarius illi præeat ad eliciendos actus fidei, ſpei, charitatis, doloris, propoſiti, & ſi advertatur hæc neceſſaria ſaltèm aliquomodo cognoſcere, licèt non plenè, conferat ipſi abſolutionem ſub conditione. E contrà, ſi ea ſimpliciter non cognoſceret, fatuo, aut infanti æquiparabitur. Quodſi hebetudo procedat ex nimia ſenectute, reſcire conetur

tur Confeſſarius: an ſenex ſciverit priùs ſcitu neceſſaria? ſi ità; conetur illum ad aliquam, licèt non plenè claram eorundem cognitionem diſponere, & hâc obtentâ perducat eum ad dolorem, quô obſervatô, eum abſolvat. Si non ſcivit, & ſi inſuper non ſatìs Chriſtianè vixit, properandum eſt, ut ad agnitionem, & dolorem diſponatur, nè ſenio creſcente capacitas plenè deſinat. La Croix l. 6. p. 2. n. 1809.

Q. 6. *Quomodo audiendus ſit rudis ignorans vim, virtutem, & finem Pœnitentiæ Sacramenti?* 31.
℟. Interrogetur: an credat malos, ſeu peccatores poſt hanc vitam puniendos? Si dicat: credo. Interrogetur porrò: an credat, quòd peccatores in Sacramento Pœnitentiæ à peccatis liberari, per Sacerdotem abſolvi, & pœnas etiam Inferni evadere poſſint? ſi dicat: credo. Exquirat motivum: quare hoc credat? & eô dictô, quærat ulteriùs: an etiam ipſe nunc à ſuis peccatis abſolvi deſideret? ſi affirmet, leniter illum peccata ſua jubeat recenſere.

Q. 7. *Sed quid ſi rudis, puer, aut puella nullum peccatum recenſere noverint?* ℟. Examine illi à Confeſſario eſſe ſuccurrendum. 32.
Proindè obſervandus ſtatus, & conditio adulti, & interrogandus de iis peccatis, quæ in talem ſtatum cadere ſolent, aut facilè cadere poſſunt e. gr. ſi ruſticus eſt, interrogetur: an die feſto ſacrum neglexerit? an tali die feſto laboraverit? an blasphemaverit,

dendum eſt ad interrogationem de quibusdam venialibus. Si venialia tantùm confiteatur, videat Confeſſarius, quomodo illa recenſeat: an nempe, velut memoriter didiciſſet, ea recitet? hoc enim ſæpe ſignum eſſe poteſt, quòd à parentibus edoctus ſit, ut hæc, & ſic dicat. Tali caſu interroget: an revera illa fecerit? ſi dicat: non, jubeat eum dicere, quæ ſcit, & ad hoc interrogando eum juvet. Si dicat: ità; quærat ex illo: an putaverit, dum ea committeret, Deum per illa offendi, & ſe puniendum eſſe? Si dicat: ità; habebitur vera Confeſſionis materia, quærat tamen ultrà: an putaverit ſe per illa Infernum promeritum? Aliquando enim id affirmabit, eò quod à parentibus, vel aliis, cauſata illi ſit erronea conſcientia. Si verò dicat ſe ignorâſſe, quod Deus per illa offendatur, conetur elicere aliquid, per quod ſe judicavit Deum offendiſſe. Denique ſi quædam de ſe mortalia confiteatur; quanquam tales ſæpe venialiter tantùm peccent, etiam cum materia gravis eſt, eò quod ad gravitatem malitiæ non advertant; nihilominùs quia non raró etiam malitiam ſufficienter penetrant, hoc quoque Confeſſarius expiſcetur interrogando: an verè putaverit ſe hoc, vel illo peccato Infernum promereri? vel annon antè, vel pòſt valde anxius fuerit, quod ob peccatum graviter ſit puniendus? Hæc etiam ſervire poſſunt pro regula,

quam-

quando adoleſcentes anxiantur poſt multas peractas Confeſſiones de quibusdam à pueritia commiſſis; nam ſi certi ſint ſe pro tunc nullam incidentiam, vel remorſum de malitia alicujus operis ſenſiſſe, ſecuri reddi poſſunt de peccato ſimpliciter non commiſſo; ſi verò in confuſo malum ſe advertiſſe deprehenderent, ſecuri reddi poſſunt de mortali non commiſſo.

84. Q. 9. *Quid ſi à rudi, puero, aut puella ſufficiens materia elici nequeat?* ℞. Si aliàs jam confeſſus eſt talis rudis, petat Confeſſarius aliquod peccatum ſibi recenſeri ex præcedenti vita; ſi verò nunquam adhuc confeſſus eſt, aut nullum peccatum in ſpecie dicere poſſit, proponat ipſi interrogando aliqua in ſtatum ipſius facilè cadentia; ſi etiam ſic nullum reſcire poteſt, videat ſaltèm, an ex incuria examen debitum intermiſerit? ſi ità, petat, an ſaltèm de hac incuria doleat, & ſi non judicat abſolutè abſolvendum, abſolvat ſub conditione. Si verò nec hoc obtinere poſſit, dimittatur recitatô *miſereatur*, & data benedictione, quod Gobat tr. 7. n. 430. ſæpe utile eſſe cenſet, ut metu negandæ abſolutionis alia vice meliùs conſcientia diſcutiatur. Addit La Croix l. 6. p. 2. n. 1808. experientiâ compertum eſſe rudem omnia peccata negantem ſæpe neceſſaria neceſſitate medii ignorare. Ut proindè ad Confeſſionem diſponatur, in his priùs erudiendus eſt.

Q. 10.

Digitized by Google

Q. 10. *Quomodo rudis, puer, aut puella in-* 35.
duci poſſit ad dolorem? ℟. Optimum rurſus modum eſſe per interrogationes. Interroget proindè Confeſſarius, quorſum veniant peccatores, poſt mortem? facilè audiet, vel procurabit reſponſum: ad Infernum, vel Purgatorium. Hoc obtento quærat porro; quid ibi patiantur? reſpondebit non difficulter: ardent, & uruntur. Pergat quærendo: velléſne tu etiam mi fili ad hunc ignem venire? reponet: nollem. Hìc breviter ipſi explicet, quomodo illum ignem, Deum ſuis peccatis offendendo, ſit promeritus, & ubi hoc ceperit, interroget: an doleat, quòd Deum offenderit, & offendendo tantum malum ſibi promeritus ſit? audiet: doleo. Eodem modo interrogationes formare poterit de Cœlo amiſſo, vel ſibi ad tempus præcluſo; ac ità modo alterutro diſponet talem rudem ad attritionem pro Sacramento ſufficientem. Ut verò etiam ad contritionem diſponat, ſi capacitatem obſervat, interroget eum, quis illum creaverit, & vitam ipſi dederit? quis ſanguine, & morte ſua eum redemerit? quis eum in vita conſervet? alimenta, & reliqua neceſſaria ſuppeditet? quis illum poſt hanc vitam velit æternùm felicem in cœlo reddere? audiet: Dominus Deus. Pergat: fuitne ergo tam bonus Dominus, qui tanta tibi bona fecit, & facere paratus eſt, omnino dignus, ut eum non offenderes? dicet:

omnino

omnino. Proſequatur: Doléſne proindè, quòd tam malus, tam ingratus erga illum fueris? dicet: doleo ex corde. His obtentis declaret illi pauliſper, quomodo hic Dominus in ſe ſummè bonus, & propter ſuam ſummam bonitatem, perfectionem, & præſtantiam, quâ omnibus creatis bonis præſtat, amore ſit digniſſimus, etiamſi nec peccata Infernô puniret, nec bonam vitam Cœlo prœmiaret. Et exquirat: an ſi nullus Infernus, nullum Cœlum eſſet, tam bonum Deum, tantum Dominum amare vellet, & non offendere? ſi reſpondet: vellem, diſpoſitione hac obſervata demum percontetur: ergo etiam doleres, & doles te illum offendiſſe, tametſi Cœlum non ſperares, nec Infernum metueres? Si ex corde obſervatur reponere: dolerem, & modò doleo, habetur fructuoſus æquè, ac ſolatioſus facilis induſtriæ ſcopus.

86. Q. 11. *Quomodo rudis, puer, aut puella ad explicitum propoſitum, prout expedit, induci queant?* ℞. Procurato in ipſis per interrogationes dolore interroget Confeſſarius non tantùm in communi, ſed in particulari de notabilioribus peccatis recenſitis: an impoſterum eundem Deum, quem, ſeu attritus, ſeu contritus, ſe offendiſſe dolet, offendere velit? ſi dicat ex corde: nolo. Habet intentum. Si verò ex circumſtantiis quibuſdam adverteret verbotenus tantùm emendationem proponi, ſignum erit doloris

tris nequaquam ſerii. Unde ad hunc diſponendus eſt, ut propoſitum hoc conſequatur; ſi verò de plenitudine dubium remanet, nec plùs obtineri poſſit, vel in aliud tempus foret differendus, vel ſub conditione abſolvendus. Porrò ad deterrendum rudes à peccato convenientiſſimum eſt deformitatem peccati illis ob oculos ponere, quòd videlicet illo anima tam deformis reddatur, ac ipſe dæmon. Itèm inculcare ipſis timorem DEI, qui inſtar ſolis ubique præſens eſt, vidétque ipſas etiam malas cogitationes, puniturus peccatum grave Inferno, leviſſimum etiam Purgatorii igne; bonis verò, & peccata vitantibus gloriam in Cœlo collaturus.

ARTICULUS II.

De Munere Confeſſarii indiſpoſitorum ob inſufficientiam examinis.

Q. 1. *An Confeſſarius obligetur ad obſervandum: an pœnitens ante Confeſſionem conſcientiam ſuam rite examinaverit?* ℟. Affirmativè. Ratio eſt: cùm enim univerſim Confeſſario incumbat obſervare ea, quæ ad valorem Sacramenti neceſſaria ſunt; tenetur etiam in particulari obſervare: an pœnitens per conſcientiæ diſcuſſionem ad Confeſſionem ſe præparaverit, ſinè qua, ob gravem negligentiam prætermiſſa, Sacramentum hoc invalidum redditur. Ut contra 37.

Henriquez, Sotum, Victoriam rectè docet Laym. l. 5. tr. 6. c. 9. n. 1. & cum eo Gabr. Vaſquez, Major, Coninck &c. Ratio etiam eſt: quia *formalis* integritas eſt de eſſentia Confeſſionis; hæc autem non habetur examine per negligentiam deficiente: cùm vel hæc ipſa culpabilis negligentia, vel aliud peccatum ex culpabili ignorantia ad negligentiam hanc conſequens culpabiliter omittatur. Unde quia tali caſu Confeſſio eſt nulla, tota Confeſſio præcedens in Confeſſione ſubſequa manet iteranda.

38. Q. 2. *Quo jure diſcuſſio conſcientiæ ante Confeſſionem præcipiatur?* ℟. Jure poſitivo Divino: licèt enim in Sacris Literis expreſſa mentio de hac diſcuſſione non habeatur; quia tamen in illis integritas Confesſionis præcipitur *expreſſe*, *implicitè* etiam præcipitur neceſſarium medium ad illam, quale eſt debita conſcientiæ diſcusſio. Deſumitur id ipſum etiam ex Trid. Seſſ. 14. de S. Pœnit. Sacram. c. 5. ubi ſic: *Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri.* Et Can. 7. ejusdem Seſſ. *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure Divino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur ---- anathema ſit.*

Q. 3.

Q. 3. *An omnes omnino præcepto hoc conſcientiam diſcutiendi ante Confeſſionem obſtringantur?* ℞. omnes obſtringi tribus caſibus exceptis, quorum primus eſt, quando Confeſſionis neceſſitas urget, nec ſpatium temporis citrà periculum, nè Confeſſio omittatur, haberi poteſt, ùt fit in repentino mortis periculo e. g. prælii, naufragii &c. quo caſu dicere ſufficit, quod occurrit, ùt tradit communis. Secundus eſt, quando pœnitens vel ob ruditatem, vel ob nimiam ex ſcrupulis anxietatem ſe diſcutere nequit, quo caſu defectum ſupplebit Confeſſarius, pœnitens verò paratus eſſe debet ad fideliter reſpondendum. Suar de Pœnit. D. 22. Sect. 11. n. 5. Ubi etiam monet, nè pœnitentes prætermittant examen, cùm illud ipſis moraliter eſt poſſibile, nec imparati ad Confitendum accedant eò, quòd ſciant defectum à Confeſſario ſupplendum. Rationem dat: quia, præſertim ſi Confeſſiones poſt longum tempus fiant, ferè impoſſibile eſt, ut repentè interrogati, & nulla præhabita recogitatione eorum recordentur; ac indè, quia Confeſſarius, velut divinando interrogans, omnia peccata non attingit, facillimè, ſaltèm quædam, intacta pœnitentis culpâ remanere poſſunt. Tertius eſt, quando pœnitens meritò præſumere poteſt ſe nullo mortali eſſe contaminatum. Suar. cit. n. 1. Ratio eſt: quia cùm venialia confiteri ſimpliciter non teneatur, non violabit 39.

integritatem Confeſſionis, tametſi non diſcuſsâ conſcientiâ aliqua venialia remaneant occulta. Colligitur etiam ex Trid. Seſſ. 14. de S. Pœn. Sacram. c. 5. ubi ſic: *Conſtat enim nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm ut pòſtquàm quisque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & DEum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit.* Gobat tr. 6. n. 416. alios duos caſus addit, quorum primus eſt, ſi quis unâ, alteráve horâ poſt Confeſſionem in mortale relabatur. Secundus, ſi quis quotidie annotet, in quibus die quovis deliquit, quo caſu non nisì ab ultimo examine dies ultimus manet diſcutiendus.

40. Q. 4. *Quæ diligentia ad hoc examen requiratur?* ℞. cum Suar. cit. n. 3. Gob. n. 284. Stoz l. 1. p. 1. q. 1. a. 2. n. 7. Regin. l. 4. c. 2. n. 8. non requiri *ſummam*, ſed ſufficere *mediocrem.* Nec obſtat, quòd hoc negotium ſit ſummi momenti, adeoque ſummâ diligentiâ dignum. Rationem dat Stoz cit. quia in legibus poſitivis non ſola rei dignitas ſpectatur, ſed etiam, & quidem præcipuè, posſibilitas, & Legislatoris voluntas; Chriſtus autem hujus Sacramenti Author non voluit tam grave onus imponere, ſed communi hominum fragilitati ſe accommodare. Porrò *mediocrem diligentiam* communiter Doctores cenſent adeſſe tunc, quando tanta adhibetur, quantam viri pruden-

tes

tes adhibere ſolent in negotiis magni, non ſummi momenti; meliùs tamen eam explicat idem Stoz n. 11. videlicet tunc cenſeri eſſe mediocrem, quando pœnitens ſuppoſitâ notitiâ (in ignotum enim id examen non cadit) præceptorum DEI, vel Eccleſiæ, contra quæ peccare potuit, juxta ſtatûs ſui conditionem mentis oculos accuratè reflectit ad omnem præteriti temporis decurſum de die in diem, de hora in horam luſtrando, quid cogitare, dicere, & agere ſit ſolitus. Quod ſi præſtitit quieſcere poteſt, tametſi putaret aliqua adhuc fortè menti fuiſſe occurſura, ſi accuratiùs ſe inſpexiſſet. Quia autem omnes dies, dum à longiore tempore nulla eſt facta Confeſſio, magis omnes dierum horas percurrere arduum omnino eſt, & ſæpe moraliter impoſſibile, ait tria tempora inſpicienda, videlicet 1mò: unum diem feſtum. 2dò: diem unum profeſtum; ex his enim facilè occurret, quid aliis ſimilibus diebus facere conſueverit. 3tiò: dies extraordinarios, ùt itinerum, nuptiarum, conviviorum &c. ubi peculiares peccandi occaſiones occurrere potuerunt.

Q. 5. *Quod ſignum Pœnitens habere poſſit diligentiam ſufficientem à ſe nequaquam fuiſſe adhibitam, ac ideò Confeſſionem iterandam?* ℞. rationabile ſignum adeſſe tunc, quando poſt Confeſſionem plura peccata mortalia memoriæ occurrunt, quàm in Confeſſione fuerint explicata. Itèm quando inter hanc, 41.

& præcedentem Confeſſionem interceſſerit tempus breve, & tamen unum, alterúmve mortale advertitur omiſſum: ſi enim tempus à præcedenti Confeſſione debitè fuiſſet diſcuſſum, facilè omnino omiſſa hæc peccata incidiſſent. E contrà ſi tempus intermedium longum fuit, & incidat poſt Confeſſionem unum tantùm, vel alterum peccatum pluribus in Confesſione explicatis, ſignum eſſe poteſt diligentiam ſufficientem fuiſſe adhibitam.

42. Q. 6. *An omnes pœnitentes ad æquale examen obligentur?* ℞. cum Suar. cit. n. 3. & communi Negativè. Ratio deſumitur ex majore, vel minore pœnitentium indigentia. Unde Segneri in Inſtructione Pœnitentis c. 2. bene ait: minus ab eo ſtudium requiri, qui crebriùs, quàm qui rariùs Confeſſionem frequentat; ad minorem quoque obligari diligentiam, qui paucioribus, quàm qui pluribus oneratus eſt noxis; facilius ſe expedire, qui à negotiis liberi vivunt, quàm qui iisdem vitam agunt intricatam. Denique ad tantam non teneri, qui vel ignorantiâ laborant, vel hebetioris ſunt ingenii, quàm perſpicaces, & literis exculti. Ex quo etiam liquet certum quoque temporis ſpatium univerſaliter pro examinando ſtatui non poſſe, ſed tantum eſſe inſumendum, quantum quisque pro ratione ſuæ perſonæ, & conditionis judicaverit ſufficere ad peccata, quæ, ab ultima Confeſſione debitè

bitè peracta, commiſit, in memoriam revocanda.

Q. 7. *De quibus examen à pœnitente ſit inſtituendum?* ℞. primam curam referendam eſſe in inveſtiganda peccata mortalia tum cogitatione, tum verbo, tum opere, tum omiſſione commiſſa. His agnitis inveſtigandum eſt in circumſtantias ſpeciem mutantes, ac demum in numerum. Ratio eſt: quia hæc ſunt materia neceſſaria, quâ culpabiliter non poſitâ Confesſio eſt nulla. 2da cura referenda eſt in veſtiganda peccata venialia graviora ſaltèm, moleſtiora, & frequentiora; nam & iſta, licèt non ſint materia neceſſaria, *rectè tamen, & utiliter in Confeſſione dicuntur*, ùt loquitur Trid. Seſſ. 14. de S. Pœnit. Sacr. c. 5. Prætereà ſunt materia ſufficiens ad obtinendam abſolutionem, & participandum Sacramenti fructum, etiam tunc, dum nullum occurrit mortale, quòd clavibus ſubjici poſſet, aut deberet. 3tia cura referenda eſt in inveſtigandas imperfectiones, & tentationes: licèt enim puræ imperfectiones non ſint materia ſufficiens: quia tamen ſæpe ſæpius puræ non ſunt, ſed cum veniali peccato connexæ, utiliter quoque in Confesſione explicantur, ut à minoribus etiam nævis conſcientia liberetur: tentationes verò (intellige quibus aſſenſus præſtitus non eſt) ſalubriter etiam manifeſtantur, ut mediis à Confeſſario præſcriptis animus pœnitentis tantò ampliùs 43.

 obfir-

obfirmetur. In his tamen, uti etiam imperfectionibus inveſtigandis cavenda eſt nimietas, in explicandis verò cavenda eſt prolixitas, illa: quia perfacilè anxietatem parit, hæc: quia forum Sacramentale odioſum, & grave reddit. Vide dicta parte 1. c. 2. a. 2. §. 4. uti & §§. ſequentes, ex quibus examinans regulas habere poteſt ad dignoſcendum peccatum mortale, & veniale ad circumſtantias ſpeciem mutantes, & numericam multitudinem. Itèm ad dignoſcendas circumſtantias aggravantes, & minuentes, quas ibidem non neceſſariò explicandas eſſe inſinuatum eſt. Ratio deſumpta eſt à ponderoſa authoritate, aliam hìc annecto ex Stoz l. 1. p. 1. q. 1. a. 7. n. 86. quia ſententia hæc benignior eſt: in iis autem, quæ ad animarum ſalutem, pacem, & tranquillitatem faciunt, eámque fovent, benigniora ſunt amplectenda, & horror mitigandus. Non nego tamen eas pro quorundam aſſecuratione recenſeri poſſe. De Numero adhuc

44. Q. 8. *Quid agendum conſcientiam diſcutienti, ſi in numerum certum, & determinatum devenire nequeat?* ℟. Inveſtigandum eſſe in vero-ſimilem, & hunc in Confeſſione explicandum non ùt certum, & determinatum, ſed cum particulis: *plùs*, *minùs*, vel: *circiter*, *præterpropter*. Pro hoc autem requiritur, ut numerus hic credatur nec multò ſuperior, nec multò inferior numero certo; quod

quod ſi factum eſt, opus non erit Confeſſionem iterare; tametſi poſt Confeſſionem occurreret numerus certus, aliquantum ſeu major, ſeu minor. Si verò in Confesſione dictus eſſet numerus certus, & dein major occurreret (in quod tamen novo examine inquirendum non eſt ſuppoſitâ mediocri diligentiâ adhibitâ) ille exceſſus in Confeſſione ſubſequa erit explicandus.

Porrò magnitudo exceſsûs variè determinatur ab Authoribus. Optima regula eſt communis prudentium exiſtimatio, & conformiter huic magnus exceſſus foret, ſi dixiſſes: blasphemavi circiter decies, ſi poſtmodùm te deprehenderes vigeſies blasphemâſſe. Unde obſtrictus eſſes in Confesſione ſubſequa exceſſum decem blasphemiarum confiteri: cùm, ùt loquitur Stoz. cit. n. 99. ex conſueta ſignificatione, & uſu prudentûm illa verba: *plùs*, *minùs*, *circiter*, *præterpropter*, ultra novem ſe non extendant. Quod adſtruere videtur ob regulam paulò antè à ſe datam videlicet exceſſum ſpectandum eſſe quantus ſit *abſolutè*, & *in ſe*, non verò *reſpectivè* tantùm, & *comparativè* ad numerum explicatum magnum, vel parvum. Videtur ergo aſſerere numerum decem peccatorum exceſſum eſſe magnum, quantuscunque ſit numerus explicatus, per conſequens, ſi dixiſſes blasphemavi circiter millies, & occurrat facta confesſione te millies, & decies blasphemâſſe, exceſſum 45.

hunc in ſubſequa Confeſſione explicandum eſſe. Laudo equidem ùt valde ſecuram hanc ſententiam, valde tamen etiam probabilem, & magìs favòrabilem, nec in praxi inſecuram eam eſſe affirmo, quæ cenſet exceſſum *reſpectivè* conſiderandum, ac ſi levis ſit reſpectu numeri explicati, tametſi in ſe magnus foret, in ſubſequa Confeſſione non curandum. Proinde levis cenſeretur unum reſpectu quatuor, vel quinque, duo reſpectu decem, tria reſpectu viginti, novem, vel decem reſpectu centum, triginta reſpectu mille. Ratio eſt: quia dum pœnitens diu non confeſſus, & peccato alicui ſpecialiter irretitus computat nùmerum ſecundùm actus per diem circiter commiſſos, putátque actus circiter 17. per diem commiſſos, ubi tamen reipſa commiſit 20; numerus ternarius, quo exceditur numerus 17, exceſſus non eſt magnus; ſic de altero, ſic de tertio die, ſic de reliquis diebus; ergo hos diurnos exceſſus inſimul computando magnus etiam èxceſſus non cenſebitur, ſi ſe putet blasphemâſſe *v.g.* toto anno millies; cùm revera millies, ac trigeſies, vel etiam quadrageſies blasphemaverit. Cur enim computando putare ſatìs ſit: ſingulis anni diebus decies ſepties, vel ſæpius circiter blasphemavi, & non ſatìs ſit putare toto anno circiter millies blasphemavi; licèt millies, & trigeſies blasphemaveris?

Q. 9. *An peccata per examen cognita, nè in Confeſſione memoriâ elabantur, ſcripto ſint annotanda?* ℞. Cum communi utile quidem id eſſe, ac conſulendum; obligatio tamen non eſt id faciendi ſaltèm reſpectu illius, qui firmæ memoriæ ſe eſſe novit. 1mò juxta Suar. de Pœnit. D. 22. n. 10. Coninck D. 7. & 9. n. 22. Reginald. &c. etiam, cùm quis memoriam labilem in ſe comperit. Ratio eorum eſt: quia ſufficit moralis, mediocris, & ordinaria diligentia peccata in memoriam revocandi; ad maximam autem, & extraordinariam nemo tenetur. Verùm hac in parte probabilius mihi videtur oppoſitum, ſaltèm reſpectu illius, qui experientiâ novit à ſe identidem peccata in memoriam revocata, cùm confitetur, ob memoriæ labilitatem omitti. Ratio eſt: quia in tali ceſſat finis examinis requiſiti, qui eſt, ut peccata clavibus ſubjici poſſint, quem finem ſe non conſecuturum novit, niſì peccata ſcripto annotet. 2dò: quia ſcripto peccata à tali annotari mediocrem, & ordinariam, conſuetámque hominibus memoriæ labilis diligentiam non excedit: ſiquidem tales etiam in minutis negotiis, nè quædam memoriâ, ubi recolere opus fuerit, excidant, ſcripto ſibi eadem conſignare ſueverunt. 3tiò: quia ex ſententia oppoſita ſequeretur ſatisfacere illum, qui ſciens, quòd confitendo nullius, aut paucorum peccatorum è multis in examine cognitis recordetur, eadem, 46.

dem, cùm citra periculum ſcripturæ deperdendæ eorúmque revelandorum, aut aliud grave incommodum fieri poteſt, ſibi ſcripto non conſignaret. Quod omnino difficile eſt aſſertu: præſertim ſi combinetur communis ſententia, quâ nemo à naturali integritate Confeſſionis excuſatur, nisì quem phyſica, aut moralis neceſſitas excuſat, quarum neutra debilis memoriæ pœnitentem excuſat: cùm ſcripto peccata annotare non tantùm alterutro modo impoſſibile non ſit, ſed plerumque admodùm facile.

47. Q. 10. *Quæ peccata in diſcuſſione Conſcientiæ manere ſoleant occulta?* ℟. 1mò quæ ex culpabili ignorantia procedunt, qualis eſt: cùm homo non ponderat obligationes ſui ſtatûs; non petit, vel admittit, à quibus capere poteſt, conſilium &c. Peccata ex tali ignorantia procedere ſolita ſunt majore ex parte peccata omiſſionis, ùt omiſſio eorum, quæ ſcitu ſunt neceſſaria, tum ad credendum, tum ad debitum Sacramentorum uſum; itèm omiſſio debiti conatûs in extirpandis pravis conſuetudinibus jurandi, blasphemandi &c. Quem conatum bene multi nihili, aut parvi faciunt; cùm tamen ad eum graviter obſtringantur.

48. 2dò occulta pariter manere ſolent peccata, quæ ex culpabili inadvertentia procedunt, & proximi charitatem lædunt; cujus præcepta præcipuè in his quatuor conſiſtunt, videlicet in dilectione inimicorum, in

in eleemoſyna, in correctione fraterna, in evitando ſcandalo, contra quæ multi peccant, nec de peccato ſe accuſant, non exhibendo nimirum cōmunia charitatis ſigna, non ſubveniendo graviter indigis, non corrigendo proximum, cùm facilè poſſunt, inducendo alios ſeu verbo, ſeu facto, ut peccent.

3tiò: Sunt peccata varia varios ſtatus concernentia; ſic in matrimonio conſtituti non pauci peccant incurii peccatorum, dum rem familiarem dilapidant, nec prolibus provident: dum easdem proles pravè vel negligentiâ ſuâ, vel malo exemplo educant, familiæ licentiam peccandi indulgent, ad peccata urgent, vel peccantes non corripiunt, famulis, & ancillis ſalarium juſtum denegant &c. Sic quoque cum incuria peccant multi negotiatores, dum merces corruptas fallaciter vendunt; dum exceſſivo pretio merces diſtrahunt; dum merces alteri injuſtè ablatas comparant; dum merces malas bonis commiſcent; dum pondere, aut menſurâ iniquâ utuntur; dum mentiuntur, & pejerant ſe pretio leviſſimo merces vendere &c. Sic etiam peccant tutores iniquè, & in damnum pupillorum cum eorum rebus diſponendo, Advocati iniquas cauſas defendendo, cauſas, ut plus ſolutionis obtineant, protrahendo &c. Judices munera acceptando, & non offerentium cauſas negligendo, proceſſus ſupprimendo, 49.

do, &c. Luſores artis luſoriæ ſe imperitos ſimulando, tempus ſaluti debitum luſu perdendo &c. Juvenes denique cogitationes turpes, deſideria, velut peccata non eſſent, contemnendo, ad occaſiones peccandi ſe immittendo &c. De quibus plura in Methodo munus Parochi rite obeundi. Vigilem proindè circa hæc, & ſimilia Confeſſarium eſſe convenit, ut, ſi quod ex iis in pœnitente occultum remanere prudenter judicat, interrogando manifeſtari faciat.

Ad facilitandum interrogandi laborem annecto interrogatorium circa ſingula præcepta, non quidem eo fine, ut de omnibus interrogentur omnes, & ſinguli; ſed ut obſervato pœnitentis ſtatu ea Confeſſarius in promptu habeat, quæ in ſtatum illius facilè cadere poſſunt.

50. Cæterùm, dum ex circumſtantiis colligitur interrogatione opus eſſe, univerſales quæſtiones eſſe poſſunt: an pœnitens conſcius ſibi ſit de defectu ſubſtantiali in priore Confeſſione admiſſo? 2dò: Quando ultimò ſit confeſſus? 3tiò: an inimicitiam geſſerit? 4tò: an nihil poſſideat alienum? &: annon alteri in aliquo nocuerit? 5tò: an nihil ſuperſtitioſum habuerit? 6tò: an ſi conjugatus eſt, bene cum conjuge conveniat? 7mò: an cogitationibus inhoneſtis infeſtatus ſit? 8vò: an die feſto Sacrum omiſerit? 9nò: an juraverit, vel blaſphemaverit?

rit? 10mò: an ex animo de peccatis doleat, & emendare ſe proponat?

ARTICULUS III.

Interrogatorium ad interrogandi (uti & examinandi) laborem facilitandum.

MOdi tum conſcientiam diſcutiendi, tum pœnitentes interrogandi à variis varii proponuntur. Placet ex his, quem tradit Segneri in Inſtructione Pœnitentis ad finem, eò vel maximè, quia non tantùm præcepta ſingula, quod etiam alii paſſim faciunt, ſed cogitationes quoque, verba, & omiſſiones, quæ præceptis ſingulis contrariantur, quæque ab aliis aut promiſcuè, aut parùm attinguntur, quæ inſuper pœnitentium non pauci velut peccata non forent, conſcientiæ ſibi non ducunt, ſingillatim, ſuccinctè, & accuratè proponit. Quapropter hunc annectere hìc libet, ùt ſequitur. 51.

Præceptum I.

COGITATIONE.

AN habueris cogitationes contra fidem, iiſque voluntariè fueris immoratus, aut ſaltèm in iis repellendis negligens extiteris? An nimis curiosè ſcrutatus fueris Divina Myſteria? An diffidentiam habueris circa Dei miſericordiam, aut nimiùm præſumendo de illa peccaveris? An voluntatem habue-

bueris peccandi tam diu, quàmdiu poſſes, ac tum te convertendi ſub vitæ finem? An tuo nimiùm innixus fueris ingenio, atque dexteritati? An fidem tribueris ſomniis?

VERBO.

An contra Deum murmuraveris tempore afflictionis? An docueris aliquam ſuperſtitionem? An te ipſum vanè laudaveris? An gloriatus fueris de aliquo peccato? An alterum reprehenderis ob virtutis ſtudium, aut quòd vindictam ſumere noluerit, & quòd obſervantior ſit præceptorum DEI? An pravo conſilio bonum aliquod impedire ſtudueris?

OPERE.

An uſus fueris rebus ſuperſtitioſis, veluti circumferendo characteres adversùs vulnerationem? inveſtigando vias perveniendi in rerum occultarum cognitionem? applicando medicinas, quæ vim naturalem non habent ſanandi? An legeris libros prohibitos, aut eos aſſervaveris, absque licentia? An averſionem oſtenderis à bonis operibus, aut cum tædio ſermones pios audiveris, aut in oratione, cæteríſque ad Dei cultum ſpectantibus fueris negligens? An pecuniam numeraveris, vel acceperis pro Beneficio Eccleſiaſtico?

OMISSIONE.

An negligens fueris in addiſcendis myſteriis Fidei, & doctrinæ Chriſtianæ? An confugere in tentationibus, & animæ periculis

culis ad DEI opem implorandam omiſeris? An ingratum te Deo præſtiteris ob accepta beneficia? An bonam intentionem tuis operibus adhibere intermiſeris? an ex reſpectu humano bonum quid facere recuſaveris? An quempiam ad ſacram inquiſitionem, (ubi obligatio urget) deferre neglexeris, qui id juxta edicta fuerat promeritus?

Præceptum II.

COGITATIONE.

AN habueris voluntatem jurandi falſo? Item blaſphemandi?

VERBO.

An blaſphemaveris Deum, Beatiſſimam Virginem, aut Sanctos? An ſacris Nominibus uſus fueris pronuntiando absque reverentia? An verba Sacræ Scripturæ ad jocos adhibueris: An juraveris ſinè neceſſitate? An juramentum feceris ſumendi vindictam, aut aliud malum committendi? An juramento rem promiſeris, animo non implendi?

OPERE.

An induxeris ad jurandum falsò, aut occaſionem dederis blaſphemandi?

OMISSIONE.

An votum non impleveris, aut in eo exequendo negligens fueris? An diu diſtuleris eidem ſatisfacere?

Digitized by Google

Præceptum III.

COGITATIONE.

AN decreveris non intereſſe Miſſæ Sacrificio, aut opus ſervile facere die feſto?

VERBO.

An in Templo tempore Miſſæ, & Officii Divini garriveris?

OPERE.

An laboraveris, aut alios ad laborem impuleris ſinè neceſſitate diebus feſtis, & quanto tempore? An debitam reverentiam non ſubtraxeris hominibus Eccleſiaſticis, aut Eccleſiæ, veluti laſciviendo, procando, verbis, aſpectibus, tanquam in foro publico? An violaveris præceptum jejunium absque legitima cauſa ſive ætatis, laboris, aut infirmitatis? An diebus feſtis tempus conſumpſeris jocis, & in cauponis? An fueris ebrius? An nimiùm, & ſupra neceſſitatem comederis, aut nimia aviditate? An incurreris aliquam Cenſuram? An ſuſpenſus actum proprium Ordinis exercueris? An extra caſus exceptos egeris cum Excommunicatis non toleratis?

OMISSIONE.

An non impedire neglexeris ſubditos ab opere faciendo diebus feſtis? An Miſſam neglexeris audire ex negligentia? An ſinè neceſſaria diſpoſitione ſuſceperis aliquod Sacramentum, aut ſaltèm absque præparatione, & devotione? An orationes inattentè

tè perſolveris, maximè ad quas eras obligatus, utì pœnitentiam in Confesſione præſcriptam? An ex pigritia intermiſeris aliquod pium opus, veluti audire Concionem, legere librum ſpiritualem, & adire Veſperas.

Præceptum IV.

COGITATIONE.

AN odio proſecutus fueris Patrem, vel Matrem, tuósque Majores, aut eos mori deſideraveris? An eos temerè judicaveris, aut in animo contempſeris?

VERBO.

An non contra abſentes murmuraveris, aut præſentibus maledixeris, aut comminatus fueris? An eos per injuriam contempſeris? An iſta in alios domeſticos exercueris?

OPERE.

An ſinè reſpectu manum levâris ad percutiendum, aut alia ratione graviter illos contriſtaveris? An ipſis inobediens fueris circa ea, quæ ad diſciplinam, bonósque mores pertinent? An luſeris contra eorum voluntatem? An ſinè eorum licentia quidpiam domi ſubduxeris? An contemptui habueris Sacerdotes, Religioſos, Superiores, Senes, & Magiſtros? An invitos filios, & filias matrimonio illigaveris? An eos Religioſum ſtatum coëgeris ſuſcipere, aut alia ratione ipſos ſua libertate privaveris, quam habent eligendi ſtatum?

Digitized by Google

OMISSIONE.

An non negaveris parentibus in gravi neceſſitate conſtitutis, auxilium? An ægrotantes deſerueris? An ipſis inconſultis, uni matrimonium ſpoponderis? An uxori, & familiæ neceſſariam ſuſtentationem procurare neglexeris? An liberos, & ſubditos in timore Dei educaveris? ad templum, & doctrinam Chriſtianam addiſcendam miſeris? An orare docueris? An illorum vitam habere perſpectam, eóſque corrigere, atque honeſtè occupare ſtudueris?

Præceptum V.

COGITATIONE.

AN habueris voluntatem te ulciſcendi? An optaveris mortem, aut aliud grande malum proximo, aut de eo fueris gaviſus? An alteri invideris? An ex aliena laude, ejúſque proſperitate, triſtitiam conceperis? aut lætatus ſis ejus injuriis, & damnis?

VERBO.

An in adverſitatibus fueris impatiens? An tibi imprecatus ſis mortem aut ut dæmon te abripiat? aut alteri talia optaveris? An alteri ſuaveris vindictam, eíque conſenſeris, aut factam approbaveris? An abſentem vel præſentem injuriâ affeceris? An maledixeris? An pauperem aſperis verbis faceſſere juſſeris? An limites juſtæ correctionis exceſſeris, cholerâ magìs, quàm charitate incitatus?

OPE-

Digitized by Google

OPERE.

An te ſinè neceſſitate commiſeris periculo vitæ, aut peccandi? An tibi ipſi potu, & cibo nocueris? An injurias ultus ſis? an aliquem percuſſeris, vel etiam vulneraveris? An rixas concitaveris, aut inimicitias foveris, & injuſtam litem moveris? An malum præbueris exemplum aliis, aut te oppoſueris bene operantibus, & improbos defenderis, veluti homicidas, & prædones? An officio functus ſis Medici, Doctoris, Advocati, cum præjudicio proximi, impar tali muneri? An ineptos promoveris ad ejusmodi functionem? An indignos ad beneficia Eccleſiaſtica, præcipuè quibus animarum cura annexa eſt, tuo ſuffragio evexeris?

OMISSIONE.

An correxeris proximum tuum, & ſalutari conſilio prodeſſe ſtudueris, quando poteras? An veniam inimico impertitus ſis petenti? An eam ex arrogantia poſtulare fueris dedignatus? An ſatisfeceris ei, quem læſiſti? An reſalutaveris inimicum tuum? An primus eum ſalutaveris, licèt offenſus?

Præceptum VI. & IX.

De peccatis adversùs hæc duo præcepta ità loquitur.

IN exponenda hac materia non diu morabor, quia picis inſtar, quomodocunque tractetur, inquinat. Qui duo hæc præcepta

 violat,

violat, facilè agnoſcet ſuos errores: qui eadem ſanctè obſervat, tutum non eſt, ut doceatur. Unum hoc monebo, peſtem hanc eſſe, quæ totum hominem inficit; ſi proindè ab eadem afflatus fueris, ſedulò ſerutare tres potentias, memoriam, intellectum, & voluntatem. Perluſtra ſenſus omnes, præſertim viſûs, & auditûs, & quàm maximè attactum. Inſpice cogitationes, verba, & opera. Diſcute ſomnia, an evigilans iis aliquem dederis conſenſum? Vide, an ad peccandum ſolicitaveris quempiam? An operam tuam aliis ſuppeditaveris portando ultro, citróque literas? An tibi, aliíſque fueris peccandi auctor inhoneſtis libris, cantilenis, impudicis geſtibus, actione ſcenica, choreis, aut quacunque alia exempli pravitate? Inquire: an non mala intentione corporis cultum quæſieris? an non malo fine templa frequentaveris? an non tempore tentationis mentem ad Deum elevare omiſeris? Illius te hoc loco meminiſſe velim, quod ſuperiùs monui, quòd in hoc peccati genere duæ ſint manifeſtandæ circumſtantiæ, ſtatus videlicet perſonæ, cum qua peccatur, & locus ſacer, ſi intrà ipſum flagitium perpetratur. Denique in hac materia nullum defectum pro levi habeto. Cloaca eſt, cujus nullus non halitus peſtilens eſt, & contagioſus, omnis, inquam, delectatio plenè voluntaria, lethaliter culpabilis.

Pra-

Præceptum VII. & X.

COGITATIONE.

AN habueris voluntatem alteri quidpiam furandi, aut proximum fallendi, vel non ſolvendi debitum ? An nimiùm ſtudueris ex avaritia accumulandis opibus ?

VERBO.

An mendacio quidqiam fueris lucratus, aut falſis juramentis ? An conſilio, approbatione, damnum proximi adjuveris ?

OPERE.

An litem injuſtè alteri intenderis ? An rem furto ſublatam tuam feceris, aut ab eo comparaveris, qui non habuit poteſtatem alienandi: aut juſto minus numeraveris pretium ? An luſeris cum filiofamilias ? An inter ludendum fraudibus, aut in vendendo non æquo pondere, & menſura ſis uſus ? An merces corruptas pro bonis diſtraxeris; aut illicitâ mixturâ integras corruperis ? An uſuram exercueris ? An monetam adulteratam expenderis, aut quæ juſto caruit pondere ? An ſuperfluos ſumptus feceris, quàm ſtatui tuo conveniebat, in veſtibus, luſu, & conviviis ? An ultra pretii qualitatem exegeris, ſi emptoris fidei merces credidiſti ? An emptori mercis vitium aperueris interroganti ? An inter venandum ſementem vaſtaveris, aut alias terras fructiferas? An damnum aliud intuleris bonis proximi tui ? An ſolutionem receperis, aut tibi ipſi compen-

Digitized by Google

ſationem occultam feceris, quando debitum non erat liquidum, & certum? An quando cum ſociis negotiatus es, plùs tibi, quàm competebat, de lucro vendicaveris? An uſus ſis depoſito, vel pignore, absque tacita, vel expreſſa licentia domini? An commodata conveniente tempore reſtitueris? An fidejuſſori damnum reſarſeris? An cenſum exegeris, aut contractum inieris legibus contrarium, & æquitati, ſepoſitis doctiorum conſiliis & inſtructione? An ſucciderіs arbores fructiferas, aut alia ratione bonis proximi nocueris, quorum uſus fructûs ſolùm ad te pertinebat, pro locatione, & cenſu?

OMISSIONE.

An pactis, & promiſſis ſteteris? An laborem non fugeris, ad quem eras obligatus? An mercedem famulantium, & operariorum defraudaveris? An ſatisfeceris creditoribus? An executus ſis Legata, & teſtamenta? An rem inventam retinueris, non inquirendo in dominum? An negligens fueris in curandis pupillorum bonis, Sodalitatis, aut Eccleſiæ? An negaveris eleemoſynam extremâ, aut ſaltèm gravi neceſſitate laborantibus? An in ſimilibus caſibus, ex propriis facultatibus, commodando, & locando absque censûs exactione, opem præſtiteris oppreſſis? An damnum proximi impedire non intermiſeris, ad quod eras ex offi-

Digitized by Google

officio obligatus, vel ex charitate, quando commodè id fieri potuit?

Præceptum VIII.

COGITATIONE.

AN abſque ſufficiente fundamento, de proximo malè fueris ſuſpicatus, aut judicaveris?

VERBO.

An ſuſpicionem tuam, & judicium aliis manifeſtaveris? An alteri rem quandam, tibi in ſecreto commiſſam, revelaveris? An mentitus fueris cum damno proximi, vel citra ejus detrimentum? An verbis ambiguis alterum circumveneris? An unius defectus alteri aperueris, cui erant antea incogniti? An murmuraveris, aut murmurantibus aures præbueris, cum approbatione? an rumuſculos ſparſeris, cum præjudicio charitatis? An adulatus ſis alteri? An injuriam intuleris alteri, præſertim in dignitate conſtituto? An alterum induxeris ad falſum teſtimonium dicendum?

OPERE.

An diſcordias ſeminaveris, aut falsò quempiam accuſaveris, aut veritatem in judicio ſuppreſſeris, in favorem aut odium alterius? An calumniando obſtiteris, quo minùs alter officio, aut dignitate potiretur?

OMISSIONE.

An impediveris, cùm poſſes, murmurationes, aut alias injurias, proximo verbis

illatas? An negaveris honorem, & reverentiam iis, quibus debes?

Reliqua duo præcepta comprehenduntur in ſexto, & ſeptimo. Addit in fine: Duo ſuperſunt, de quibus te hìc in fine admoneam. Primò, non eo modo utaris his interrogationibus, ut veluti memoriæ mandatas recites ordine, quo hìc ponuntur, ad pedes Confeſſarii, ſed ſelige ea, quorum tibi conſcius es, & diſpone. Secundò, non omnia, quæ hoc loco fuerunt recenſita, pro mortalibus peccatis eſſe habenda, ſed ſolummodò ea, quæ charitatem DEI, proximi, & nos ipſos offendunt in materia gravi, plenâ advertentiâ, & judicio perfecto, ac voluntate deliberatâ. Quòd ſi diſcernere neſcias à venialibus, nihil refert; ſufficiet pro interna conſcientiæ tuæ quiete, ſi Confeſſario eâ ratione manifeſtes, quâ illa perpetrâſti.

ARTICULUS IV.

De Munere Confeſſarii indiſpoſitorum ob inſufficientiam doloris.

52. Q. 1. *An Confeſſario etiam obligatio incumbat ad dolorem in pœnitente procurandum?* ℟. Affirmativè. Ratio data eſt ſuprà: quia Confeſſarius univerſaliter curare debet, ut nihil à pœnitente intermittatur, quod ad ſubſtantiam, & valorem hujus Sacramenti ſpectat: cùm ergo dolor ex communi Eccle-

ſiæ,

ſiæ, & Doctorum ſenſu ad ejus ſubſtantiam, & valorem ſpectet, ſequitur, & hunc in pœnitente procurandum. Unde ſi ità indiſponibilis eſſet pœnitens, ut ſignum ſufficientis doloris, conatu adhibito elici ex ipſo nequiret, citra abſolutionem dimittendus foret.

Q. 2. *Ex quibus ſignis Confeſſarius poſſit verum in pœnitente dolorem dignoſcere?* ℟. juxta Reginald. l. 2. c. 5. S. 2. à n. 53. ſufficientia ſigna eſſe 1mò: ſi pœnitens pœnitentiam magni faciat, & vehementer deſideret. 2dò: ſi manifeſtet odio magno ſe peccatum proſequi. 3tiò: ſi effundat lacrymas. 4tò: ſi peccata confiteatur cum quadam amaritudine. 5tò: ſi alacriter ſuſcipiat, & multò magis ſponte petat gravem pœnitentiam. 6tò: ſi confiteatur ſyncerè peccata, & tum illa, tum occaſiones proximas proponat vitare. 7mò: ſi injurias ſibi illatas ſponte condonet. 8vò: ſi deſiderium, & propoſitum oſtendat etiam complices peccati convertendi. 9nò: ſi ſibi vileſcat, & magno deſiderio teneatur propter Deum. Addit Lohner in 5ta Inſtruct. pract. oblig. 4. Si pœnitens ſtatim ab initio dicat (intellige non perfunctoriè) ſe graviter peccâſſe, aut Deum offendiſſe. 2dò: ſi peccata in præcedente Confeſſione deliberatè omiſſa nunc confiteatur. 3tiò: ſi dicat mox poſt peccatum commiſſum ſe pœnitentiâ, & dolore tactum. 4tò: ſi dicat ad hunc diem, aut 53.

locum

locum ſe Confeſſionem ſpecialiter diſtuliſſe. 5tò: ſi dicat ſe ſæpius propoſuiſſe hoc, vel illud peccatum vitare, & dolere ſe, quòd non poſſit (ùt quidam loquuntur) abſtinere. Denique 6to: ſi dicat ex audita concione, aut adhortatione ſe eſſe permotum. Stoz l. 1. p. 2. q. 2. a. 6. n. 114. ſequentia ſigna ſtatuit 1mò ſi præſcripta media ſunt adhibita. 2dò: ſi occaſiones ſaltèm proximæ ſunt vitatæ. 3tiò: ſi numerus peccatorum ſit imminutus. 4tò: ſi pœnitens aſſerat omnino ſe dolere, & proponere: plerumque enim illi credi debet: cùm ipſe ſui ſit accuſator, defenſor, & teſtis. Rationem horum dat La Croix l. 6. p. 2. n. 1734. quia ſigna hæc manifeſtant Confeſſionem fieri non ex motivo naturali, ſed motione Divina; niſi aliud manifeſtè conſtet; motio autem Divina fundat prudens judicium de vero dolore. Monet tamen Stoz. cit. hac in re opus eſſe magnâ Confeſſarii prudentiâ, nè pœnitentem ſua ſeveritate avertat, neque etiam lenitate ſeducat, & peccet, pereátque cum illo.

54. Q. 3. *De quibus potiſſimùm dubium eſſe poſſit: an verum dolorem habeant?* ℞. De rudibus, pueris, ac puellis; itèm de habituatis, obligatis ad reſtitutionem, & conſtitutis in periculo proximo peccandi. Tales proindè, niſi ipſo confitendi modo omne rationabile dubium amoveant, ſecurius, & conſultius eſt à Confeſſario interrogari, tametſi

dicant

dicant ſe ex corde dolere, ac emendationem proponere; ut hoc pacto conſtitutio eorum meliùs dignoſcatur, & ſi defectus obſervetur, ad verum dolorem, verúmque propoſitum diſponantur. Pro rudibus pueris, ac puellis methodum dedi ſuprà art. 1. De reliquis agendum infrà. Praxim quoque veri doloris procurandi dedi parte 1. c. 2. a. 2. §. 3. q. 8. Hìc præter ibi, & §. 4. de dolore, & propoſito dicta.

Q. adhuc 4. *An veri doloris ſignum habeat Confeſſarius, ſi adoleſcens recitet Confiteor cum pectoris percuſſione?* ℞. Negativè, niſi ex aliis ſignis colligere poſſit id ab eo recitari ex vero dolore. Idem eſt de aliis formulis Confeſſioni ſeu præmitti, ſeu ſubnecti ſolitis. Ratio eſt: quia de adoleſcente tali (ſimiliter diſcurrendum de rudibus, ùt ſuprà inſinuatum eſt) Confeſſario ſaltèm perſæpe prudens dubium ſuboriri poteſt: annon *Confiteor* dicat: præcisè ex conſuetudine, velut illud recitaret miniſtrans Sacerdoti ſinè omni attentione ad ſenſum verborum. Ac proindè ſi Confeſſarius ſignum certius non obſervet, aliud obtinere conabitur, præſertim ſi formula hæc, aut alia deproperetur, vel pronuntietur latinè, & Confeſſio inſtituatur materno idiomate. Aliud ſentiendum de hominibus Religioſis, âut viris gravibus: de talibus enim rationabiliter præſumi poteſt, quòd *Confiteor* dicant, & pectus ad *meâ culpâ* cum reflexione percutiant. 55.

Q. 5.

56. Q. 5. *An ſufficientis doloris ſignum ſit: Si pœnitens dicat: maledicta peccata, quibus Deum offendi?* ℞. Affirmativè. Eſt enim ſaltèm attritio, quâ pœnitens minimùm deteſtatur offenſam ob ſui turpitudinem. Dico *ſaltèm*: Suar. enim de Pœnit. D. 4. S. 2. n. 13. Leſſius in auct. v. Confeſſio, caſu 1. Tamb. in Methodo Confeſſ. c. 1. §. 6. n. 13. cenſent hunc actum veram eſſe contritionem. Ratio eſt: quia deteſtantes peccata, quia illis Deus offenditur, ſolent apprehendere non malum pœnarum, aut amiſſæ beatitudinis, ſed malum Deo illatum, quòd videlicet eum offendendo irritaverint, indignè contra illum egerint, adverſi eidem fuerint &c. De quo fusè tractat Gobat tr. 6. à n. 99.

57. Q. 6. *An dolor ad Confeſſionem, & abſolutionem impertiendam ſufficiens ſit, quo quis dolet, quòd peccando infamiam, detrimentum in bonis temporalibus, aut bonis corporis incurrerit?* ℞. ùt receptam, ità certam eſſe ſententiam, quæ ſufficientem eſſe docet, ſi malum temporale referatur ad Deum ſcelerum juſtum Vindicem, ſive, ſi ideò pœnitens doleat, quia malum à Deo juſtiſſimè ſcelera vindicante inflictum ſubire cogitur. E contrà ſi ad Deum non referatur, inſufficiens eſt talis dolor. Ratio utriusque eſt: quia in priore caſu motivum naturale per relationem ad Deum elevatur ad ſtatum ſupernaturalem: procedit enim ex fide, quâ creditur Deus ſcelerum vindex malis etiam naturalibus ſcelera

ſcelera vindicare, nec aliæ conditiones ſuprà recenſitæ abeſſe ſupponuntur. In poſteriore autem caſu manet motivum purè naturale, adeóque deficit conditio eſſentialis.

Q. 7. *Quis dolor ſit neceſſarius ad delenda omnia tum mortalia, tum venialia?* ℞. Doloris qualitates indicatas eſſe parte 1. c. 2. a. 2. §. 4. q. 8. ubi inter reliqua dictum eſt, dolorem de mortalibus debere eſſe *univerſalem*, id eſt: de omnibus peccatis mortalibus; cùm unum ſinè altero non remittatur. Ad hoc tamen opus non eſt, ut pœnitens doleat de ſingulis ſeorſim, ſed ſatìs eſt, ſi doleat ex motivo omnibus peccatis mortalibus communi e.g. quòd Infernum ſit promeritus, Cœlum amiſerit, Deum ſummum bonum offenderit. Similiter ut deleantur per abſolutionem omnia venialia, requiritur dolor de omnibus ſic univerſalis; licèt ad valorem Sacramenti cæteroquin ſatis ſit de uno, vel altero ex confeſſis dolere, ùt docet Suar. cit. D. 20. S. 6. n. 7. cum aliis permultis ibi relatis. Ratio: quia ad hoc, ut omnia venialia deleantur, requiritur, ut omnia retractentur, quod per ſolum dolorem univerſalem fieri poteſt. 58.

Q. 8. *An dolor de peccatis elicitus, ut ſufficiat ad abſolutionem, referri ad illam debeat?* ℞. probabilem quidem eſſe *ſpeculativè loquendo* negativam, utpote gravi authoritate Lugonis, Averſæ, Reginaldi, Tamb. Gob. 59.

Stoz

Stoz &c. nixam; affirmativa tamen multò eſt probabilior, utpote præter authoritatem in urgente ratione fundata, quæ eſt: quòd niſi dolor ad abſolutionem referatur, actio doloris non fiat cum intentione Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiendi, per conſequens dici nequeat actio Sacramentalis, ſicut ablutio ſine intentione baptizandi actio dici nequit Sacramentalis. Dixi autem: *ſpeculativè loquendo*: quia ſententia hæc in praxi omnino eſt improbabilis. Patet ex 1. propoſitione inter 65. ab Innoc. XI. damnatas: cùm enim juxta hanc illicitum ſit in Sacramentis, ubi de valore agitur, ſequi opinionem probabilem tutiore relictâ; dolor verò ſit de valore, clarum eſt circa eum probabilem ſpeculativam ſententiam in praxi ſequi non licere. Kugler in Compendio Cardenæ ſuper prop. 1.

60. Q. 9. *An dolor debeat ſaltèm moraliter cum abſolutione eſſe connexus?* ℞. Cum communi affirmativè. Ratio eſt: quia partes Sacramenti debent inſimul conſtituere unum totum Sacramentum, quod fieri nequit, niſi *ſaltèm moraliter* ſint inter ſe connexæ. Dixi: *ſaltèm moraliter*; licèt enim laudabilis, & commendabilis ſit dolor coëxiſtens phyſicè Confeſſioni, & Abſolutioni: nihilominùs ad eſſentiam non requiritur. Ratio eſt: quia Sacramentum Pœnitentiæ à Chriſto inſtitutum eſt in modum judicii forenſis, in quo ſententia ſequi poteſt poſt accuſationem,

nem, proceſſum, & confeſſionem Rei. Porrò *moraliter connexus*, & usque ad abſolutionem perdurare tunc cenſetur dolor, quando abſolvendus ex vi illius doloris cenſeri adhuc poteſt pœnitere, quod fit, quando vel dolor ipſe in ſe, vel doloris effectus usque ad abſolutionem perdurat.

Q. 10. *Quantum temporis requiratur, ut dolor ſic perdurare non ſit cenſendus?* ℞. Difficile admodum eſſe hoc determinare; ac ideò varia prorſus de hoc puncto Authorum eſt opinio: aliqui enim putant dolorem cum confeſſione, & abſolutione adhuc connecti moraliter, tametſi plures anni intercedant; alii, licèt intercedant plures dies. Rationem dant: quia cùm Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum ſit in modum judicii forenſis; hoc autem in longum tempus protrahi poſſit, idem dicendum eſt de Pœnitentiæ Sacramento. Alii tamen utramque hanc ſententiam velut nimis laxam rejiciunt. Mihi videtur ſaltèm minùs tuta, cùm dolor per tantam intercapedinem temporis facillimè, & quaſi inadvertenter revocari poſſit per aliquem contrarium actum, ac ità Sacramentum fruſtrationi exponi. Præterquam quod in praxi ob ſuprà memoratam propoſitionem ab Innoc. XI. damnatam, cùm probabilitatem non excedat, omnino ſit illicita. Card. apud Kugler. in compendio ſuper prop. 1. Sequi proinde malim tutiorem, quæ cenſet unam, duas, 61.

tres, aut quatuor horas, vel ad ſummum unum diem, ac noctem moralem connexionem non deſtruere, ſuppoſito quòd dolor nullo actu contrario ſit revocatus. In hac tamen etiam intercapedine, præſertim, ſi negotia quædam diſparata e. gr. œconomica longiora interceſſiſſent, conſultum exiſtimo ſaltèm in fine Confeſſionis ſubjungere: *de his & omnibus peccatis meis doleo Deum ſummum Bonum à me per illa fuiſſe offenſum.* Ad quod etiam convenit, ut Confeſſarius, ſi obſervat dolorem longiore intervallo confeſſioni fuiſſe præmiſſum, pœnitentem diſponat.

62. Q. II. *An idem dolor extendere ſe poſſit ad abſolutiones plures?* ℟. Cum La Croix l. 6. p. 1. à n. 707. Probabiliorem quidem *ſpeculativè loquendo* eſſe affirmativam, ſi ità moraliter perduret, ut cum altera abſolutione moraliter connexus cenſeri poſſit eò nimirùm, quòd longius intervallum temporis inter dolorem, & abſolutionem alteram, vel tertiam non interceſſerit, ùt ſi pœnitens abſolutus iterum confiteatur peccatum, quod oblitus eſt, vel percepta abſolutione poſt factam in periculo e. g. mortis Confeſſionem formaliter tantùm integram, dein periculo liber materialiter integre confiteatur; vel ſi abſolutus à Superiore à ſolo caſu reſervato, dein ab alio Sacerdote à cæteris peccatis non reſervatis abſolvatur; quia tamen etiam hæc ſententia probabilitatis limites non excedit, in

in praxi oppoſita tutior eſt, ac ideò ſequenda ob eandem propoſitionem ab Innoc. XI. damnatam. Excipe; niſì dolor phyſicè, ſaltèm tenuiter, quamvìs imperceptibiliter (ut communiter evenit, quando pœnitens abſolutione percepta peccatum, cujus oblitus fuerat, poſt paululùm confitetur) usque ad alteram confeſſionem perduret: tunc enim phyſicus hic dolor moraliter eſt alius, adeoque pars alterius, non prioris Sacramenti.

Q. 12. *An dolor neceſſariò præmittendus ſit Confeſſioni?* ℞. Cum Suarez de Pœnit. D. 20. S. 4. n. 31. Lugone D. 14. S. 2. Arriaga S. 2. Tamb. Gob. Platel. &c. Negativè. Ratio deſumitur 1mò ex praxi conſcientioſorum, & peritorum Confeſſariorum, qui in pœnitente poſt enarrata peccata doloris defectum obſervantes, ad hunc illum diſponunt, nec peccata denuo recenſeri jubent, neque interrogant, an dolens iterum ſe in genere ſaltèm de iis accuſet? Ratio eſt 2dò: quia dolore etiam confeſſioni ſubnexo ſuppoſita debita intentione habentur omnes partes eſſentiales Sacramenti, dolor videlicet, confeſſio, & abſolutio. 63.

Nec dici poteſt 1mò confeſſionem tunc non eſſe Sacramentalem: quia non eſt doloroſa: nam ùt rectè probat Suar. cit. confeſſio absque dolore facta informatur, & clavibus ſubjicitur, ſi dolor eam antecedat; ergo verè eſt doloroſa. 64.

65. Nec dici poteſt 2dò dolorem tunc non eſſe ſenſibilem: ſatis enim redditur ſenſibilis, ſi vel pœnitens verbis ſe dolere manifeſtet, vel pectus percutiat, aut genuflexus abſolutionem expectet: hæc enim expectatio eſt velut continuata confeſſio. Lugo cit. ait etiam per ipſam confeſſionem dolorem reddi ſenſibilem, in quantum videlicet confeſſio imperatur ex voluntate ſuſcipiendi Sacramentum, ad quod etiam requiritur dolor. Praxim proindè peritorum Confeſſariorum etiam poſt Innoc. XI. attendens, qui dolore poſt confeſſionem à pœnitente obtento non interrogant: an ſe iterum ſaltèm in genere de peccatis recenſitis accuſet? cenſeo contra La Croix cit. n. 701. ſententiam hanc certam, ac tutam eſſe in praxi, neque ſubjectam damnationi Innocent. XI. An verò in praxi ſufficiens cenſendus ſit dolor elicitus ſub ipſam abſolutionem, cùm videlicet Sacerdos formulam abſolutionis: *abſolvo te*, pronuntiat, dubium eſt, & valde periculoſum, nè in tanta extremitate Sacramentum reddatur nullum. Unde cavendum ſummopere monet Gobat tr. 6. n. 354. nè pœnitens ad extremitatem hanc ſe redigat.

66. Q. 13. *Quandonam dolor cenſeatur revocari per peccatum ſubſequens?* ℞. Dolor de mortali revocatur per quodcunque mortale commiſſum poſt dolorem. Ratio eſt: quia revocatur propoſitum non peccandi

mor-

mortaliter de cætero, quod omnis verus, & ad Sacramentum ſufficiens dolor de mortali includere debet. Non revocatur verò per peccatum veniale, tametſi elicitus ſit uno actu ex motivo univerſali de mortalibus, & venialibus, quale eſt motivum charitatis, ùt cum Lugone D. 14. n. 146. Tamb. In Meth. Confeſſ. l. 1. c. 3. §. 4. ſentit communis. Ratio eſt: quia licèt actus ſit *phyſicè unus*, eſt tamen *virtualiter multiplex*; adeoque licèt deſinat quoad æquivalentiam reſpectu venialis peccati, non deſinit tamen reſpectu mortalium. Idem eſt, ſi dolor elicitus ſit ex motivo univerſali de venialibus pluribus, & eo elicito venialiter peccetur. Neque enim pro dolore de venialibus requiritur propoſitum univerſale vitandi omnia venialia, adeoque poteſt verus dolor, ac ſufficiens adhuc manere reſpectu aliquorum, licèt non ſit reſpectu illius, quod poſt dolorem committitur.

Q. 14. *Quibus motivis propoſitis pœnitens diſponi poſſit ad dolorem de mortalibus?* ℞. Si ei proponatur (à quo ordiri expedit præſertim apud duriores, obſtinatos, & pluribus, ac frequentioribus peccatis mortalibus habitualiter obnoxios) gravitas infernalium pœnarum, magnitudo damni ex amiſſione beatitudinis æternæ, fœditas peccati, quâ velut in diabolos transformamur, beneficia creationis, redemptionis, conſervationis, & alia ſimilia; longanimitas Dei in puniendo, ſe- 67.

veritas tamen pœnæ aliquando ſubſecuturæ, per quæ primùm attritio ſufficiens pro Sacramento procurabitur. 2dò ſi ei proponatur, quàm bonus ſit Deus offenſus in ſe, licèt tanta beneficia non contuliſſet; per conſequens, quàm dignus fuerit, & ſit, qui non offendatur, ſed toto corde ametur ob infinitas perfectiones ſuas, putas omnipotentiam, ſapientiam, ſanctitatem, miſericordiam &c. quæ motiva ex attritto contritum facere conſueverunt. Vide dicta P. 1. c. 2. a. 2. §. 3. q. 7. & 8. ubi etiam praxis eliciendi dolorem eſt propoſita.

68. Q. 15. *Quibus motivis propoſitis pœnitens diſponi poſſit ad dolorem de venialibus?* ℞. Si ei proponatur malitiæ gravitas, quæ minimo etiam veniali peccato ineſt, quæque major eſt, quàm omnia naturalia mala. Itèm ſi ei proponantur pœnæ tum in hoc mundo venialiter peccantibus inflictæ, tum poſt hanc vitam in purgatorio infligendæ. Itèm periculum, quod afferunt, nè incidatur in mortale. Itèm indignitas, quâ actione venialiter peccaminoſa malit placere diabolo, quàm Deo. Itèm ingratitudo, quâ Deum pro tanto amore ſibi collato non tantùm non amavit, ſed offendere præelegit. Poteſt his demum addi motivum ex ſumma bonitate, & perfectione DEI deſumptum, ut non tantùm ad attritionem, ſed contritionem etiam pœnitens talis diſponatur. Modus verò hæc motiva proponendi optimus

mus eſt per interrogationes, interrogando v. gr. an pœnitens agnoſcat, quòd Infernum, & pœnas æternas peccato etiam unico mortali ſit promeritus? dicet: ità. Interrogetur porrò: an ſibi dolori ſit, quòd tantum malum ſibi peccando accerſiverit? Reponet: omnino. Si ad contritionem perfectam illum diſponere vult, interrogetur: an credat à manu benigniſſimi Dei ſui omnia ſe habere, animam, corpus, vitam, ſuſtentationem, valetudinem &c. Itèm: an credat, quòd, cùm ipſe filius perditionis alioquin futurus fuiſſet, Filius Dei unigenitus ad redimendum illum carnem mortalem aſſumpſerit, graviſſima tormenta, & mortem ipſam ſubierit? Itèm: an credat: quòd poſt hanc vitam eum cœleſti æternæ beatitudini adſcribere velit? dicet: credo. Subnectat Confeſſarius: an ergo tam bonus, tam benevolus Deus dignus fuerit, ut ſic offenderetur? dicet: prorſus non. Procedat interrogando: an proindè doleat, quòd tam indignè, tam ingratè cum ſuo tanto benefactore egerit? Facilè dicentem audiet: doleo omnino. Hoc obtento interroget demum: an credat, quòd Deus offenſus ſit ſummus, & maximus Dominus, major omni Rege, & Principe, infinitè bonus, infinitè ſanctus, infinitè potens, infinitè ſapiens, infinitè miſericors &c.? reſpondebit: credo. Subnectat: meretúrne tantus Dominus, tantus DEUS, vel mini-

mùm offendi, contemni, deſpici, & vilipendi? audiet: nequaquam. Quærat hìc: an ergo doleat, quòd ipſe vilis terræ portio peccando mortaliter id facere attentârit? & habebit reſponſum: doleo omnino, quòd hunc Deum meum omni amore digniſſimum vel ſemel offenderim. Similiter procedi poteſt in diſpoſitione ad dolorem de venialibus.

69. Pro colophone præſentis materiæ annoto directionem ſuper ſententiis illis, quæ partes hujus Sacramenti concernentes, ſpeculativè quidem ſunt probabiles; in praxi autem conformiter damnatæ primæ propoſitioni ab Innoc. XI. ſunt illicitæ. Videlicet ſententias has ad hoc deſervire, ut tametſi illicitum ſit juxta illas Sacramentum vel conferre, vel ſuſcipere; ſi tamen Sacramentum bona fide ſuſceptū eſt, opus non ſit peccatorum confeſſionem repetere: cùm verè probabile ſit, Sacramentum fuiſſe validum; neque exponetur, periculo nullitatis, ſi confeſſio non repetatur: quia ad valorem ſufficit confeſſio formaliter integra, ùt dicetur art. 6.

ARTICULUS V.

De Munere Confeſſarii indiſpoſitorum ob defectum propoſiti.

70. Q. 1. *An Confeſſarius habitis ſignis doloris curam quoque referre debeat ad dignoſcendum*

dum verum propoſitum, & ad illud, ſi abeſt, aut abeſſe cenſetur, procurandum? ℟. Quanquàm reſpectu multorum pœnitentium, præſertim bene inſtructorum, atque aliàs plenè Sacramentum hoc frequentare ſolitorum, quorum ſtatum perſpectum Confeſſarius habet, aut ex circumſtantiis conjicere poteſt, ſupponere queat, eos & debitè dolere, & emendationem, ùt decet, proponere; admodùm tamen frequentes caſus obtingunt, in quibus, licèt pœnitens non inſincerè tunſione pectoris &c. dolere ſe dicat, prudens dubium ſuboriri poteſt: an vitam poſthac, ſaltèm quoad aliqua, in melius commutare ſit paratus. Quod quidem evenire ſolet, ùt innuit Gobat. tr. 6. n. 182. in iis, qui rariùs confitentur v. g. per annum ſemel. Itèm in iis, qui reſtitutione ſunt obnoxii, qui in vitio aliquo ſunt inhabituati, aut in occaſione proxima conſtituti; itèm in adoleſcentibus etiam ſtudioſis, qui doloris ſigna non intermittunt, nec confeſſionem mutilant, generosè etiam minima recenſentes; identidem tamen cum iiſdem, etiam cum pluribus, & gravioribus peccatis redeunt; præprimis autem in iis, qui rancorem, ac vindictas fovent. In his proindè vigilem eſſe Confeſſarium oportet, ut de veritate propoſiti moralem certitudinem acquirat, priùsquàm abſolutionem conferat. Hinc

Q. 2. *Quale propoſitum requiratur, ut ve-* 71.

rum cenſeri poſſit? ℟. ut verum ſit debet 1mò eſſe *efficax*, ſeu tale, quod *voluntatem peccandi excludat*, ùt loquitur Trid. Seſſ. 14. de S. Pœnit. Sacram. c. 4. quale tunc eſt, quando voluntas ſic eſt conſtituta, ut nullius boni amore, nec mali ullius timore Deum poſthac velit offendere. Sic conſtituta eſt voluntas, quæ potiùs in ignominia, in paupertate, in crucibus aliis vivere, imò mori etiam parata eſt, quàm in peccatum conſentire. E contrà inefficax foret voluntas, quæ quidem *vellet* peccatum vitare; ſeriò tamen non vult, amore boni, vel timore difficultatis, & mali cujusdam à ſeria volitione retracta. Hæc *velleitas*, licèt eam ſufficere exiſtiment Victoria, Ledesma, Canus, Cajetanus à Suar. D. 20. S. 4. n. 1. relati inſufficiens omnino eſt ad verum propoſitum, & Sacramenti valorem. Et licèt oppoſita ſententia probabilitatem aliquam ab authoritate habeat; poſt damnationem tamen prop. 1. ab Innoc. XI. factam, in praxi omnino eſt illicita. Accedit quòd authoritas admodum debilis ſit, utpote è diametro oppoſita Trid. cit. quòd non *velleitatem*, ſed *voluntatem non peccandi* requirit. 2dò debet eſſe *firmum*, quale eſt, quando eſt ejusmodi, ùt loquitur cit. Gob. n. 188. ut, quàmdiu manet in animo, tamdiu nequeat homo ſcienter admittere crimen lethale. Proindè ſignum ſufficiens non eſt propoſiti infirmi, ſi quis noverit ſe propoſito aliàs facto iterum

rum ad vomitum rediviſſe, metuátque idem ſecum poſt hoc eventurum perpenſa ſua, quam perſpectam habet, fragilitate. Laym. l. 5. tr. 6. c. 4. n. 8. Ratio eſt: quia propoſitum eſt actus voluntatis; illa verò exiſtimatio eſt actus intellectûs, qui ſtare poteſt cum ſeria, & firma volitione. Idem eſt de dubio, quo pœnitens dubitat: an revera vitaturus ſit? dummodò dubium iſthoc maneat in ſolo intellectu, nec in voluntatem redundet. Quòd verò relapſus non ſit ſufficiens ſignum, ratio eſt: quia experientiâ diſcimus nos ſerias etiam, & firmas aliquo tempore voluntates, occurrentibus circumſtantiis retrahentibus, perſæpe immutare, quod etiam in talibus proponentibus non rarò ſuevit evenire. 3tiò debet eſſe reſpectu mortalium *univerſale* ſic, ut non tantùm ſe extendat ad omnia commiſſa, ſed etiam ad omnia alia evitanda. Ratio deſumitur ex Trid. quod ſinè reſtrictione voluntatem non peccandi, ſeu excluſivam affectûs erga peccatum requirit. Ratio ulterior eſt: quia niſi propoſitum ſit excluſivum omnis peccati mortalis poſthac committendi, ſtat cum illo affectus erga peccatum, qui, cùm peccaminoſus ſit, indiſpoſitum reddit pœnitentem ad valorem Sacramenti. Ex his

Colliges: Inſufficiens propoſitum habere pœnitentem tunc, quando occaſiones peccandi proximas vitare, aut, ubi neceſſitas eſt manendi, ex proximis remotas fa- 72.
cere

cere recuſat. Ratio: quia talis pœnitentis propoſitum eſt inefficax, quod voluntatem peccandi non excludit. 2dò quando voluptatem quampiam peccato conjunctam, vel bonum aliquod temporale corporis, famæ, vitæ &c. pluris facit, quàm ipſum Deum. Ratio: quia tale propoſitum ſtat cum peccandi affectu. 3tiò quando omnia præter unum aliquod, cui peculiariter affectus eſt, vitare proponit. Ratio: quia & hoc non univerſale propoſitum ſtat, & actualiter conjunctum eſt cum peccandi affectu.

73. Q. 3. *An propoſitum vitandi peccata debeat ſe extendere ad omnia peccata in particulari?* ℞. Negativè, ſed ſufficit, ut ad omnia ſe extendat *generatim*, ac ideò etiam ſufficit, ſi pœnitens ſic diſpoſitus ſit, ut malit omne malum *generatim* perpeti, quàm Deum offendere: ſufficit enim ſi animus pœnitentis ità ſit comparatus, ut nullum habeat peccandi affectum, quantumvìs peccata, quæ committere poſſet, in particulari non conſideret. Suar. de Pœnit. D. 4. S. 6. n. 3. Regin. l. 5. c. 4. n. 51. & alii paſſim. Cavere inſuper oportet Confeſſarium, ùt monet Gob. cit. n. 193. nè pœnitenti proponat in ſpecie aliqua mala valde acerba, e.g. malítne Vir illuſtris, & militaris verberationi uxoris, & famulorum obnoxius oſculari pedes carnificis, quàm tale peccatum iterare? Ratio: quia talia, cùm animum facilè percellant, facilè

facilè quoque à bono retrahunt. Unde prudentes Confeſſarii videntes pœnitentem alicui peccato ſingulariter irretitum, plùs circa illud quærere non ſolent, quàm: malítne idem pœnitens mori potiùs, quàm in illud denuo conſentire? Excipe: niſi ex circumſtantiis obſervaretur pœnitentem non valde ægre facturum generoſam reſolutionem ad quædam alia mala gravia ſibi à Confeſſario propoſita.

Q. 4. *An Confeſſarius obſervans in pœnitente dolorem verum, ac perfectum, in eo etiam procurare debeat expreſſum, & explicitum tale propoſitum?* ℞. Negativè. Ratio eſt: quia licèt conſultiùs ſit præter dolorem verum, ac perfectum, explicitum quoque, & expreſſum propoſitum elicere; certa tamen & in praxi tuta ſententia eſt, implicitum, & in dolore contentum ad hoc Sacramentum ſufficere. Cardenas in Criſi ſuper propoſ. 1. ab Innoc. XI. inter 65. damnata. Ac ideò cenſet ſententiam eandem damnationi Pontificiæ non ſubjacere. Rationem etiam dat: quia Trid. Seſſ. 14. de S. Pœnit. Sacr. c. 4. clarè affirmat illam attritionem ſufficere, quæ voluntatem peccandi excludit. Intelligendum tamen hoc eſt de illo ſolùm dolore, qui procedit ex motivo univerſali: ſi enim ex motivo particulari e. g. ob turpitudinem hujus, vel illius peccati procedat, propoſitum in eo contentum inſufficiens eſt. Ratio deſumitur ex eodem Tridentino: quia talis 74.

dolor

Digitized by Google

dolor non omnem, ſed aliquam tantùm voluntatem peccandi excludit. Addo hìc ex Gob. n. 193. & 1mò quidem, ùt ſuprà indicatum eſt, propoſitum eſſe univerſale, ſi pœnitens de uno, vel pluribus peccatis in particulari quidem doleat; doleat tamen ex motivo univerſali. 2dò etiam tunc eſſe propoſitum univerſale, ſi pœnitens quinque mortalium diverſæ ſpeciei ſolùm reus dolens ſyncerè diceret: *potiùs moriar, quàm admittam ullum ex his quinque peccatis*; dummodò non habeat affectum erga unum aliud. Hucusque dicta propoſitum concernunt pœnitentis mortale, vel mortalia confeſſi. De propoſito pœnitentis ſola venialia confeſſi

75. Q. 5. *An pœnitens ſolis venialibus gravatus conſimile propoſitum habere debeat propoſito pœnitentis mortalia confitentis?* ℞. 1mò certum eſſe ad confeſſionē ſolorū venialium propoſitum requiri. Deſumitur ex Trid. cit. quod contritionem ſic univerſaliter deſcribit: *contritio, quæ primum locum inter dictos Pœnitentis actus habet, animi dolor, & deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero;* Quia tamen venialia omnia, licèt de potentia antecedente poſſint (cùm Dei Bonitas nos ad aliquid impoſſibile non obliget) de potentia tamen conſequente vitari nequeunt, niſi ex ſpeciali DEI privilegio, quod innuit idem Trid. ℞. 2dò propoſitum

de

de venialibus debere quidem eſſe *efficax*, cùm etiam debeat eſſe voluntas, non verò ſolum velleitas non peccandi; debere etiam eſſe *aliquomodo firmum*, ſeu tale, ut quàmdiu manet in animo, tamdiu non poſſit admitti illud, quod vitandum proponitur; non requiri tamen, ut ſit *univerſale*. Ratio diſparitatis inter propoſitum vitandi mortalia, & inter propoſitum hoc vitandi venialia, eſt: quia ideò requiritur propoſitum univerſale reſpectu vitandorum mortalium, quia tale propoſitum excludere debet *omnem affectum* mortaliter peccandi, quem niſì excludat pœnitens manet indiſpoſitus: quia manet in actuali affectu mortali, ac ideò reliqua ſinè hoc ei non remittuntur; cùm unum mortale non remittatur ſinè alio perdurante.

E contrà propoſitum vitandi venialia 76.
non neceſſariò excludit *omnem* affectum peccandi venialiter: quia cum veniali perdurante adhuc pœnitens pro Sacramento manet diſpoſitus; cùm affectus hic eum non reddat odio inimicali dignum; ac ideò etiam peccatum veniale unum ſinè alio perdurante remitti poſſit. Dixi; propoſitum de venialibus deberè eſſe *aliquomodo firmum*: non enim neceſſe eſt, ut adeo firmum ſit, quemadmodum eſt propoſitum de mortalibus: cùm ad illud non requiratur, ut malit quæcunque mala præeligere, quàm venialiter peccare, ſicut mortali obnoxius propoſito

poſito ſuo debet velle præeligere. Coninck. D. 2. n. 130.

77. Q. 6. *An ſola habens venialia teneatur elicere propoſitum expreſſum non peccandi mortaliter?* ℟. Negativè. Ratio eſt 1mò: quia nulla lex extat exigens tale propoſitum. 2dò: quia ſinè hoc propoſito pœnitens talis debitè eſt diſpoſitus ad Sacramentum fructuosè ſuſcipiendum: nec enim obſtat noxa mortalis; cùm nullam habere ſupponatur; ponit etiam citra hoc propoſitum ſufficientem dolorem; dat pro abſolutione ſufficientem materiam; ergo. Satìs proindè eſt, ſi de venialibus doleat, & vel explicitè, vel virtualiter, & implicitè ea vitare proponat. Gob. cit. n. 216.

78. Q. 7. *Cùm de venialibus non requiratur propoſitum univerſale: quale tandem ſufficiat?* ℟. Sufficere 1mò: ſi pœnitens venialibus ſolis obnoxius proponat aliqua graviora, aut etiam unum ex omnibus evitare. Ratio eſt: quia affectus ad reliqua non facit invalidum Sacramentum: cùm affectus iſte non ſit mortalis. Sufficit 2dò juxta Gobat cit. 224. Si ter mentitus ſinè cauſa habeat propoſitum non mentiendi in futurum ſinè cauſa, eſto cogitet adhuc mentiri, cum ſuppetet cauſa. Ratio eſt: quia ſufficit propoſitum de radice peccatorum tollenda: hac ſublatâ tolluntur etiam ipſa peccata. Sufficit 3tiò juxta Lugonem D. 14. S. 9. ſi frequenter peccans venialiter proponat ſe illam frequen-

quentiam emendaturum. Ratio eſt: quia cum propoſito emendandi frequentiam adeſt etiam propoſitum emendandi peccata illam frequentiam conſtituentia; adeſt proinde verum propoſitum evitandi aliqua peccata. Quo evertitur ratio P. La Croix l.6. p.1. n.910. qui ideò Lugonis ſententiam improbat, quòd propoſitum non tantùm eſſe debeat circa illam frequentiam, ſed etiam ipſa venialia peccata. Et ſi juxta ipſummet ſubſiſtit ſententia Gobati, ſufficere videlicet propoſitum vitandi mendacia ſinè cauſa, eſto animus paratus ſit mentiri ſuppetente cauſa, non video, cur non ſufficeret propoſitum vitandi frequentiam mendaciorum (idem eſt de aliis venialibus) etſi animo non proponatur emendatio omnium mendaciorum. Accedit quòd n. 913. dicat circa ſemi-deliberata ſufficere dolere, quòd facta ſint, ac impoſterum velle adhibere diligentiam pro illis ſaltèm minuendis, quod quid aliud eſt, quàm proponere frequentiam eorum impoſterum emendandam? Sufficit 4tò juxta Arriagam D. 28. n. 22. propoſitum de cavendis ſimilibus peccatis, qualia pœnitens confiteri parat. Itèm juxta communem, ſufficit propoſitum de omnibus deliberatis evitandis: hæc enim moraliter ſunt evitabilia. Et hoc propoſitum maximè conſulendum eſt, præſertim ſi ei addatur propoſitum de evitandis indeliberatis, quantum humanô modô fieri poterit.

79. Q. 8. *An qui proponit vitare veniale aliquod, etiam debeat proponere occaſionem proximam illius venialis evitare?* ℞. Contra Coninck, Laym. Caſtropal. Palav. &c. cum La Croix cit. n. 914. affirmativè. Ratio eſt: quia qui vult periculum proximum peccati venialis, cenſetur etiam velle peccatum veniale; & è contrà, qui præcipit vitari veniale, etiam præcipit vitari, quod moraliter certò inducit in veniale. Ex quo ſequitur propoſitum tale eſſe nullum; quia reipſa non eſt voluntas evitandi peccatum, ſed voluntas potiùs rurſus conſentiendi peccato.

80. Q. 9. *An, ſi propoſitum reſpectu venialium non ſit univerſale, omnia venialia, etiam ea, ad quæ ſe propoſitum non extendit, remittantur per abſolutionem?* ℞. Negativè. Ratio eſt 1mò: quia partes non præſtant ſuum effectum reſpectu illius, ad quod ſe non extendunt; ergo nec propoſitum particulare per abſolutionem delet venialia, ad quæ ſe non extendit. Ratio eſt 2dò: quia ſi non adſit propoſitum univerſale, ſaltèm reſpectu venialium commiſſorum, nec aderit dolor univerſalis: propoſitum enim hoc involvitur, & proportionatur dolori; dolore autem hoc deficiente peccatum, de quo non doletur, non rertactatur; ergo nec remittitur.

81. Q. 12. *Quomodo pœnitens propoſito deſtitutus ad illud à Confeſſario ſit diſponendus?* ℞. Breviter, propoſitis illis motivis, quæ ſuprà

ſuprà indicata ſunt pro diſponendo ad dolorem: ſi enim per ea verus dolor impetretur, etiam inſimul obtinebitur propoſitum: quod in dolore involvitur, imò & propoſitum explicitum perfacilè elicitur.

ARTICULUS VI.

De Munere Confeſſarii indiſpoſitorum ob defectum integræ Confeſſionis.

Q. 1. *Quid Confeſſario curandum circa integritatem à pœnitente ponendam?* Priùsquàm reſpondeam: 82.

Noto 1mò cum Laym. L. 5. tr. 6. c. 8. n. 1. Stoz. l. 1. p. 3. q. 1. n. 10. & communi, confeſſionis integritatem eſſe *juris Divini*. Deſumitur ex Trid. Seſſ. 14. de S. Pœnit. Sacram. c. 5. ubi ſic: *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis Jure Divino neceſſariam exiſtere.* Rationem dat Laym. cit. quia Sacerdotes à Chriſto Judices conſtituti ſunt in Pœnitentiæ foro; hoc autem judicium rectè exercere non poſſunt, niſi peccata in ſpecie, & ſingillatim declarentur.

Noto 2dò: cum unanimi Theologorum: 83. Integritatem hanc duplicem eſſe: *materialem* videlicet, & *formalem*. *Materialis* eſt tunc, quando pœnitens omnia omnino peccata ſua mortalia, quæ nondum legitimè

expiata ſunt; tam quoad numerum, quàm quoad ſpeciem, etiam ex circumſtantiis ortam; itèm tam interna, quàm externa, nullo penitus omiſſo, Confeſſario manifeſtat. *Formalis* eſt tunc, quando pœnitens confitetur omnia, quæ hìc, & nunc tenetur confiteri; licèt ex juſta cauſa aliqua omittat. Prior ad eſſentiam Sacramenti non ſemper requiritur, ſed tunc ſolùm, quando mortalia omnia memoriæ occurrunt, nec ulla cauſa alia excuſat. Poſterior verò ſemper ità requiritur, ut ſinè illa Sacramentum ſit nullum. Fill. tr. 7. c. 5. n. 136. cum communi. Hæc proindè integritas eſſentialis eſt; altera verò de præcepto tantùm, cujus tamen voluntaria transgreſſio, ùt loquitur cit. Laym. n. 2. *indirectè* redundat in defectum Sacramenti, ut nimirùm ob actualem hanc mortalem præcepti transgreſſionem non validè ſuſcipiatur. Rationem autem, cur formalis integritas ad eſſentiam Sacramenti pertineat, dat Suar. de Pœnit. D. 23. ſub initium: quia ſinè tali confeſſione nulla eſt accuſatio. Unde nec poteſt eſſe judicium.

84. Noto 3tiò: cum Suar. cit. Cauſas rationabiles, quibus pœnitens à materiali integritate, ut tunc formalis ſufficiat, ſemper naſci ex aliqua *impoſſibilitate* (intellige *phyſicâ*, aut *morali*) ſeu, ut idem Suarez loquitur, vel ex abſoluta neceſſitate, vel ex alia morali cauſa, vel ex ignorantia, ſeu naturali obli-

oblivione. Caſus tales communiter aſſignantur ſequentes. 1mus eſt, qui in moribundis reperitur, ſi ob virium, vel linguæ defectum materialiter integre confiteri nequeant. 2dus eſt, ſi pœnitenti poſt diligens examen peccatum, vel peccata quædam, quibus gravatur, non occurrant. 3tius eſt, ſi pœnitens abſque gravi detrimento, proprio, vel alieno, ſpirituali, vel temporali, aliquod peccatum recenſere non poſſit. 4tum ponunt aliqui, ſi pœnitens inter mortalia non reſervata habeat aliquod reſervatum, & confiteatur Confeſſario non habenti poteſtatem in reſervata, neque Superior, qui poteſtatem conferat, ſeu adſit, ſeu adiri poſſit; quo caſu cenſent aliqui cum Lugone D. 14. de Euchar. S. 5. n. 96. poſſe clavibus ſubjici non reſervata, reſervata verò poſſe reticeri, præſertim ſuppoſito, quòd confitendi neceſſitas urgeat. Alii tamen rectiùs cum Suar. de Euchar. D. 69. ſ. 4. §. quartus caſus, & de Pœn. D. 31. ſ. 4. n. 8. docent utraque tali caſu clavibus ſubjicienda. Ratio eorum eſt: quia cùm Sacerdos inferior à non reſervatis directè, à reſervatis verò indirectè poſſit abſolvere, reverentia in SS. Euchariſtiæ Sacramentum, quod talis pœnitens ſuſcipere parat, exigit, ut ſaltèm indirectè abſolutus id ſuſcipiat. Alii cum Vaſquez tr. 4. q. 91. a. 3. dub. 9. docent potiùs omittendam eſſe tali caſu totam confeſſionem, poſſe tamen contritione elicita

ad Euchariſtiam accedi. Omnes hæ ſententiæ probabiles ſunt teſte Stoz l. 1. p. 3. q. 2. a. 4. n. 66. ut proindè pœnitens licitè ſequi poſſit, quam vult; nec praxis 1mæ & 3tiæ ſententiæ ſubjecta eſt damnationi Innoc. XI. quia non agitur hìc de valore Sacramenti, ſed de præcepto: an videlicet tali caſu præceptum extet ponendi ſeu confeſſionem ſimpliciter, ſeu confeſſionem cum integritate materiali? De hoc plura infrà de Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis caſu reſervato innodati. 5tum addunt nonnulli, ſi pœnitens peccatum explicare nequit, nisì complicem manifeſtet. Sed nolim his ſubſcribere, ſi nullum aliud incommodum, aut damnum expectandum ſit præter ſolam notitiam Confeſſarii ad ſigillum arctiſſimè tuendum obligati. 6tum probabilem cenſet Gob. tr. 6. n. 479. ſi magnus ſit concurſus pœnitentium: ſed ſententiæ hujus improbabilitas conſtat ex prop. 59. ab Innoc. XI. damnata: *licet Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concursûs pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut indulgentiæ.* Et hoc intelligendum eſt, tametſi pœnitentes non eſſent redituri: quia reditûs intermiſſio eorum malitiæ, non neceſſitati phyſicæ, aut morali tunc meritò attribuitur.

85. Gobat tr. 6. à n. 445. Buſenb. l. 6. tr. 3. c. 3. d. 3. a. 2. & alii magis ſpecificè ſequentes aſſignant,

ſignant. 1mò: ſi pœnitens ſit mutus, ſurdus, blæſus, alîus idiomatis à Confeſſario, & aliô linguæ ſuæ gnarô deſtitutus. 2dò: ſi recenſens aliqua pecata ſubitò alteretur, ut omnino non nisi cum ſumma difficultate reliqua peccata recenſere poſſit. 3tiò: ſi ſit infirmus, ut non nisì ad ſigna doloris exhibenda capax ſit. 4tò: ſi Confeſſario integram confeſſionem excepturo vitæ periculum immineat, ùt evenire ſolet tempore peſtis. Itèm ſi vel pœnitenti, vel Confeſſario grave damnum, ſeu corporis, ſeu animæ proprium, vel alienum immineat; ùt ſi confeſſio nequeat fieri ſecretò. 5tò: ſi probabile ſit peccatum à Confeſſario revelandum: 6tò: ſi puella rationabiliter judicet Confeſſarium ad turpitudinem ſolicitandum, vel ſi perſpectam habens fragilitatem illius prudenter cenſeat eum à ſe ſcandalizandum; nec in confitendi neceſſitate alius Confeſſarius habeatur. 7mò: ſi pœnitens metuat rationabiliter infamiam apud alios, quàm apud Confeſſarium: damnum enim ex infamia apud alios eſt Sacramento extrinſecum, apud Confeſſarium eſt Sacramento intrinſecum: ſequitur enim ad manifeſtationem peccati. 8vò: ſi inſtet conflictus, vel urgeat periculum naufragii. 9nò: ſi peccatum, vel circumſtantia manifeſtari nequeat nisì violando ſigillum Sacramentale, quod evenire poteſt in ipſo Confeſſario confitente. 10mò: ſi pœnitens ſit valde ſcrupuloſus de

peccatis oblitis. 11mò: ſi pœnitens debilis ſit memoriæ, recordetúrque ſe quidem peccâſſe mortaliter, neſciat autem peccatum in ſpecie. 12mò: ſi pœnitens ex ignorantia judicet ſe nullo alio peccato obnoxium, vel hoc, aut illud non eſſe confitendum; cùm tamen de ſe confitendum ſit. His præmiſſis

86. ℞. Ad propoſitam initio articuli Q. videlicet curam hìc præcipuam Confeſſario incumbere, ut, nisì impoſſibilitas, ſeu phyſica, ſeu moralis adſit, materialiter integram confesſionem in pœnitente procuret; neque hac non obtentâ abſolutionem impertiat. Proindè non permittat eum peccata ſolùm in genere recenſere e. g. dicendo: peccavi corde, & opere; neque ſatis habeat, ſi eorum ſpeciem recenſeri audiat, v. g. ſum fornicatus; ſed curet etiam, quantum fieri poteſt, intelligere numerum determinatum, & circumſtantias ſpeciem mutantes: hæc enim conformiter Trid. Seſſ. 14. S. Pœnit. Sacram. c. 5. neceſſaria ſunt ad materialem confesſionis integritatem. De circumſtantiis tamen purè licèt notabiliter, aggravantibus tanta cura ipſi non incumbit: cùm admodum probabilis ſententia ſit, eas confiteri opus non eſſe. Et licèt oppoſita tutior ſit; hæc tamen damnationi Pontificiæ minimè ſubjacet: cùm ejus praxis non exponat Sacramenti valorem nullitati, ùt bene notat Carden. in Criſi ſuper

prop.

Digitized by Google

prop. 1. inter 65. ab Innoc. XI. damnatas. Si nihilominùs earum manifeſtationem pœnitenti expedire cenſeat, poteſt & de his interrogare; tenebitúrque tunc pœnitens interroganti ſyncerè reſpondere, ùt colligitur ex prop. 58. ab eodem Innoc. XI. damnata: *Pœnitens non tenetur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.* Ratio enim ſtans pro neceſſitate reſpondendi interroganti de peccati conſuetudine, quæ eſt: ut Confeſſarius tanquam peritus medicus dare poſſit conſilium, & remedium in futurum, etiam ſtat pro neceſſitate reſpondendi, dum Confeſſarius quærit de circumſtantiis aggravantibus: eo enim pariter fine interrogat, ut conſilium v. gr. de modo reſtitutionis, & remedium in futurum præbere queat. Proindè rectè cenſet Gobat tr. 6. n. 362. graviter mentiendo delinquere illum, qui reus furti mille aureorum Confeſſario de ſumma interroganti reſponderet reum ſe eſſe nongentorum aureorum. Præterea non ſatis habeat Confeſſarius, ſi recenſeantur peccata interna, ſed conetur quoque reſcire: an hæc completa ſint per actum externum?

Q. 2. *Qualis ignorantia, vel oblivio à confeſſione materialiter integra excuſet?* ℟. Cum Suarez de Pœnit. D. 23. S. 3. à n. 2. & communi. Ignorantiam, & oblivionem *invincibilem* certò excuſare. Deſumitur ex Trid. cit. c. 5. cit. ubi ſic: *Conſtat enim, nihil aliud* 87.

in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm, ut pòſtquàm quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit. Ratio eſt 1mò: quia talis ignorantia eſt involuntaria; unde etiam *inculpabilis* dicitur. 2dò: quia conjuncta eſt cum impoſſibilitate vel phyſica, vel morali peccata ignota confitendi. Huc ſpectat *probabilis* etiam *ignorantia juris*, quâ videlicet pœnitens judicat aliquod, vel aliqua peccata non eſſe confitenda, vel quia putat eſſe venialia, quæ in ſe mortalia ſunt, vel: quia putat adeſſe cauſam juſtam ea tacendi, vel: quia credit ſe diligentiam ſufficientem adhibuiſſe. Excuſat 2dò ignorantia, & oblivio profecta ex aliqua negligentia in examinando, quæ tamen negligentia non ſit culpabilis mortaliter. Ratio eſt: quia hac non mortali negligentia violatur præceptum de integra confeſſione ſolùm venialiter, ſubſtantialiter verò adhuc impletur. Contrarium eſt, ſi nulla diligentia adhibeatur, aut levis adeò, ut moraliter quaſi nulla reputetur. Ratio eſt: quia utraque hæc negligentia eſt mortaliter culpabilis, utpote in materia gravi plenè voluntaria, adeoque violat graviter præceptum de integritate confeſſionis.

88. Proindè Suar. cit. S. 4. n. 3. ſequentem regulam univerſalem ſtatuit, videlicet: eam tantùm eſſe integritatem formalem, in qua homo

homo nihil omittit peccando mortaliter, ſive ex ſcientia, ſive ex ignorantia, & negligentia culpabili. Addo hìc, quod bene notavit Navarr. c. 9. ſumm. n. 82. ſæpe contingere, ut peccatum aliquod ex ignorantia culpabili committatur, quod tamen poſteà facili negotio ex ignorantia inculpabili in confeſſione omittatur, dum videlicet ignorantia redditur naturalis, & inculpabilis, eò quòd peccatum difficulter cognoſcatur.

Q. 3. *An dimidians confeſſionem ex ignorantia culpabili teneatur dein totam confeſſionem, ubi peccatum incidit, repetere?* ℟. Affirmativè; niſì ſciat Confeſſarium confeſſa peccata recordari, aut omittens quoddam, vel quædam, Sacramentum non invalidaverit: hoc enim caſu ſufficiet ſolùm omiſſum, vel omiſſa, recenſeri. Ità communis. Suar. cit. n. 6. tamen cenſet confeſſiones intermedias, ſi quæ factæ ſunt ad illud usque tempus, quo peccatum culpabiliter omiſſum memoriæ occurrit, ſi bona fide factæ ſint, non eſſe repetendas, ſed illam ſolam, in qua omiſſio culpabiliter contigit. Addit n. 7. ſi in ipſa confeſſione culpa negligentiæ, vel craſſæ ignorantiæ advertatur, eam tunc confitendam; niſì neceſſitas v. gr. ob mortis periculum, vel vitandum ſcandalum &c. excuſet. Cæterum *regulariter* abſolutionem eſſe differendam, ut pœnitens rite ſe examinet. 89.

Q. 4.

90. Q. 4. *An pœnitens excuſatus à materialiter integra confeſſione reticere aliquid poſſit, quod confiteri nec phyſicè, nec moraliter ei eſt impoſſibile?*

℞. Negativè. Ratio eſt: quia eo ipſo non faceret confeſſionem *formaliter integram*; cùm non confiteretur, quod confiteri poteſt, ac hic, & nunc tenetur. Unde, ſi ex multis peccatis mortalibus poſſit unum confiteri, tenetur ad illud confitendum, licèt non neceſſariò graviſſimum, ùt notat Illſung. n. 138. Similiter, ſi non poſſit confiteri peccatum in ſpecie, poſſit verò in genere, tenebitur ad confitendum in genere, dicendo v. gr. peccavi in pravam cogitationem conſentiendo. Laym. l. 5. tr. 6. c. 8. n. 7. Si non poſſit confiteri ſpeciem infimam, poſſit verò ſpeciem ſubalternam, tenebitur ad confitendam ſpeciem ſubalternam, dicendo v. gr. commiſi injuſtitiam, ſed neſcio, an defraudando, an detrahendo, an calumniando. Gob. tr. 6. n. 359. Si non poſſit confiteri numerum ſimpliciter, poſſit verò ſpeciem, tenebitur ad manifeſtandam ſpeciem, dicendo v. gr. habui fornicarias cogitationes, aut deſideria, quoties, verò pro nunc impoſſibile eſt meminiſſe. Si non poſſit numerum certum, poſſit autem veroſimilem, tenebitur ad hunc aperiendum. Ratio data eſt: quia pœnitens tenetur præceptum de integritate implere, quantùm poteſt.

Q. 5.

Q. 5. *An mortaliter peccet, qui ſcit undecies ſe commiſiſſe aliquod mortale, dicit: decies hoc peccatum commiſi?* ℞. Cum Laym. cit. n. 15. affirmativè. Ratio eſt: quia eſt mendacium in materia gravi, & mortali; aut, ſi non dicat *excluſivè*, ſaltèm eſt gravis violatio præcepti, quod præcipit numerum totum explicare. Aliud foret, ſi diceret: *peccavi decies venialiter*, ſciens ſe undecies peccâſſe; hoc enim mendacium erit in re levi; aut ſi præciſivè dicat, ſimpliciter non eſt mendacium, neque violat præceptum; cùm de venialibus confitendis nullum exſtet; *quanquam rectè, & utiliter, citràque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur*, ùt loquitur Trid. Seſſ. 14. de S. Pœn. Sacram. c. 5. Similiter graviter peccaret, qui ſciens numerum certum, diceret incertum, aut ſolùm peccatum in ſpecie, vel genere, nisì ignorantia excuſet. Ratio deſumitur ex eodem Trid. cit. quia talis non recenſet omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt, ſicut præceptum à Trid. eodem explicatum demandat. Unde etiam, quod conſectaneum eſt, adnectit: *qui ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent; nihil Divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* 91.

Q. 6. *An peccet mortaliter, qui priùs confitetur mortalia uni, dein venialia alteri?* ℞. Cum Laym. ſuprà cit. n. 13. & 14. nisì circumſtantia, vel intentio peccaminoſa adſit, non peccare; imò ſæpe bene fit, quando videli- 92.

cet

cet mortalia noto, aut ordinario Confeſſario citra magnam erubeſcentiam manifeſtari nequeunt, ſi alteri priùs detegantur cum majore libertate; ac dein noto, vel ordinario ſola venialia recenſeantur; nec improbare debet Confeſſarius, quòd pœnitens ſuus ordinarius quandoque alteri confiteatur. Ratio reſponſi eſt: quia nullatenus agitur contra integritatem confeſſionis: cùm, ſi pœnitens velit, poſſit ſola mortalia confiteri; alteri autem, quàm noto, vel ordinario Confeſſario confiteri non prohibetur. Contra aliud præceptum etiam non eſt, ùt bene notat Suar. de Pœnit. D. 22. S. 1. n. 13. Dixi autem: *niſì circumſtantia, vel intentio peccaminoſa adſit*: nam ſi id fieret ex hypocriſi, vel ad Confeſſarium decipiendum, vel ſi taliter confitendo pœnitens exponatur periculo mortalia non emendandi, quod omnino non raró evenit, procul dubio peccaret, & quidem graviter pro materiæ gravitate. Quòd ſi etiam ſuo Confeſſario, idem eſt de quocunque alio, confiteretur priùs venialia, dein alteri mortalia, graviter quoque delinqueret: quia priorem abſolutionem, utpote indiſpoſitus, redderet nullam, gravitérque violaret præceptum de integra confeſſione præſtanda.

93. Q. 7. *Quis modus dignoſcendi in pœnitente integritatem Confeſſionis?* ℟. Cum Fill. tr. 7. c. 12. n. 259. & 360. tria in hunc finem eſſe ob-

obſervanda, & 1mò quidem, ut, ſi ex circumſtantiis non innoteſcat, pœnitens interrogetur de ſtatu ſuo, tum de confeſſione præcedente rite peracta, & pœnitentia impleta. Demum an pro hac confeſſione per examen diligens ſe paraverit? 2dò per decurſum confeſſionis, ſi Confeſſarius ex circumſtantiis obſervat pœnitentem integre confiteri, non eſt opus interrogatione; è contrà ſi circumſtantiæ dubiam reddant integritatem, vel defectum illius claré exhibeant, tenetur interrogare. Suar. cit. D. 32. S. 3. n. 3. & eo teſte Doctores communiter omnes. Quòd ſi defectum judicet interrogando debitè poſſe ſuppleri, nolit pœnitentem remittere, ut meliùs ſe examinet; ſecus ſi interrogationes ſuas judicet non ſuffecturas, quod maximè circa inveteratos peccatores raro confitentes evenire poteſt. In interrogando verò non ſit nimius, nec ad minutias deſcendat; in ſexto etiam præcepto ſit valde cautus; nè pœnitentem fortè doceat, quod ignorat, ùt ſupra innui c. 2. Princip. II. Si pœnitens interrogatus neget, regulariter illi tenetur credere, ùt docet Angelicus quodlib. 1. a. 12. cum communi. 3tiò: ſi evidenter conſtet pœnitentem mentiri, & hoc ipſum ſciat viâ extra confeſſionem, poteſt illâ notitiâ uti ad eum convincendum; & ſi perneget, tenetur ei utpote indiſpoſito negare abſolutionem. Suar. cit. n. 9.

Si ve-

Si vero id ſciat viâ ſecretâ, poſt prudentem interrogationem tenetur judicare ſecundùm acta, & probata in illo foro. Filliuc. cit. n. 370. Dixi: *ſi evidenter conſtet pœnitentem mentiri*; nam ſi etiam ſuis oculis vidiſſet peccatum pœnitentis, probabiliter tamen exiſtimet pœnitentem idipſum jam eſſe confeſſum, poteſt diſſimulare, & credere, ideò tunc negare illud: quia non tenetur iterum illud confiteri. Ità rurſus Suar. cit. l. cit.

94. Q. 8. *An Confeſſarius admonere teneatur de peccato, quod videt à pœnitente ex ignorantia invincibili ignorari?* ℞. Cum eodem Suarez. S. 4. n. 3. & 4. Si Confeſſarius probabiliter credat ſuam admonitionem profuturam ſinè ullo ſcandalo, vel gravi incommodo, debet admonere pœnitentem, ut ſtatum malum derelinquat. Ratio duplex eſt: una deſumitur *ex lege charitatis*, quâ tenemur proximum admonere, ubi eſt ſpes fructûs. Altera deſumitur *ex officio Confeſſarii*, vi cujus vices ſubit Paſtoris, & Doctoris. Si verò fructus non ſperetur, & quia probabiliter, & prudenter Confeſſarius timet pœnitentem id, ad quod moneretur, non effecturum, vel certè non poſſe ſinè gravi incommodo id efficere, debet tacere, & pœnitentem in bona fide relinquere, juxta illud Auguſt. in cap. ſi quis autem de Pœn. d. 9. *ſi ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem.* Ratio eſt: quia tunc nec charitas obligat, nec officium urget; charitas

non;

non: quia hæc ſolùm obligat, cùm ſpes eſt fructûs. Officium etiam non: quia tunc pœnitens eſt bene diſpoſitus, & integrè confeſſus.

CAPUT IV.

De Munere Confeſſarii pœnitentium diverſis peccatis gravatorum.

MUneri, & curæ circa indiſpoſitos ſuccedit munus, & cura judicandi, & ubi oportet, edocendi pœnitentes diverſè diverſis peccatis obnoxios. Pro quo faciliùs, & accuratiùs exequendo ea, quæ pleroſque concernunt, hìc veniunt pertractanda, expoſitâ prævié plerorumque peccatorum naturâ, ac dein exhibita methodo circa eadem à Confeſſario adhibenda. Pro quo ſit

ARTICULUS I.

De Munere Confeſſarii pœnitentis in infidelitatem lapſi.

§. I.

PRÆMITTENDA.

PRæmitto 1mò, & ſuppono fidem veram 95.
internam eſſe de præcepto conformiter illi Marci 16. *qui non crediderit, condemnabitur.* Quando autem præceptum hoc urgeat, & circa quæ, dictum eſt P. 1. a. 2. §. 2. Suppone

pono etiam *actum fidei exteriorem*, ſeu verbis fiat, ſeu factis, in quibusdam circumſtantiis eſſe de præcepto. Sumitur ex Matthæi 10. & Lucæ 12. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt.* Itèm ex Marci 8. & Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.* De his

86. Præmitto 2dò: Præceptum de actu fidei externo verbis eliciendo, qui *confeſſio fidei* dici ſolet, ſolùm obligare in duobus caſibus, quorum prior eſt: quando gloria, & honor DEI id requirit; quod tunc accidit, quando, ſi quis taceat, fides putaretur falſa; vel ipſe eam cenſeretur deſeruiſſe; vel Deus blasphemaretur; aut religio vera ignominiâ afficeretur. Poſterior, quando utilitas, & emolumentum ſpirituale proximi urget, ùt: ſi tacente aliquo alii averterentur à ſuſcipienda fide, aut verſarentur in periculo deficiendi à jam ſuſcepta. In his ergo caſib9 omnis Chriſtianus tenetur fidem confiteri etiam non interrogatus; nec, ſi interrogetur, licet ei tacere, aut verborum ambiguitate uti. Regin. l. 17. S. 2. n. 20. Quod verò dictum de confeſſione fidei, intelligendum etiam eſt de *fidei confeſſione*: in iisdem enim caſibus, in

in quibus urget obligatio confitendi fidem, urget etiam obligatio defendendi fidem.

Præmitto 3. Præceptum de actu fidei externo factis eliciendo, qui *profeſſio fidei* vocari ſolet, in iisdem caſibus obligare. Pro quo obſervandum quatuor eſſe præcipua, & magis uſitata genera ſignorum 1mum eſt eorum, quæ *civilia* dici poſſunt, utpote quæ non ad diſcernendam Religionem unam ab altera, ſed ad diſtinguendam unam nationem ab altera ſunt inſtituta. Talia ſigna ſunt habitus diverſi v. g. Judaicus, Mahumetanus &c. 2dum eſt eorum ſignorum, quæ quidem inſtituta ſunt ad diſcernendam Religionem; nullam tamen illius cultum continent. Talia ſigna ſunt pilei Turcarum, & Judæorum in quibusdam locis. 3tium eſt eorum, quæ cultum quidem aliquem continent, ſed indifferentem, qui etiam hominibus exhibetur; ùt diſcooperire caput, flectere genua. 4tum denique eſt eorum, quæ includunt peculiarem cultum, vel ſoli Deo vero, vel falſo exhiberi ſolitum. Talia ſunt facrificare, oſculari idolum, canere pſalmos, ſumere cœnam cum Calviniſtis &c. Hæc ſigna falſæ Religionis ex communi Theologorum ſenſu nunquam ponere licet; cum alioquin honor Dei, vel utilitas proximi diſcrimen ſubiret, vel ſcandalum præberetur. Quæ ſi abſint priora tria ponere illicitum non eſt, dummodò ea ponendo non adſit intentio ea ad negandam veram 97.

fidem, & profitendam falſam adhibendi. De quibus fuſiùs Reging. cit. S. 3.

98. Præmitto 4. Fidei veræ opponi vitium infidelitatis, quæ trifariam dividitur: *in negativam* videlicet, quæ eſt in illis, qui nunquam aliquid de fide audiverunt. Et hæc aliquo quidem, non tamen longo tempore inculpabilis eſſe poteſt; cùm à nullo rationis compote juxta communem Theologorum ſenſum longo tempore ignorari poſſit Deus. 2dò: *in contrariam*, quæ eſt in iis, qui fidem ſufficienter ſibi propoſitam vel contemnunt, vel pertinaciter contradicunt. 3tiò in *privativam*, quæ eſt in iis, qui res fidei vel culpabiliter ignorant, vel culpabiliter circa illas errant. Infidelitas *contraria* ſubdividitur in *Gentiliſmum*, ſeu *Paganiſmum*, *Judaiſmum* & *Hæreſim*, ad quam reducitur *Apoſtaſia*. *Gentiliſmus* eſt in iis, qui fidem veram nec in figura, nec in veritate ſuſceperunt. *Judaiſmus* eſt in iis, qui fidem veram ſuſceperunt quidem in figura, non tamen in veritate. *Hæreſis* eſt in iis, qui fidem veram ſuſceperunt quidẽ in veritate, ei tamen in quibusdam diſſentiunt. Unde bene definitur hæreſis cum Laym. l. 2. tr. 1. c. 13. n. 1. *Eſt error intellectûs voluntarius contra aliquam fidei veritatem cum pertinacia aſſertus ab eo, qui fidem recepit.* Diſcrepat ab Apoſtaſia: quòd Hæreſis *propriè* ſit error *circa aliquam tantùm fidei veritatem*; Apoſtaſia verò ſit defectio à fide vera *quoad omnes veritates*. Ità

Sanch.

Sanch. cit. n. 15. ubi addit: *Quod* (diſcrimen) *tradunt omnes.* Laxiùs tamen loquendo, prout ſæpe uſurpatur, etiam apoſtatæ dicuntur, quia ab aliqua, vel aliquibus veritatibus deficientes ad alias Chriſtianas ſectas tranſeunt. Ex hoc diſcrimine, cùm videlicet Apoſtaſia ſit error circa omnes fidei veritates. Hæreſis circa aliquam, vel aliquas tantùm, Laym. tom. 1. l. 2. tr. 1. c. 16. n. 2. ait apoſtaſiam, & Hæreſim inter ſe differre ſicut majus, & minus.

Præmitto 5. Vitium Paganiſmi, & Judaismi in eo, qui fidem veram per Baptiſmum nunquam ſuſcepit, clavibus non ſubjacere. Liquet ex Trid. Seſſ. 14. de S. Pœn. Sacram. c. 1. ubi ſic: *Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, ut juſtitiam in Baptiſmo ipſius beneficio, & gratiâ ſuſceptam conſtanter tuerentur; non fuiſſet opus aliud ab ipſo Baptiſmo ſacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum.* Et ibidem quibusdam præmiſſis: *Sacramentum Pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum beneficium mortis Chriſti applicatur.* Proindè hæc ad Confeſſarium dijudicanda non ſpectant, niſi fortè in Baptiſmo requiſitus juxta idem Trid. dolor intermiſſus fuiſſet; quo caſu à tali pœnitente dolorem hunc impetrare conabitur Confeſſarius, per quem Sacramentum Baptiſmi informe ad gratiam formetur. Aliud eſt, ſi pœnitens ſuſcepto Baptiſmo ad Gentiliſmum, vel Judaiſmum defeciſſet, qui tamen caſus eſt in- 99.

ter minùs frequentes. Frequentiores ſunt quibus Catholici gentilibus, ac præſertim Judæis communicant contra prohibitionem 2. ad Cor. c. 6. *nolite jugum ducere cum infidelibus*, interdictam. Pro quo

100. Præmitto 6. Caſus, in quibus communicare cum Judæis illicitum eſt ex variis Juris Canonici locis, ſunt ſequentes 1mò: non licet cohabitare. 2dò conviviis intereſſe. 3tiò: uti communi balneo. 4tò: adhibere Judæos medicos. 5tò: medicinas ab illis recipere; emere tamen licet præſcriptas. 6tò: enutrire Judæorum filios. 7mò: iis ſervire. 8vò: ſervitute illis ſubjici. 9nò: eorum azymis veſci. 10mò: prohibentur publicis officiis fungi. 11mò: c. Cave 28. q. 1. prohibetur etiam matrimonium fidelis cum infideli, nimia familiaritas fidelium cum infidelibus; quod idem dicendum eſt de converſatione fidelis cum infideli, ex qua vel fidei derogatur, vel perverſionis periculum oboritur, vel ſcandalum puſillorum. Hæc tamen omnia, ſicut etiam eorum nuptias, feſta, ſynagogas adire, cum eis ludere, ſaltare, quamvis de ſe ſub mortali prohibita ſint, partim, ùt bene obſervat Laym. cit. c. 17. n. 1. & 2. in pœnam ſpiritualem, partim ob periculum perverſionis; multas nihilominùs patiuntur limitationes: ſic enim cohabitare ſolùm non licèt tunc, cum Chriſtianus ſubditus eſt Judæo. Sic conviviis intereſſe ſolùm non licet tunc, cùm Chri-

Chriſtianus vel eſt invitans, aut quemadmodum cenſet Azor apud La Croix l. 2. n. 84. dum Judæi diſcretionem ciborum obſervant juxta Legem Moſaicam. Balneo quoque communi ſolùm illicitum eſt uti ex condicto. Itèm ſolùm illicitum eſt uti Judæo medico, & medicinis illius citra caſum neceſſitatis, puta: ſi alius medicus, & medicinæ æquè ſalutares haberi non poſſint. Servire itèm Judæo illicitum tantùm eſt, ſi ſervus habitet in domo propria Judæo. Similiter eſus azymorum ſolùm prohibitus eſt, ſi ritu Judaico fiat, vel cum ſcandalo. Adire domum, nuptias, eorum Synagogas &c. ſolùm prohibetur tunc, dum imminet periculum perverſionis, aut dignitati fidei derogatur.

Præmitto 7. Hæreſim paſſim dividi in *formalem*, & *materialem*, ſeu in *propriam*, & in *impropriam*. Prior, ut conformiter communi ſenſui tradit Regin. l. 17. c. 4. q. 3. eſt in eo, qui ſemel Chriſti fidem profeſſus eſt, & nihilominùs ſub nomine Chriſtiano reſiſtit doctrinæ Chriſti ab aliqua ejus parte recedendo pertinaciter. *Materialis* eſt in eo, qui veram fidem profeſſus quomodocunq; tenet errorem fidei Catholicæ contrarium. Differt proinde *materialis* Hæreſis à *formali*: quòd hæc conjuncta ſit pertinaciæ, non itèm illa. Ex quo facilè colligere licet, in noſtris etiam partibus probabiliùs dari materiales hæreticos: aliqui enim, ùt loquitur La Croix l. 2. n. 94. ità ſimplices inveniuntur, 101.

 vel

vel præventi doctrinâ ſuorum Miniſtrorum, ut firmiter exiſtiment, ſe non debere dubitare de ſua fide, ſimúlque ità ſyncerè procedunt, ut ſi ſcirent fidem ſuam eſſe falſam, admitterent noſtram.

102. Porrò juxta Sanchez l. 2. Mor. c. 7. n. 2. pertinacia Hæreſi formali conjuncta in hoc conſiſtit, quòd quis ſciens, & prudens teneat aliquam doctrinam contra Eccleſiam Catholicam, ſeu quòd quis noverit Catholicam Eccleſiam contrarium tenere, & tamen Eccleſiæ authoritati, & teſtimonio reſiſtat. Ac ideò quia, dum Chriſtianus privatæ Divinæ revelationi diſcredit, authoritati, & teſtimonio Eccleſiæ reſiſtit, utpote quæ præcipuum fidei articulum proponit: *Deum in loquendo eſſe veracem*, formaliter hæreticus eſt. Ratio etiam præter Auth. D. Th. 2. 2. q. 10. a 5. in ☉, Suarii, & Theologorum communiter, adhuc eſt: quia Chriſtianus diſcredens revelationi privatæ verè eſt infidelis; non eſt autem paganus; neque Judæus; ergo formalis hæreticus: cùm infidelitatis ſpecies alia non detur. Quòd ſi tamen Chriſtianus ignoret *invincibiliter* ſententiam ſuam erroneam authoritati Eccleſiæ contrariari, nec hæreticus eſt, nec peccat: quia ignorantia talis excuſat. Si verò adſit *ignorantia craſſa*, cenſet Sanchez cit. n. 20. peccare quidem: cùm ignorantia hæc illi ſit voluntaria; non eſſe tamen hæreticum: quia talis, licèt craſſiſſimè errans, autho-

thoritati Eccleſiæ ſe non opponit, ſed paratus eſt corrigi, ubi ſenſum ſuum illi contrariari agnoverit. Si demum *ignorantia* eſt *affectata*, penſandus eſt finis affectantis, ut colligatur: an ſic ignorans verè hæreticus ſit? ſi enim eam affectat ex falſa opinione contra Eccleſiam: quia monmenti exigui reputat, quod ipſa proponit, verè pertinax, & per conſequens hæreticus eſt, utpote non paratus ab illa corrigi. Vasq. 1. 2. q. 76. a. 3. Idem eſt, ſi ignorantiam affectet ad finem liberiùs errandi in fide: quia etiam talis verè non vult ſubjici Eccleſiæ, ſimiliter per conſequens pertinax eſt, & hæreticus. Zumel 1. 2. q. 76. a. 4. Diſp. 1. apud cit. Sanch. n. 23. E contrà ſi ex aliis finibus ignorantia (hæc affectetur e. g. ex tædio addiſcendi, hæreticus non erit, licèt peccet. Ratio eſt oppoſita: quia in tali deeſt pertinacia, utpote qui paratus eſt ab Eccleſia corrigi. Sed quid de eo ſentiendum, qui de aliquo articulo fidei dubitat? Pro hoc

Præmitto 8. Dubium in fide eſſe duplex: unum *poſitivum*, alterum *negativum*. *Poſitivum* eſt in eo, qui judicat articulum v. g. de reali Chriſti præſentia in Euchariſtia, licèt ſufficienter propoſitum, eſſe incertum. *Negativum* eſt in eo, qui circa talem articulum cohibet aſſenſum ex imperio voluntatis, ità ut neque judicet dignum eſſe, cui præbeat aſſenſum, neque etiam poſitivè diſſentiat Stoz l. 1. p. 3. q. 3. a. 1. §. 1. n. 116. 103.

Ubi addit: *Negativè dubitantem ſaltèm virtualiter* judicare, articulum illum indignum eſſe certo, & infallibili aſſenſu; ac ideò & negativum, & poſitivum dubium fidei repugnare, docenti: articulum ſufficienter propoſitum non ſolùm eſſe verum, ſed & certiſſimum; & ſi deliberatè fiat, ac cum pertinacia, ſemper eſſe peccatum mortale, & quidem hæreſim; ità Lugo, Suar. Con. &c. contra Canum, Sanch. Malderum apud Laym. l. 2. tr. 1. c. 13. n. 5. Quòd ſi dubium oriatur ex ſcrupulo, vel tentatione, cui non præbetur aſſenſus, ità ut illi reſiſtatur, meriti potiùs eſt materia, quàm peccati. Laym. cit. loco cit. Dixi initio: *articulum ſufficienter propoſitum*: iis enim qui inter hæreticos nati, & educati, Orthodoxam Religionem ignorant, dubitare licet, donec inſtruantur: & argumenta, ſive credibilitatem fidei noſtræ rectè apprehendant. Ratio eſt: quia dubitatio, & virtuale judicium de incertitudine in talibus cum pertinacia junctum non eſt. Valent. tom. 3. D. 1. q. 10. p. 4. Sanchez l. 2. mor. c. 1. n. 8. Ideóque rudiores noſtri hæretici, tametſi ſe in ſua fide, in qua nati ſunt, mori velle tenaciter aſſeverent, non illico formales hæretici exiſtimandi ſunt: ruditas enim, & ingenerata à Miniſtris ſuis, Parentibus &c. perſuaſio efficit, ut veritaté propoſitá non rectè apprehendant.

104. Præmitto 9. Juxta Bullam Cœnæ hæreticos *formales*, qui hæreſim, quam mente con-

conceperunt, voce externa, vel alio ſigno manifeſtant, vel profitentur, excommunicationem Papæ reſervatam incurrere. Ità ſentiunt Sanch. l. 2. Mor. c. 8. n. 6. Regin. l. 17. c. 4. a. 5. n. 85. Laym. l. 2. tr. 1. c. 14. n. 1. & alii paſſim, hoc ſenſu Bullam Cœnæ interpretantes. Ex quo ſequitur, hæreticos *formales*, qui hæreſim mente conceptam externo ſigno non manifeſtant, huic cenſuræ nequaquam ſubjacere. Ratio tamen, quam complures allegant, videlicet: quòd Eccleſia jurisdictione judicandi de omnino occultis careat, ab omnibus rejicitur, qui fundatè propugnant: Legislatorem Eccleſiaſticum obligare poſſe ad actus internos, ac de iis ſaltèm ſententia generali judicare. Unde præplacet ratio, quam affert Sanch. cit. n. 2. quòd quamvìs judicare de occultis Eccleſia poſſet; minimè tamen expediret rectæ, & ſuavi Eccleſiæ gubernationi. Addo huic aliam: quia cùm materia hæc odioſa ſit, reſtringenda potiùs eſt, quàm ad hæreticum mentalem amplianda.

Porrò, ut etiam *hæreſis manifeſta* cenſeatur excommunicationi ſubjacere, debet vox, ſcriptum, vel ſignum aliud tale eſſe, ut, ſi quis adeſſet, ex ſigno hoc, & circumſtantiis poſſit hæreſim percipere. Sà v. *excommunicatio*, in expoſitione Bullæ Cœnæ n. 31. Laym. cit. n. 4. Navar. Bannes, Sanchez &c. Unde qui ſigna indifferentia ponit, aut ſibi 105.

ſoli

ſoli nota, hæreticus externus cenſendus non eſt. 2dò debet actus exterior manifeſtativus de ſe eſſe malus, & mortalis, non verò per ſolam relationem ad actum internum. Sà cit. Henriquez l 6. de Pœn. c. 14. n. 6. Vasquez &c. Ratio etiam eſt: quia cenſura excommunicationis ob actum externum non fertur, niſì actus talis ſit de ſe mortalis. Unde etiam hæreticus cenſendus non foret, qui motus hæreſi interna, quâ putat licere eſum carnium diebus prohibitis, eſum modicum carnium faceret, qui de ſe eſt venialis Sanch. cit. n. 17. Excipe cum Laym. cit. n. 4. niſì hæc comeſtio hæreſis eſſet proteſtatio. 3tiò debent ſigna manifeſtativa poni animo hæreſim confitendi, non alio fine, ùt conſilii, vel auxilii capiendi gratiâ: Ac ideò hæreticus non eſſet, qui hæreſim ſuam internam in ſomno, ac ebrietate manifeſtaret, vel amicum de ea conſuleret. Laym. cit. n. 2. & 3. Sanch. cit. n. 24. Eidem excommunicationi ſubjiciuntur hæreticorum credentes, fautores, receptatores, defenſores, eorum libros legentes, tenentes, imprimentes, aut defendentes, quæ tamen omnia *formaliter* accipienda ſunt, videlicet, ut actiones talium referantur ad hæreticos, quia hæretici ſunt. Fusè de his Sanch. cit. c. 10. Laym. l. cit. &c.

§. II.

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

Q. 1. *Quid agendum Confeſſario pœnitentis, qui Baptiſmo ſuſcepto in Atheiſmum, Paganiſmum, Judaiſmum, vel Hæreſim eſt prolapſus?* 106.

℞. Diſpiciendum eſſe: an *negativè*? an *privativè*? an *contrariè* ſit infidelis? ſi enim *negativè* infidelis compertus fuerit, ùt, ſi infans baptizatus, ab Atheo, vel inter Paganos, Judæos, Hæreticos educatus fuerit, ſic, ut de vera fide nihil audire potuerit (quanquam hoc, quantum ad Atheiſmum, rariùs eveniat, & ſaltèm Deus verus longo tempore ignorari non poſſit) peccato infidelitatis deliquiſſe non cenſebitur. Ratio eſt: quia talis infidelitas involuntaria, per conſequens inculpabilis illi fuit. Unde pro confeſſionis materia de aliis peccatis, præſertim, quæ lumini naturali adverſantur, eſt interrogandus. Si verò *privativè* infidelis agnitus fuerit, id eſt, culpabiliter fidem veram ignoraverit, eò quòd inſtrui, nè à ſuo errore averteretur, refugerit, vel fide vera ſufficienter propoſita non quidem ut crederet, ſed ut de ea inquireret, ex dicta intentione inquirere neglexerit, peccâſſe graviter ignorantia culpabili utpote voluntaria, & quidem peccato Atheiſmi, vel Paganiſmi, vel Judaiſmi, vel Hæreſi cenſebitur. Si demum *contrariè*, vel *formaliter* infidelis animadverſus fuerit, utpote reſiſtens pertinaciter

ter propoſitæ ſibi ſufficienter ad credendum veritati, cenſebitur peccâſſe vero infidelitatis peccato. Quo judicio lato ad alia peccata, præſertim infidelitati connexa, & lumini naturæ repugnantia diſquirenda, deſcendetur.

107. Q. 2. *An peccatis recenſitis infideli pœnitenti mox impertienda ſit abſolutio?* ℞. Negativè: oportet enim diſpoſitam ad errorem deponendum voluntatem priùs rationibus, & motivis fidem veram evincentibus obfirmare. Quod ut tanto ſalubriùs fiat, conſultum eſt, abſolutionem tantisper differre, dum privatim plenè de erroribus ſuis edoceatur. Excipe mortis ſeu articulum, ſeu periculum, in quo ſufficiet Myſteria neceſſaria neceſſitate medii, & ea, quæ pœnitentiæ Sacramentum concernunt, breviter edocere; de reliquis verò actum fidei in communi, quo v.g. omnia credat, quæ vera Eccleſia credenda proponit, ab eo impetrare. Idem ferè eſt de eo, qui extra mortis articulum, vel periculum ad deponendos errores reſolutus ſpatium amplioris informationis nanciſci nequit. Quòd ſi in talibus de ſufficienti notitia ſeu Myſteriorum fidei, ſeu Pœnitentiæ Sacramenti, dubium ſuboreretur, danda eſt (ſuppoſita Jurisdictione) abſolutio ſub conditione. Dixi: *ſuppoſita Jurisdictione*, de qua

108. Q. 3. *An quivis Confeſſarius in infideles Baptizatos Jurisdictionem habeat?* ℞. Quemvis Con-

Confeſſarium in ſubditum infidelem talem Juriſdictione gaudere, ſi infidelitas ſolùm ſit *negativa*. Ratio eſt: quia talis infidelitas, cùm juncta non ſit pertinaciæ reſpectu ullius articuli, non conſtituit Apoſtatam *formalem*, conſequenter nec Hæreticum formalem, qui ſolus excommunicationi, & caſui reſervato eſt ſubjectus. Laym. l. 2. tr. 1. c. 13. n. 3. Stoz l. 1. p. 3. a. 1. n. 119. &c. qui ibidem excipit: niſi quarundam Eccleſiarum conſuetudo exigat, ut tales etiam *materiales* infideles mittantur ad eos, qui poteſtatem habent. Et licèt hæc conſuetudo non adeſſet, expedit tamen tales non abſolvere citra Juriſdictionem ſpecialem: ſæpe enim evenire poteſt: ut quos Confeſſarius cenſet eſſe materiales hæreticos, aut infideles, formales fuerint, aut ſint hæretici. Si verò infidelitas eſt *poſitiva*, & *formalis*, ſive illa ſit Paganiſmus, ſive Judaiſmus, ſive ſimplex Hæreſis, non quivis Confeſſarius Juriſdictione gaudet, ſed hanc ſpecialiter petere & obtinere debet; ſicut peti, & obtineri debet pro aliis caſibus reſervatis. De Hæreſi patet ex termiuis Bullæ; de Judaiſmo, & Paganiſmo facilè ex iiſdem deſumitur; ſi enim hæreſis, quæ eſt receſſus à veritate unius articuli, caſus eſt reſervatus; longè ampliùs caſus talis erit Judaiſmus, & Paganiſmus, utpote per quos Baptizatus receſſit ab omnibus, aut ſaltèm pleriſque fidei articulis, velut multiplicatam hæreſim admittendo.

Q. 4.

Digitized by Google

109. Q. 4. *A quo Juriſdictio in infidelem Baptizatum peti, & obtineri debeat?* ℟. Cùm, prout ex verbis Bullæ conſtat, Hæreſis (per conſequens etiam Apoſtaſia ad Judaiſmum, vel Paganiſinum, vel Atheiſmum) caſus ſit ſoli Papæ reſervatus, à ſolo Papa Jurisdictionem talem petendam, & obtinendam eſſe: licèt enim Conc. Tr. id: Seſſ. 24. c. 6. de Refor. facultatem det Epiſcopis quoscunque ſibi ſubditos abſolvendi à caſibus occultis Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam ab hæreſi, & conſequenter etiam à reliquis caſibus Bullæ Cœnæ; quia tamen ùt notat Sanch. l. 2. Mor. c. 11. Concilium ſolis Epiſcopis hanc Jurisdictionem tribuit per verba: *Idem & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis ſit permiſſum*, patet *ordinariam* Jurisdictionem in infidelem tametſi occultum minimè illis competere, per conſequens ab iisdem delegatam peti, & obtineri non poſſe. Petitur tamen, & obtinetur ab illis, non quia ordinaria Jurisdictione pollent; ſed quia ipſi (ùt etiam in noſtra Wratislavienſi Diœceſi mos fert) ſolent Româ petere, & obtinere ad quinquennium ſpeciales facultates abſolvendi ab hæreſi, & cæteris caſibus Bullæ Cœnæ, etiam quando publici ſunt, quas etiam poſſint aliis communicare. Ubi tamen obſerva cum La Croix l. 6. p. 2. n. 1598. Hanc facultatem ad quinquennium peti, & obtineri ſolitam aliis ab Epiſcopo, aut ejus Vicario

rio ultra quinquennium communicari non poſſe. Ratio eſt: quia Epiſcopò datur tantùm poteſtas communicandi ſuam facultatem; ergo cùm ſuam habeat tantùm ad quinquennium, ultra non poteſt communicare. Fuſiùs hoc ibidem probat idem Author. Quod de facultatibus Epiſcopo concedi ſolitis dictum eſt, intelligendum quoque venit de Nuntiis Apoſtolicis, quibus pariter non quidem ad quinquennium, ſed pro tempore Legationis poteſtas eas aliis communicandi concedi ſolet. Ex quibus

Colliges 1mò: Minùs tutè procedere eos, qui exiſtimantes vi Tridentini Epiſcopis Jurisdictionem ordinariam in Caſus Bullæ Cœnæ competere, obtenta ab iis facultate ſe ab iisdem abſolvere poſſe judicant, præſertim ſi caſus illi ad forum contentioſum ſint delapſi. Ratio eſt: tum quia conceſſio, ùt ex Tridentini verbis liquet, ad ſolam perſonam Epiſcopi reſtringitur; tum quia, ſi etiam ad alios extenderetur, quot annis facultas illa revocatur per Bullæ Cœnæ promulgationem, ùt refert Suar. de Cenſ. d. 21. S. 3. n. 5. aliíque Authores graviſſimi non pauci. 110.

Colligi 2dò poſſet, quod fusè urget La Croix l. 6. p. 2. 1618. Nullos Regulares, etiam noſtræ Societatis, & qui nobiſcum in privilegiis communicant, abſolvere poſſe ab ullo caſu in Bulla Cœnæ verè contento. 111.

Ratio: quia facultates, & privilegia conceſſa, quantum Bullam Cœnæ concernunt, quovis anno revocantur in ſingulis Bullis Cœnæ per verba: *Quibuscunq; Eccleſiaſticis, & Sæcularibus, & quorumvis Ordinum etiam mendicantium, ac militarium Regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis.* Et: *Quæ omnia* (privilegia) *quoad hoc eorum omnium tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitus omiſſo insererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, penitus tollimus, & omnino revocamus.* Verùm dicendum eſt cum Laym. Tom. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 2. revocationem hanc eſſe conditionatam, ſubintelligendo videlicet: *niſi in privilegiis caſus in Bulla contenti expreſſè concederentur.* Quam etiam conditionem revocationi expreſſè addiderunt Sixtus V. & Clemens VIII.

112. Colliges 3tiò Nec Prælatos Regulares ſuos ſubditos abſolvere poſſe ab hæreſi *occulta* non purè interna, & aliis occultis caſibus Bullæ Cœnæ. Ratio eſt: quia omnis hæreticus quocunque nomine cenſeatur, innodatur caſu ſoli Pontifici reſervato, derogatúrque omnibus privilegiis quorumcunque *etiam Epiſcopali, vel alia majore dignitate præditorum.*

113. Q. 5. *An Confeſſario ſimiliter judicandum de lectione librorum hæreticorum facta citra facultatem, ſicut de hæreſi?* ℞. Negativè: licèt enim lectio talis ſit caſus reſervatus in locis, ubi caſus hic non valdè frequens eſt; admodùm

dùm tamen probabilè eſt, non eſſe reſervatam, ubi, ſicut in Germania, Anglia, Gallia &c. Catholici hæreticis permiſti ſunt; per conſequens, ubi caſus iſte valde frequens eſt. Vide P. 1. c. 2. a. 2. §. 10. q. 4. & 7. Aliud eſt de hæreſi, & quidem *formali*, contra Laym. quæ tam frequens non eſt. Deſumitur idipſum etiam ex praxi multarum Diœceſium in Germania, in quibus reſervata eſt hæreſis *formalis*, non itèm lectio librorum hæreticorum. A mortali tamen lectio hæc non excuſatur ob imminens periculum grave perverſionis.

Cæterùm in noſtra Wratislavienſi Diœceſi librorum hæreticorum lectio pari paſſu cum hæreſi ambulare cenſeri poſſet ſpectatis facultatibus Sereniſſimo, & Reverendiſſimo Epiſcopo noſtro à S. D.N. Innocentio XII. conceſſis 8. Maji 1698. ac ab aliis quoq; Pontificibus peti, & concedi ſolitis; Dici tamen rectiùs poteſt has facultates omnibus Epiſcopis petentibus (licèt in quorundam Diœceſi lectio librorum hæreticorum caſus non ſit Pontifici reſervatus) eodem modo, eâdémque formulâ concedi, ac proindè, cùm in Diœceſi hac facultas legentes libros ſimiles abſolvendi peti non ſoleat ab Epiſcopo, ex praxi bene argui lectionem hæreticorum librorum nequaquam eſſe caſum reſervatum. Addo hìc breviter ex Sanch. l. 2. Mor. c. 10. n. 20. & ſequentibus pro illis locis, ubi lectioni librorum hæreticorum excommunicatio annexa eſt, 114.

n. 4. Affirmativè; niſi fortè in quibusdam locis præceptum non legendi contraria conſuetudine enervatum eſſet, quomodo aliqui cenſent præceptum datum Laicis de non diſputando cùm hæreticis cap. *Quicunque* de hæreticis in 6. contraria conſuetudine eſſe enervatum in locis maximè, ubi paſſim vigent hæretici. Et ſic enervatum cenſet præceptum de non legendis libris Evangeliorum, Judith, Eſther, Tobiæ, Eccleſiaſtici, aliquarum ſaltèm epiſtolarum S. Pauli, utpote quæ in locis non paucis etiam pueris legenda, & diſcenda dantur. Ratio, cur Bibliorum lectio Laicis prohibita ſit, eſt grave periculum, quod Laici minùs in doctrinis fidei illuminati facilè incurrere poſſunt, Bibliorum ſenſum non rectè intelligendi, & in errores graviſſimos, ùt non una experientia docuit, delabendi. Quod periculum, cùm in multis Laicis valde inſtructis, quorum nunc non levis eſt numerus, abſit, eos hoc præcepto non ſtringi probabile eſt. Ratio: quia in his ceſſat finis illius præcepti. Quin imò ſi Biblia latinæ vulgatæ editionis ſint, aut vernaculo idiomate à Doctoribus Catholicis verſa, arbitror in Germania citra ſcrupulum eorum lectionem omnibus admitti poſſe, quod ipſum Gretſerus pridem ſinè cenſura annotavit pag 789. his verbis: *Notiſſimum eſt univerſa Germaniæ Biblia Germanica à Catholicis viris in noſtram linguam converſa omnibus abſque ſcru-*

pulo permitti &c. nec dubito id fieri ſupremi Paſtoris conceſſu, vel indulgentià.

116. Q. 7. *Quid agendum Confeſſario cum pœnitente cogitationibus contra fidem, & Religionem agitato?* ℞. Diſquirendum illi eſſe: an cogitationes hæ pœnitenti ſint voluntariæ? an involuntariæ? ſi involuntariæ; ſuadeat, ut pœnitens de iis non angaturr, & nè quidem eas confiteatur poſthàc, ac ubi redierint, cum iis non pugnet, ſed potiùs contemnat; ſiquidem dæmon præprimis contemptu vincitur. E contrà ſi voluntariæ fuerint, diſpiciendum: an præſtitus ſit illis aſſenſus? vel, an ſaltèm dubium de aliquo fidei articulo ſe immiſcuerit? quibus obſervatis judicio de peccati malitia lato, rationes, & motiva in oppoſitum proponentur.

117. Q. 8. *An opere negare fidem judicabit Confeſſarius famulos illos, ancillas, Mechanicorum ſocios, qui apud Dominos, vel Magiſtros in ſervitio, aut labore conſtituti diebus vetitis carnes comedunt; feſtis verò diebus Miſſam intermittunt &c.?* ℞. Juxta univerſalem regulam de obſervatione præceptorum (quâ traditur multa præcepta, præſertim Eccleſiaſtica, non urgere, quando citra magnum incommodum obſervari nequeunt, & è contrà) tales non judicandos mortaliter peccare, neque fidem Catholicam facto negare; ſi magnum incommndum iis cæteroquin immineat, ùt: ſi cœteroquin ſolo pane veſci deberent, vel è ſervitio, aut labore, quo ſe alunt (cùm aluſî non ſup-

ſuppetit facilis occaſio) dimittendi forent. Oppoſitum judicandum eſt, ſi tale incommodum abſit, aut ſi hæc in contemptum Catholicæ Religionis, aut ad approbandam ſectam acatholicam expeterentur, ac fierent. Suadendum tamen prioribus eſt, ut de ſervitio, aut labore apud Catholicos pro viribus ſibi provideant, ubi conformiter legibus Catholicis vivere poſſint; quod nisì faciant, dum facere citra grave incommodum poſſunt, pòſthàc à peccato non excuſari. Ratio deſumitur ex regula indicata.

Hæc de iis, quæ Confeſſario agenda circa pœnitentem infidelem in ipſo Confeſſionali; quia verò ut bene obſervat Lohner in Inſtruct. pract. 5ta de confeſſione c. 8. ad Confeſſarium zeloſum etiam pertinet Dei gloriam, Eccleſiæ Catholicæ augmentum, & animarum ſalutem procurare, errantésque oviculas opportunis mediis ad ovile Chriſti reducere.

Q. 9. *Quomodo hæreticos præſertim à ſua hæreſi abducere debeat?* ℞. Compendiosè ex eodem Lohner cit. (cujus inſtructionem etiam in reliquis reſponſis compendio) cùm quatuor ſint hæreticorum claſſes: *pertinacium* videlicet, qui errori agnito pertinaciter adhærent; *zeloſorum*, qui ex ignorantia potiùs, quàm pertinacia ſectam ſuam veram judicant; *frigidorum*, qui errorem agnoſcunt, & etiam deponere parati ſunt; frigidas tamen excuſationes, quòd non deponant prætexunt; 118.

xunt; *dubiorum* denique, qui recto corde veritatem quærunt, & quia per ſe invenire nequeunt, ab aliis inſtrui petunt; quadruplicia quoque ſunt media, quibus à Confeſſario ad viam veritatis deducantur. Primum eſt oratio à Confeſſario in hunc finem adhibenda, & quantum fieri poteſt, erranti ſuadenda. 2dum eſt bonorum operum exercitium, ad quod, ſi fieri poteſt, eſt animandus. 3tium eſt frequentatio templorum Catholicorum, & concionum, ad quod eſt ſtimulandus. 4tum eſt amica Confeſſarii, vel aliorum Catholicorum cum eo converſatio, ad quam eſt inducendus. Porrò ut in hoc paulatim errores detegantur, non ſunt impugnandi ſtatim directè, ſed oſtendendum: quòd ob has, aut illas cauſas creditu difficiles videantur, ut hoc pacto dubia vel moveantur, vel augeantur. Quòd ſi errans perſonam Confeſſarii horreret, ùt frequenter evenit, diſponendi ſunt cum eo habitantes, aut converſantes, ut quod Confeſſarius proponere vellet, ipſi proponant. In quem finem multum conferet libellos de materiis talibus clara methodo agentes iisdem ſuppeditare.

119. Q. 10. *Quid Confeſſario agendum, cùm hæreticus inſtrui petit, vel ab aliis pro inſtructione adducitur?* ℞. Cum eodem Lohner loco cit. Excipiendum eſſe cum magna benevolentia, & charitate, conteſtanda verbis, & factis bona de ipſo opinio, laudanda bona

vo-

voluntas de ſalute animæ meritò ſolicita, inquirenda cauſa, quâ propoſitum converſionis concepit, laudato motivo opera, & inſtructio liberaliter offerenda. Hortandus demum, ut gratiam à Deo oblatam magni faciat, & ut finem præfixum conſequatur, inſtanter ad Deum preces fundat; quod ipſum etiam ſe facturum Confeſſarius illi promittat. Cæterùm cautela adhibenda, nè ſimilium narrationibus credulum ſe præbeat; ſed per varias quæſtiones diverſis temporibus propoſitas experiatur: an dicta eorum ſibi cohæreant? Dein non ſit facilis in ſuſcipiendis patrociniis, & procurandis auxiliis. 3tiò non ſit nimis familiaris, ac ſenſatè coram iis loquatur; nè, ſi ad vomitum redirent, habeant quod traducant. 4tò non concedat illis libros, aut res alias pretii majoris. 5tò ſi ad hæreſim rediiſſe comperiat, non turbetur, nec animum circa alios deſpondeat, qui compenſabunt, quod ab hoc deſideratum eſt.

Q. 11. *Quid in ipſa inſtructione obſervandum?* 120.
℟. obſervandum ante omnia: an materialis ſit hæreticus? an formalis? & circa quos articulos fidei hæreſis ipſius verſetur? Dein oſtendendum illi eſt, in quibus articulis Catholici cum hæreticis conveniant quales ferè ſunt, qui credendi ſunt neceſſitate medii; itèm in quibus disconveniant, quales ferè ſunt de numero Sacramentorum, de Sacrificio Miſſæ, de cultu Sanctorum, Sacrarum

imaginum, reliquiarum, de juſtificatione &c. Quibus præmiſſis exhibendum illi eſt, quàm ſolido fundamento Catholica doctrina innitatur, utpote quæ pro ſe habet & rationes firmas, & munitam S. Spiritûs aſſiſtentiâ authoritatem, Sanctorum Patrum, Virorum Doctiſſimorum, Martyrum etiam teſtimonia, quibus omnibus ſectæ hæreticorum deſtituuntur. Declarandum quoque eſt, quàm malè, & ſiniſtrè de noſtris articulis à Doctoribus ſuis informentur; ac ſi advertatur inſtruendum alicui hæretico articulo pertinaciùs adhærere, qualis eſſe ſolet articulus ſub utraque ſpecie, contra hunc errorem ſpecialiter argumentis eſt pugnandum. Cæterùm facillimum medium hæreticos convincendi eſt probare Eccleſiam Catholico-Romanam eſſe veram Eccleſiam ex veræ Eccleſiæ notis, eò quòd ſit *Una, Sancta, Catholica*, & *Apoſtolica*. Si convictus excuſationes quaſdam prætexit, ob quas à ſuſcipienda fide Orthodoxa retinetur, hortandus eſt, & media indicanda, quibus obſtacula removeat. His obtentis providendum, aut ſaltèm ſuadendum illi eſt, ut ſibi proſpiciat de Roſario, libello, ſacris imaginibus &c. utilitate horum commendata. Præprimis verò ſatagat Confeſſarius, ut horrorem confeſſionis Sacræ ab eo removeat, & pro hac, uti & Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento convenienter illum erudiat. Caveat nihilominùs, nè ad rigidum nimis examen

men pro confeſſione eundem ſtimulet, neque longos catalogos peccatorum illi ſubminiſtret; ſed moderatè ſe examinare jubeatur, & illud dein manifeſtare, quod occurrerit, reliqua à ſe Confeſſario interrogando ſupplenda promittat.

Q. 12. *Quid Confeſſario in confeſſione ſit præſtandum?* ℞. Suppoſita debita inſtructione, & notitia eorum, quæ tum ad valorem Sacramenti, tum ad modum illud obeundi pertinent, minimè expedit ab illo exactè petere numerum ſingulorum peccatorum; nè onere hoc fatigetur. Unde ſi formalis fuit hæreticus (materialis enim his non peccâſſe cenſendus eſt) non interroget: quoties non jejunaverit, vel carnes die vetito comederit &c. Sed quærat: quot annos habeat? & num ſe accuſet, quòd à tempore usûs rationis neglexerit omnia præcepta Eccleſiæ? Quoties per annum ſolitus ſit adire cœnam hæreticam? Imò probabile eſt ſatisfacere, ſi dicat ſe hactenus vixiſſe in hæreſi: ſic enim virtualiter dicit ſe eo tempore nulla Eccleſiæ præcepta obſervâſſe. Si tamen ſpecialem aliquem contemptum Papæ, vel Eccleſiæ habuerit, aut dixerit blaſphemias, vel calumnias contra Eccleſiaſticos, plùsquàm regulariter fiat ab hæreticis, aut dederit ſcandalum in rebus fidei, vel alios perverterit, vel in hæreſi detinuerit, hæc eſſent ſpecialiter explicanda. Si gravia crimina 121.

ad-

adferat, non arguatur; ſed potiùs blandè, ac manſuetè ad ſpem veniæ excitetur. Pœnitentia quoque gravis prima vice illi non imponatur, ſed invitetur ad proximas indulgentias.

122. Q. 13. *Quid circa Profeſſionem fidei obſervandum?* ℞. Offerenda illi prævię fidei Profeſſio in eo idiomate, quod callet, eidémque breviter explicanda. 2dò adhibere convenit unum, vel alterum teſtem. 3tiò ſi commodè fieri poſſit, fiat ſub ſacro publico, ità ut, dum peracta ſua Communione Sacerdos abſolutionem ordinariam pronunciavit, ad latus ipſe genu-flectat, Profitente interim ſuam Profeſſionem recitante, & in fine binos digitos Evangelio imponente, & tum demum SS. Chriſti Corpus à Sacerdote porrectum accipiente. Si verò legere non noverit, fiat extra Sacrum Confeſſario formulam Profeſſionis prælegente, & Profitente verba legentis repetente. 4tò peracta devotione amicè illi gratulandum, & ad conſtantiam motiva proponenda. 5tò teſtimonium Profeſſionis illi pro ſolatio tribuendum. 6tò aliquâ, ſi indiget, & vires adſunt, eleemoſynâ eſt juvandus, ut beneficio hoc tantò ampliùs ad priorum beneficiorum æſtimationem moveatur.

AR-

ARTICULUS II.

De Munere Confeſſarii pœnitentium ſuperſtitioſorum.

§. I.

PRÆMITTENDA.

NOto 1mò: *Superſtitionem* eſſe vitium Religioni oppoſitum, quo exhibetur cultus Divinus creaturæ, cui non debetur; vel Deo, cui debetur, ſed modo, quo exhiberi non debet. D. Th. 2. 2. q. 92. a. 1. Ex quo patet cultum ſuperſtitioſum bifariam dividi, in eum videlicet, qui cæteroquin Deo debitus tribuitur creaturæ, & in eum, qui tribuitur Deo modo indebito. Prior ſubdividitur *in Idololatriam*, *Divinationem*, & *Vanam Obſervantiam*, de quibus Notatis ſequentibus. Alter ſubdividitur in *falſum*, & *ſuperfluum*. *Falſum* cit. D. Th. q. 93. a. 2. ait contingere dupliciter, 1mò: quando cultus indebitus eſt falſus *ratione rei ſignificatæ*, ùt ſi quis modò cæremoniis Judaicis coleret Deum, quæ falſum nunc ſignificant, videlicet Filium Dei nondum incarnatum; ſi reliquias falſas exponeret pro veris; ſi prædicaret falſa miracula; ſi cantibus Eccleſiaſticis turpia, aut profana immiſceret &c. 2dò: quando eſt falſus *ex parte colentis*, quod fit, quando quis nomine Eccleſiæ adhibet aliquid ad colendum Deum contra Eccleſiæ inſtitutum, ùt ſi Laicus Deum colat tan- 123.

quam

quam publicus miniſter ſacrificando, abſolvendo &c. *Cultus ſuperfluus* eſt, qui à conſuetudine Eccleſiæ abhorret, nec ullatenus ad ſpiritum excitandum conducit e. g. nolle die Sabathi fila ducere in honorem Bmæ V. cùm tamen alii labores non intermittantur; idem eſt de veſpere die Jovis. Die Dominico nè minimum quidem lignum findere, eodem die jejunare, die communionis nolle incedere nudis pedibus; in Sacrificio adhibere plures cruces, ſæpius etiam ex devotione dicere Alleluja, Gloria &c. quàm Eccleſia ſoleat; Sacrum audire, non tamen niſì ante ſolis ortum, certo numero, ſitu, & ordine cereorum, à Sacerdote, qui vocetur Joannes, aut habeat ſtaturam Chriſti &c.

124. Noto 2dò: *Idololatriam* eſſe cultum creaturæ tributum, ſicut Deo. Ità Angelicus cit. q. 94. a. 1. ſive eſſe cultum ſoli Deo debitum ſic creaturæ exhibitum, ſicut Deo exhiberi oporteret. Hujus ſignum ſtatuit Valentia 2. 2. D. 6. q. 11. Si quis ſeu explicitè, ſeu virtualiter, & implicitè talem opinionem velit conciliare creaturæ, qualis revera ſoli Deo competit. Dividitur *in internam*, & *externam*. *Interna* eſt, quâ rationalis creatura *mentaliter* confitetur creaturam eſſe Deum. *Externa* eſt, quâ eadem rationalis creatura ſuam de creatura mentem ſignis externis conteſtatur. Alia diviſione dividitur *in imperfectam*, *perfectam*, & *ſimulatam*. *Imperfe-*

perfecta eſt, quando quis ſciens creaturæ nullam divinitatem ineſſe, ei tamen ex perverſo affectu v. gr. ex odio in verum Deum, vel cupiditate à dæmone aliquid obtinendi, cultum Divinum exhibet, ùt magi, & ſagæ exhibere ſolent diabolo. *Perfecta* eſt, quando quis falsò exiſtimans creaturam eſſe Deum, ei cultum Divinum præſtat. *Simulata* eſt, quando quis ſinè exiſtimatione divinitatis, & ſinè interno affectu colendi, ob tyranni, vel populi metum exteriùs tantùm creaturæ exhibet cultum divinum, ſeu latreuticum.

Noto 3tiò: *Divinatio* eſt ſuperſtitio, quâ 125. quis opem dæmonis *tacitè*, vel *expreſſe* invocat, ut noſcat res contingentes, & libere futuras, vel aliter occultas. Conſiſtit proindè, ùt Laym. loquitur l. 4. tr. 10. c. 3. n. 2. malitia divinationis in hoc, quòd homo in aſſequenda rerum cognitione, cujus indigens, vel appetens eſt, non ad Deum, ſed ad diabolum, Dei, & hominum infeſtiſſimum inimicum pro inſtructione confugiat, quod in ipſius diaboli, divinitatem in omnibus affectantis, honorem, Dei verò contumeliam, & contemptum redundat.

Ex quo facilè colligitur 1mò; divina- 126. tionem illam, quâ dæmon invocatur, ut noſcantur res ſoli Deo notæ, eſſe *tacitam*, & *implicitam* idololatriam; eam verò quâ invocatur, ut noſcantur res, quæ homini quidem occultæ ſunt, dæmoni tamen notæ, ſuperſtitionem etiam includere, ùt docet Angel. 2. 2. q. 95. a. 1.

Col-

Colligitur 2dò: divinationem aliam eſſe, quæ fit cum *expreſſo*, aliam, quæ fit cum *implicito*, & *tacito pacto*, vel *propoſito* aliquid à dæmone addiſcendi. Poteſt verò inſtructio occultorum expeti à dæmone per apparitiones varias oculis objectas; itèm per ſomnia, per homines arreptitios, per ſigna in corporibus terreſtribus, per ſigna in aqua, igne, aëre, avibus, ſideribus &c.

128. Noto 4tò: *Vana obſervantia* juxta D. Th. 4.96. a. 1. & 2. eſt, quando mediis inutilibus, & à Divina Providentia minimè conſtitutis procuratur aliquis effectus, ùt boni alicujus conſecutio, aut mali evitatio, aut damni illatio. Differt à divinatione: quia divinatio ordinatur ad ſolam occultorum cognitionem indebito modo comparandam; vana autem obſervantia tendit in effectum externum. Unde ſimiliter duplex eſt ſicut divinatio. Utraque fit vel utendo mediis indebitis ad ſcientiam repentè ſinè labore acquirendam; vel obſervando eventus e. g. caſualem occurſum vulpis, canis &c. & ex hoc ſeu boni, ſeu mali imminentiam colligendo; vel mediis indebitis corporum immutationem, alióſque miros effectus procurando, vel denique mediis ſimilibus ſanitatem quærendo.

129. Regula univerſalis ad dignoſcendum: an media ſint inutilia, & à Divina Providentia minimè conſtituta, eſſe poteſt, ſi evidenter advertantur neque naturalem vim

ha-

habere ad effectum; ſi verò poſſibile judicetur vim alterutram iis ineſſe, non cenſebuntur eſſe talia. In dubio autem, an effectus ex alterutra eorum vi procedat, judicandum potiùs eſt, quòd ità: vis enim hæc etiam naturalis nos ſæpe latet. Optimum verò eſt, cùm quis de vi medii applicandi dubitat, expreſsè proteſtari nolle ſe effectum conſequi, ſi vis diabolica ex quocunque pacto ſuperſtitioſo ſubeſt. Si certum ſit medio applicando nec vim naturalem, nec ſupernaturalem ineſſe, talis proteſtatio non excuſabit. Ratio eſt: quia eſt contraria facto. Ex his colliges, magiam, cùm per media improportionata tendat in effectum mirum, ad vanam obſervantiam velut ſpeciem pertinere. De hac

Noto 5tò: Magiam ſuperſtitioſam (na- 130.
turalis enim, quâ mira opera efficiuntur, per applicationem agentium naturalium, huc non pertinet utpote licita) bene definiri à Laym. l. 4. tr. 10. c. 4. n. 1. *eſt ratio efficiendi mira opera dæmonis miniſterio per ſigna ab ipſo inſtituta.* Dividitur verò in tres ſpecies, videlicet *in artem notoriam*, *artem ſanativam corporum*, & *artem maleficiorum*. *Ars notoria* eſt, per quam certis verbis, aliisque ſignis adhibitis, variæ ſcientiæ, ſeu doctrinæ ſine labore acquiruntur. *Ars ſanitatum* eſt, quâ procuratur ſanitas, vel immunitas à vulneribus ſeu hominum, ſeu animalium per benedictiones, incantationes, inſuffla-

tiones, ſcripturam, ligamina &c. Huc ſpectant aliæ etiam mutationes corporum, quæ in aliquam hominum utilitatem fiunt, nec à cauſis naturalibus tali modo provenire poſſunt v. g. theſauri occulti inventio, & transportatio, nubium repentina congregatio, pluviarum, & grandinis procuratio, ſagarum de loco in locum diſtantem avectio &c. *Maleficium* eſt, quod refertur ad nocumentum hominibus, jumentis, ſegetibus &c. inferendum. Juxta Tolet. l. 4. c. 10. aliud eſt *amatorium*, ſeu *phyltrum*, cujus uſus eſt ad carnalem amorem, vel odium excitandum dæmone hominis phantaſiam commovente, nihil tamen agente in voluntatem. Ex quo ſequitur, ſi taliter infecti labantur, eos verè peccare: quia libertas non auffertur, Fill. T. 24. c. 8. q. 1. Excipe nisì ità turbarentur, ut, quid agant, omnino ignorarent. Aliud eſt, & dicitur *veneficium*, quo perſonæ alicui, vel ejus bonis damnum infertur. Circa hoc

131. Noto 6tò: Quanquam malefico nunquam uti liceat, etiam in bonum finem: cùm intrinſecè malum ſit dæmonem invocare; ſi tamen maleficium occaſio fuit alicujus boni *v. g.* ſanitatis, vel bonorum fortunæ, licitus eſt boni hujus uſus, dummodò nulla ipſi illicita circumſtantia ſit admiſta, neque ullatenus à dæmone dependeat. Quanquam etiam licitum nunquam

quam ſit à malefico parato ad præſtandum maleficium, idipſum petere: cùm talis petens moralis cauſa foret maleficii; Item licèt nunquam licitum ſit à malefico petere, ut ſolvat maleficium, quando conſtat à malefico modum ſolvendi licitum ignorari, vel quando aliter, quàm ope dæmonis ſolvere recuſat: cùm tunc peteretur, ut maleficus vel adhiberet modum impoſſibilem, vel modum, quem illicitum non ignorat. Idem eſt, ſi dubium ſit, an modum licitum noverit? Licitum tamen eſt ſignum maleficii, quo dæmon nocet, deſtruere: cùm tali deſtructione nec pactum, nec ſocietas cum dæmone confirmetur. Unde etiam ſequitur poſſe interrogari maleficum, in quo ſignum illud conſiſtat, ut cognitum deſtruatur. Excipe: nisì maleficus ſignum hoc ignorans per artem ſuam id exquirere deberet. Poteſt quoque ſignum tale deſtrui, licèt maleficus damnum aliquod incurreret: quia damnum hoc eſſet præter intentionem deſtruentis; neque tenetur ſignum deſtruens alterius damnum cum damno ſuo evitare: Excipe: nisì ad tollendum maleficium requireretur actio poſitiva damnificans maleficum, ut maleficatus incolumis evadat: talem enim actionem nôn licebit authoritate privata exercere; poterit tamen exerceri authoritate publica, ſi nullum dæmonis pactum illi inſit:

nam poteſtatis publicæ eſt innocentes etiam cum nocentium damno à malo liberare. Præterea licitum eſt ſignum poſitivum contrarium ponere, dummodò ex ſe licitum ſit, & indifferens, ad pactum cum dæmone reſcindendum. Ità ſi dæmon pactus eſſet cum malefico ſe nociturum, niſi maleficiatus ſe ſignet cruce, lavet corpus &c. poteſt adhiberi tale ſignum ſolo animo tollendi ſignum, & pactum diſſolvendi: hæc enim intentio bona eſt, & medium licitum, ac indifferens. Demum quamvìs licitum ſit à malefico petere, ut ceſſet vexare maleficio, quando id eum facere poſſe conſtat absque dæmonis ope, tametſi ſinè hac ope facturus non ſit; dummodò mentem ſuam non declaret: tunc enim non cenſetur inducere in peccatum: cùm petens in neceſſitate ſua exigat rem, quæ aliàs licitè præſtari poteſt; ſicut licitè petitur mutuum ab uſurario, licèt conſtet ab illo ſinè uſura non obtinendum; non licet tamen idipſum petere à dæmone: quia hominis opem de ſe licitam expetere non eſt intrinſecè malum, ſicut malum eſt opem dæmonis expoſcere, vel pactum cum illo, & ſocietatem inire.

§. II.

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

Q. 1. *Quomodo agendum Confeſſario cum pœ-* 132
nitente ſuperſtitioſo? ℞. Obſervandum illi imprimis eſſe: an ſuperſtitio ex ignorantia invincibili, & bona fide proceſſerit, vel non? ſive quod idem eſt: an ſuperſtitio *materialis tantùm* fuerit? an verò *formalis*? cùm enim ignorantia, & bona fides ex unanimi Theologorum à peccato excuſent, ſuperſtitio ex illis procedens peccaminoſa non erit. Quod non rarò contingit in hominibus rudibus, & ſimplicibus. Si aliquam notitiam adfuiſſe, adeóque *formalem* ſuperſtitionem animadvertat, diſquirat: qualis ſuperſtitio ſit? videlicet: an ſit cultûs falſi? an ſuperflui? nam juxta March. in Reſol. Paſtoral. Reſol. 9. & alios paſſim: ſuperſtitio cultûs ſuperflui, utì & vana obſervantia venialis eſſe poteſt. Unde Confeſſarius in his obſervet: an notitia inutilis medii ad effectum plena fuerit? an tenuis ſolùm? Itèm: an ex ſigno poſito pœnitens crediderit effectum *infallibiliter* ſecuturum? ſæpe enim, præſertim in obſervatione eventuum fortuitorum e. g. in obſervatione ſomniorum, occurrentium variorum animalium &c. quædam velut ſuſpicio felicitatis, vel infelicitatis ſecuturæ oboritur; non præſtatur tamen plena, & firma fides.

fides. Et tunc ſuperſtitio peccati venialis malitiam non excedit. Quòd ſi verò adverteret pænitentem taliter ſuperſtitioſum monitum à Parocho, vel alio homine prudente ſuperſtitionem continuâſſe, judicare poterit eum mortaliter peccâſſe. Idem ferè judicabit, ſi obſervet quòd mediis inutilibus paſſim in rebus agendis utatur e. g. cujusvis noctis ſomnia adhibeat ad dignoſcendum diei ſubſequentis ſucceſſum, nisi & hic ſeu ignorantia, ſeu bona fides excuſet, neque à tali aliquid fiat, vel omittatur, quod ſit contra præceptum aliquod DEI, vel Eccleſiæ: tunc enim ignorantia quidem excuſabit peccatum ſuperſtitionis, non verò peccata conjuncta citra ignorantiam commiſſa.

133. Q. 2. *Sed quid ſi pœnitens dicat, ſe nonniſi res ſacras ad effectus, quos ſemper ad earum uſum experitur ſequi, adhibere?* ℟. Si pœnitens rudis, & ſimplex ſit, judiceturque uſum rerum ſimilium non intermiſſurum, præſtat eum in bona fide permittere; donec probabile judicium formari poſſit de hoc abuſu, ſi moneatur, intermittendo. Si verò inſtructionem cum effectu ſuſcepturus credatur, tria obſervet Confeſſarius. 1mò: an res ſacræ ad effectus vanos, & inutiles adhibeantur? & ſi ità, oſtendat pœnitenti, quòd DEUS rebus vanis, & inutilibus ſe non immiſceat; per conſequens in uſu talium rerum implicita dæmonis invocatio, & au-

& auxilium præſumatur. 2dò: Si effectus vani non ſunt, ac inutiles, moneatur pœnitens, ut cum rerum ſacrarum uſu auxilium quidem ad effectum intentum, ſanitatem v. g. felicem operis alicujus ſucceſſum &c. ſperare poſſit; auxilium tamen iſthoc *infallibiliter* adfuturum minimè credat: cùm Deus uſui talium rerum auxilium infallibile nequaquam appromiſerit. Quod univerſaliter ferè inculcandum eſt iis, qui geſtantes res benedictas, reliquias ſacras, Evangelium S. Joannis, imagines, characteres, formulas quasdam benedictionum, item orantes quotidie certas preces in libellis quibusdam repertas, credunt ſe eo die *infallibiliter* ab infortuniis, repentina morte, incendio, ſubmerſione &c. liberos futuros. 3ò. Si rebus ſacris quædam admixta ſunt ſuperſtitionem redolentia, jubeat Confeſſarius, quod ſuperſtitionem redolet, omitti, rem verò ſacram cum ſpe, & fiducia effectûs conſequendi adhibere. Sic ſi pœnitens exiſtimet ſanitatem ſibi redituram, ſi ſacrum ante ſolis ortum à Sacerdote, qui æquet ſtaturam Chriſti, accenſo certo numero candelarum, Eccleſiæ non uſitato, legi faciat, jubeatur circumſtantias has omittere, & per ſacrum Eccleſiæ ritu celebratum ſpem, non verò infallibilem fidem ſanitatis concipere. Addo tamen hic culpâ ſu-

Digitized by Google

perſtitionis vacare eas circumſtantias devotionum, quibus Myſterium aliquod Sacrum indicatur, & honoratur. Sic culpanda non eſt devotio, quâ Sacra quinque expetuntur in honorem quinque Vulnerum, aut candelæ totidem ad Sacrum accenduntur. Sic etiam culpandæ non ſunt devotiones novemdiales, decemdiales, jejunia certo dierum numero circumſcripta in talem finem uſurpata. Cæterùm pro deferendis nominibus, & characteribus citra ſuperſtitionem Alloza v. ſuperſtitio S. 2. n. 24. duas requirit conditiones. 1ma eſt: ut contineant ſancta, & nota; 2da: ut nulla ponatur ſpes in loco, tempore, numero, vel modo deferendi, aut alligandi ea.

134. Q. 3. *Quid præterea agendum Confeſſario circa pœnitentem formaliter ſuperſtitioſum* ℞. Si pœnitens ſuperſtitionem exercuit colendo creaturam v. gr. dæmonem ùt Deum, obſervet Confeſſarius: an idololatria fuerit perfecta? an imperfecta? an ſimulata tantùm? hæ enim idololatriæ ſpecie diſtinguuntur; aut ſi de perfecta dubium eſt: an ſpecie differat ab imperfecta? ſaltèm ob actum externum, quem involvit, eſt explicanda. Si exercuit divinationem, aut vanam obſervantiam, reſcire ſatagat: an iniverit explicitum? an implicitum ſolùm pactum cum dæmone? ſive an verbis expreſſis, aut ipſo facto, (adhibendo

bendo nimirùm ſignum, cui ſcivit dæmonem cooperari) eundem invocaverit ad præſtandam opem pro effectu aliquo conſequendo? an verò tantùm adfuerit pactum implicitum, eò, quòd ſciens media vim ſeu naturalem, ſeu divinam non continere, illa tamen adhibuerit? licèt enim difformitas ex pacto explicito reſultans ſpecie non differat à deformitate, quæ ex implicito pacto naſcitur (utrâque enim fœdus initur cum Dei inimico, & jurato hoſte) longè tamen diverſum judicium Confeſſario formandum eſt de pacto expreſſo, quàm de implicito, & tacito. Accedit, ùt obſervat Stoz. l. 1. p. 1. q. 1. a. 6. §. 3. n. 66. quòd in pacto explicito, licèt illud de ſe ab implicito ſpecie non diſtinguatur, ſemper interveniat actuale cum dæmone commercium, & promiſſio ei facta, ac ideò videatur continere malitiam eſſentialiter diſtinctam ab ea, quæ eſt in pacto implicito.

Cæterùm in divinationibus non eſt neceſſe reſcire: an factæ ſint per ſomnia, aërem, aquam, terram, ſtellas, carmina, & ſimilia, per quæ pœnitens divinavit: hæc enim ſpeciem non mutant. Regin. l. 6. c. 4. n. 114. Sanch. l. 2. Mor. c. 38. n. 12. Porrò cùm divinationes, & vanas obſervantias, præſertim illas, quæ cum pacto explicito fiunt, comitari ſoleant varia, eàque graviſſima peccata, non contentus erit Confeſſarius, quòd pœnitens dicat e. gr. exercui divina- 135.

vinationes vigeſies, vanas obſervantias e.g. magiam, maleficium trigeſies; ſed oportebit ad alia quoque peccata indaganda per interrogationes deſcendere. Pro quo

136. Q. 4. *Circa quæ divinatores, malos maleficos &c. examinare oporteat?* Reſpondet Buſenbaum l. 3. p. 1. n. 1. c. 1. dub. 5. ex Suar. Sanch. Fill. Bonac. examinandos eſſe, quo fine tali ſuperſtitioni ſe addixerint? v. gr. an ratione vehementis paſſionis, triſtitiæ, vindictæ, avaritiæ, aut ſancti nomen ſibi conciliandi? quæ eſſet ſacrilega hypocriſis. 2dò de apoſtaſia, idololatria, & hæreſi: conſtat enim quòd divinatores, magi, malefici, ut finem ſuum ope dæmonis conſequantur, abnegent Deum, Chriſtum, Sanctos, Sacramenta; habeant dæmonem pro Deo, vel Sancto; putent eum non damnatum, nec aſſeclas illius eſſe damnandos. 3tiò de blaſphemiis in Deum, & Sanctos. 4tò de Sacrilegiis: cùm ſæpe abutantur rebus ſacris, ipſâ etiam Euchariſtiâ. 5tò de luxuria ſecum, & cum hominibus exercita, uti & de commixtione cum ipſo dæmone. 6tò de damnis proximo illatis.

137. Q. 5. *Ad quid tales obligati ſint, ubi ſufficienter peccata ſua declarârunt?* ℟. Eos obligari 1mò: ut pactum expreſſum cum dæmone initum reſcindant, aut commercium, quod habent cum illo abjurent, eique renuncient. 2dò: ut libros ſuperſtitioſos, ſchedas, ligaturas, aliàque inſtrumenta artis

tis comburant, vel peſſumdent. Idem eſt de chirographo, ſi quod habent, in quo ſe profitentur Baptiſmo, & fidei renuntiare, ac totos ſe dæmonis obſequio dicare. Non eſt tamen opus peculiari cura, ut, ſi dæmon illud habet, id ab illo extorqueant: pactum enim ſufficienter per pænitentiam diſſolvitur. 3tò: ut damna illata reſarciant. Quod ſi bona, quibus damna reſarciri poſſent, aut deberent, ad fiſcum, vel ad hæredes delapſa eſſent, tenentur hi ex illis damna illata compenſare. Suar. Tom. 1. de Rel. l. 2. c. 17. Sanch. l. 2. Mor. c. 40. n. 53. cum Buſenb. cit. Obtinere inſimul Confeſſarius ſatagat verùm à pœnitente propoſitum, nunquam pòſthàc, quibuſcunque incitamentis diabolicis poſtpoſitis, in aliquid ſuperſtitioſum conſentiendi: nam ſi in propoſito deficere adverteretur (ùt in ſagarum confeſſione ſæpe evenit) abſolutio omnino neganda foret.

Q. 6. *Qui pœnitentes, ſi ipſi nihil ſuperſtitioſi confiteantur, utiliter de hac materia examinentur?* 138.
℞. eos maximè eſſe ſequentes. 1mò opiliones, quos experientia docet, varia perſæpe media ſuperſtitioſa adhibere, ut gregem à Lupis ſalvum conſervent; ut morbos, ſcabiem ab illo arceant; ut aliorum opilionum greges divexent. 2dò braxatores, qui præſtigias ſibi factas præſtigiis avertunt, aut aliis, ne in opere ſuo ſucceſſum habeant, per media ſuperſtitioſa impedimen-

dimento ſunt. His adjungi poſſunt Molitores, inter quos ſimilis farinæ homines reperire non rarum eſt. 3tiò fabri ferrarii, aliique equorum curatores; itèm famuli ruſticani, qui ad equos ſanandos ſacris verbis, & rebus utuntur, vel ad impinguandos, manus, vel res alias hominum patibulatorum, vel alia inconvenientia media, abhibent. 4tò fures famoſi, qui ope dæmonis portas, & arcas reſerant, canes obmuteſcere faciunt, homines ſopiunt. 5tò vetulæ, quæ certis verbis, chartis, characteribus &c. dentium, colli, oculorum dolorem, aliàsque infirmitates, pellere ſueverunt. 6tò Milites, & rixatores, qui variis orationibus, verbis ſacris &c. utuntur, ut in bello, duello, rixa, non vulnerentur; ſed impenitrabiles perſiſtant. His addi poſſunt villici, & villicæ dominorum, aliæque ruſticæ Matresſamilias, quas, pariter compertum eſt media ſuperſtitioſa admodùm varia adhibere ad morbos pecorum depellendos, ad lac coagulandum, ad butyri copiam procurandam, ad erucas ab oleribus, & arboribus arcendas &c.

139. Q. 7. *An ſuperſtitioſum cenſere debeat Confeſſarius, ſi quis pondere aliquo ad funiculum inter pollicem, & indicem ſuſpenſo exploret numerum horarum, pondere hoc vaſi immiſſo toties pulſante latus vaſis, quoties in horologio malleus cymbalum aut pro tunc percuſſit, aut percutit, aut percutiet?* 2dò: *ſi quis unguento armario inungat gla-*

gladium, quo læſus abſens à vulnere curetur? 3tiò: *ſi quis ungat gladium adhuc calentem ſanguine vulnerati, ut ſic illum ſanet?* 4tò: *ſi quis credat ſe moriturum ideò, quia alius ſe innocentem ad judicium citavit?* 5tò: *ſi quis credat imagines, & figuras aſtrologicas, quæ facta ſunt ſub tali conſtellatione, vel ſigno vim habere ad hunc, vel illum effectum?* 6tò: *ſi quis ex aura, quæ eſt certo die v. gr. feſto S. Urbani, vel Converſionis S. Pauli, velit prædicere, qualis ſit futura per annum?* 7mò: *ſi quis ad tales accedat, qui putant ſe habere à Deo gratiam ſanandi v. gr. ſtrumam, febres &c.* 8vo: *ſi quis utatur virgâ, quàm divinatoriam vocant, ad explorandos theſauros?* 9nò: *ſi Magiſtratus mulierem ſuſpectam per immerſionem in aquam exploret: an ſit ſaga?*

℞. Ad primum caſum, hunc ſuperſtitione non vacare. Ratio: quia pondus hoc nullam vim habet naturalem, minùs divinam, ad pulſum ordinatè, & ſtabiliter in latere vaſis præſtandum: licèt enim aliqui vim naturalem illi accedere putent à pulſu arteriæ, alii à ſpeciebus phantaſiæ ſanguinem moventibus; apparet tamen facile opinionis hujus vanitas: ſiquidem arteriæ pulſus conſtans eſt, & naturalis: numeratio autem horarum eſt arbitraria, & in diverſis locis omnino diverſa, imò in eodem etiam loco pro libitu mutabilis. Species verò ejus conſtitutionis ſunt, ut cum certa hora minimæ ſint connexæ: poteſt enim experimentum horæ capere ſatagens, imaginari ſibi

ſibi eſſe primam, cùm eſt tertia, & viciſſim, præſertim ſi noctu excitetur à ſomno, quo caſu ſi pondus terno pulſu tertiam indicet, certo attribui ſpeciebus non poterit, quæ primam indicant. Si verò pulſus primam eſſe exhibeat, pondus certa ſignificatione deſtituitur. Et ſi phantaſiæ ſpecies horæ reſpondeant, pulſùsque conſonus ſubſequatur, quæro: unde ſpecies veræ vim rectè horam indicandi habeant? cur non itèm falſæ? cùm eadem utrarumque ſit activitas.

140. ℟. Ad 2dum & 3tium, etiam hos caſus ſuperſtitione non carere, neque vim curandi naturali ſympathiæ poſſe attribui: incredibile enim eſt, quòd qualitates ſeu unguenti, ſeu gladii, ſeu ſanguinis, ſeu pulveris ſympathici poſſint ad diſtantiam improportionatam per muros, & interjecta alia corpora undequaque diffundi; in diſtans etiam agere nequeunt: cùm virtus, ſi quæ illis ineſſet, vulneri applicari naturaliter non poſſit.

141. ℟. Ad 4tum, etiam hunc caſum eſſe ſuperſtitioſum: Juſtus enim Deus innocentem non punit. Si tamen nocens ad Dei judicium citatus eſſet, meritò timere poſſet: non enim deſunt exempla, quibus exhibetur citationes tales effectu non caruiſſe.

142. ℟. Ad 5tum: ſi vis attribuatur ſoli artificio characterum, figuræ, vel imaginis, etiam

tiam hoc eſſe ſuperſtitioſum : quia aſtra vim non conferunt arti, licèt ſæpe conferant vim materiæ artificioſæ ad effectus quoſdam naturales à libero arbitrio independentes. Sic certæ medicinæ certis temporibus conficiendæ ſunt, herbæ certis temporibus evellendæ, ut effectum ſuum præſtent. Dixi : *à libero arbitrio independentes* : licèt enim aſtrorum vis inclinare poſſit voluntatem, minimè tamen neceſſitat. Unde omnes aſtrologorum prædictiones, quibus eventus à libera voluntate dependentes certò prædicunt, univerſaliter ſuperſtitioſæ cenſendæ ſunt ; quidquid dicatur de iis certè conſecutis : quia certam cum Aſtris connexionem non habuerunt, ſed ad ſummum : quia voluntas libera ab aſtris inclinata libere conſenſit.

℟. Ad 6tum : ſi opinioni ſuæ *firmiter* adhæreat, à ſuperſtitione non excuſari : ſiquidem aura talis diei *infallibilem* connexionem non habet cum aura per annum futura : Certiùs proinde aura per annum futura ex aura talis diei non prædicitur, quàm ex ſignis aſtrorum calendaria prædicant nives, pluvias, ſerenitatem &c. 143.

℟. Ad 7mum : Gratias tales univerſaliter non approbari, aliquas tamen approbari ab Eccleſia, quas Deus certis familiis conceſſit. Oportet proindè gratias tales, priùsquam in uſum deducantur, ab Ordinario rigidè examinari, ùt monet La Croix l. 3. p. 1, n, 134. 144.

℟. Ad

℟. Ad 8vum: teſte Kirchero, Schotto, Aldrovando, & aliis plerisque hanc coryli virgam ſuperſtitioni omnino eſſe obnoxiam, neque naturalem eſſe cauſam theſauros, & alia metalla reperiendi. Ratio deſumitur ex principio univerſali, quo habemus, tunc eſſe cauſam naturalem, ſi in iisdem circumſtantiis phyſicis ſemper agat eodem modo, quod virgæ huic nequaquam convenit: cùm requirat, ut applicetur v. g. à certis perſonis, cum certa intentione, ſub recitatione certorum verborum, & aliis circumſtantiis purè moralibus, quæ modum agendi naturalem, & phyſicum immutare non poſſunt.

146. ℟. Ad 9num: pro utraque parte authoritatem & rationem ſtare; intrinſecè illicitum affirmat Delrio l. 4. c. 4. q. 4. & 5. Ratio illius eſt: quia non licet communicare cùm dæmone, nec ſagam inducere ad illicitum uſum ſui pacti. E contrà illicitum eſſe negat Leſs. in Auct. v. Magia c. 1. ſi fiat citra ſcandalum. Ratio illius eſt: quia immerſio non eſt connexa pacto ulli cum dæmone, ſed eſt tantùm exploratio: an ſaga pactum habeat? neque eſt communicatio, & cooperatio cum dæmone, ſed permiſſio duntaxat. Exemplum dat in eo, qui exploraturus: an cives cum hoſte communicent, horâ noctis 12. accendi curat facem in mœnibus, de quo ſigno à civibus, & hoſte conventum creditur: talis enim nec

nec cum hoſte communicat; nec cauſa eſt, præterquàm *permiſſiva*, quòd cives viſo ſigno renovent voluntatem rebellandi, occaſionem duntaxat præbens per actum de ſe licitum. Dixi: *intrinſecè illicitam*: licèt enim de intrinſeca malitia talis immerſionis in utramque partem ſtet probabilitas, ab extrinſeco tamen malitiam gravem ſemper annexam habet, eò quòd graviter ab Eccleſia ſit prohibita. Vide La Croix cit. fuſiùs hæc pertractantem.

Q. 8. *Quæ remedia contra maleficia ſint ſvadenda?* ℞. Præter dicta ſuperiùs de licito uſu rerum naturalium, ſeu ut paſſim dici ſolent, *contrapactorum*, dummodò non contineant ullam cum dæmone communicationem, conſultiſſimum eſt media ſpiritualia ſvadere, qualia ex veteri Eccleſiæ Catholicæ uſu recepta collegit Maldonatus apud Reginald. l. 17. ſ. 4. Ex his 1mum eſt legitimus Sacramentorum uſus, ut Baptiſmus, & Confirmatio in iis, qui his Sacramentis necdum ſunt initiati, ſyncera peccatorum Confeſſio, SS. Euchariſtiæ ſumptio, Miſſæ Sacrificium. 2dum eſt donum expellendi dæmones. 3tium eſt Ordo Exorciſtarum. 4tum eſt invocatio Nominis JEſu. 5tum eſt pia oratio. 6tum jejunium. 7mum crucis ſignum. 8vum reliquiæ Sanctorum. 9num aqua benedicta. 10mum oleum conſecratum pro infirmis. 11mum ſpecialis virtus quorundam San- 147.

ctorum adhuc viventium. 12mum principium Evangelii S. Joannis. His addi poteſt granum S. Joannæ, cera benedicta, præſertim Innocentii XI. quæ à multis nunc, ut piè, ità ſalubriter adhibentur.

148. Qu. 9. *Quid agendum, ſi pœnitens reponat media hæc à ſe adhibita nec quidquam profeciſſe?* ℟. Detegendam ipſi eſſe duplicem cauſam, ob quam hæc remedia non ſemper effectum ſortiuntur. 1ma eſt peccatum vel maleficiati, vel illius, qui maleficium tollere curat. 2da eſt majus bonum illius, qui patitur maleficium: temporalis enim afflictio ſæpe præſervat à peccatis, vel purgat præterita peccata, vel præbet aliis exemplũ patientiæ, vel patientis meritum auget.

ARTICULUS III.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentium peccatis contra ſpem obnoxiorum.

§. I.

PRÆMITTENDA.

149. PRæmitto 1mò: Tripliciter contra virtututem ſpei poſſe peccari, videlicet 1mo: *non eliciendo actum ſpei*, cùm urget obligatio eum eliciendi. 2dò: *poſitivè deſperando*, quando quis deſperat ſe remiſſionem peccatorum, & gloriam æternam conſecuturum, ideòque omnem conatum ad hæc obtinenda intermittit. 3tiò: *præſumendo*, quod dupli-

dupliciter evenire poteſt, & quidem primò: inordinatè innitendo propriæ virtuti, ùt ſi quis cum Pelagio præſumat obtinere beatitudinem viribus naturalibus liberi arbitrii. 2dò: innitendo Divinæ miſericordiæ, ùt ſi quis præſumat ſe obtenturum beatitudinem ſuam ſinè bonis operibus, & meritis, quemadmodum faciùnt Lutherani; vel pœnitentiam differat in ſenectutem, & promittens ſibi tunc ad futuram Divinam miſericordiam peccata peccatis ideò accumulet ſic, ut ſpes remiſſionis ſit ratio peccandi, quod faciunt etiam quidam frigidi, & malitioſi Catholici. Platel. P.3. c.2. §.1. n.333. cum communi.

Præmitto 2dò: Præceptum Divinum de 150. actu ſpei eliciendo conſtare ex variis Scripturæ locis, ùt ex Pſ. 4. *Sacrificate Sacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino.* Itèm ex Pſ. 61. *Sperate in Domino omnis congregatio populi.* Rationem etiam dat cum aliis Laym. l.2. tr.2. c.2. n.1. Quia omnis actus ad ſalutem neceſſarius neceſſitate medii etiam eſt neceſſarius neceſſitate præcepti Divini ùt ſentit communis Theologorum. Obligat porrò ſpei præceptum 1mò: cùm quis infeſtatur graviori tentatione deſperationis, ſi aliter eam vincere non poſſit: tunc enim medium adhibendum eſt, quod unicum adeſt. 2dò: cùm urget obligatio agendi aliquid, ad quod ſpes tanquam medium neceſſarium requiritur, qualis eſt obligatio

pœnitendi: nam dolor in pœnitentia conjunctus eſſe debet cum ſpe veniæ, ùt conſtat ex Trid. Seſſ. 14. de S. Pœnit. Sacram. c. 4. His autem caſibus ſpei omiſſio non eſt diverſum peccatum ab eo, quod ad tentationem conſequitur, vel violatione præcepti v. g. pœnitentiæ committitur. Regin. l. 17. c. 6. n. 78. & 79. Sanch. l. 2. Mor. c. 33. n. 3. Ratio 1mi eſt: quia uſus ſpei in tali caſu non requiritur, per ſe, ſed ſolùm ùt medium opportunum ad peccatum vitandum. Ratio 2di eſt: quia hac ipſa omiſſione ſpei præceptum v. g. pœnitentiæ violatur, intermiſſo nimirùm eo, quod præcepto jubetur. Excipe: niſi pœnitens reliquis partibus poſitis Sacramentum ponere vellet, & tamen ſpem, quæ ad verum dolorem requiritur, culpabiliter omitteret: tunc enim præter violationem præcepti de pœnitentia etiam committeretur ſacrilegium. 3tiò: obligat ſpei præceptum ſive jam per ſe, ſive per accidens per vitam ſæpius. Vide p. 1. c. 2. a. 2. §. 2. q. 5. Præſertim initio vitæ, quando quis ſufficienter inſtructos de rebus fidei tenetur ſe ad Deum convertere per actus fidei, ſpei & charitatis. Itèm in fine vitæ, quando in ſummo periculo conſtitutus ſperare in Deum tenetur ob tentationes fortiores.

151. Præmitto 3tiò: Deſperationis *cauſam* ùt tradit D. Th. 2. 2. q. 20. a. 4. præter dæmonis impulſum eſſe duplicem: prima eſt acedia,

acedia, & tepor avertens à ſalute procuranda. 2da eſt habitus in vitio luxuriæ, & ſimilium peccatorum avertentium ab aſperitate virtutum, & pœnitentiæ, quibus ſalus procuretur. *Effectus* deſperationis ſimiliter duplex eſt: unus eſt *nimia* ſolicitudo rerum temporalium. Alter inordinata aggregatio divitiârum. Quando verò *nimia* per ſe conſequens *culpabilis* ſit ſolicitudo, colligi poteſt 1mò ex fine, ſi videlicet temporalia ſtatuantur in finem vitæ ultimum. 2dò: ſi inordinato ſtudio quærantur, ſpiritualia illis poſtponendo, & amore illorum peccando. 3tiò: ſi nimis timeatur, nè temporalia deficiant. 4tò: ſi non ſatis ſperetur auxilium Divinum neceſſitatibus adfuturum. Ex quibus etiam inordinatio in culpabili divitiarum aggregatione facilè deſum poteſt.

Præmitto 4tò: peccatum tum deſperationis, tum præſumptionis poſſe eſſe hæreſi conjunctum, ſi videlicet deſperans habeat hoc judicium: DEUS non poteſt mihi parcere, vel non parcet, licèt egero pœnitentiam; præſumens verò v. g. hoc: poſſum ſalvari absque pœnitentia, & meritis. Sanch. cit. n. 6. & 8. 152.

Præmitto 5tò: Peccatum tum præſumptionis, tum deſperationis, licet ob defectum deliberationis veniale eſſe poſſit; ſemper tamen eſſe mortale ex parte materiæ, quemadmodum odium Dei, blaſphe- 153.

phemia, & ſimilia, quæ alicui Dei attributo directè adverſantur. Laym. l. 2. c. 2. n. 5. Sanch. l. 2. Mor. c. 33. n. 8. Tol. Becanus &c.

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

154. Q. 1. *Quomodo agendum Confeſſario cum pœnitente in deſperationem, vel præſumptionem lapſo?* ℞. 1mò dijudicet: an peccata hæc cum plena deliberatione, vel nulla, aut ſemi-plena ſint commiſſa? ut judicium de eorum gravitate ferre queat. 2do. diſcernere ſatagat: an hæreſim conjunctam habuerint, ut peccatorum ſpeciem rectè diſcernat? 3tiò diſquirat cauſam, & fontem, ex quo profluxerunt, ut mediis congruis eum obſtruat. 4tò interroget pœnitentem de effectibus præſertim deſperationis, ut animum ejusdem contra illos ſalutaribus remediis obfirmet. 5tò obſervet: an præſumendo veniam ſperaverit, aut ſalutem absque Dei adjutorio acquirendam? tunc enim propriè erit præſumptio, & peccatum ſpeciale: an verò ſolùm ſpe veniæ peccaverit, aut pœnitentiam diſtulerit, ità, ut ſpes remiſſionis non fuerit ratio peccandi? tunc enim non erit ſpeciale peccatum.

155. Q. 2. *Quomodo diſcernendum: an peccata hæc cum plena, vel non plena deliberatione commiſſa ſint?* ℞. Id diſcerni poſſe indagando in ſtatum pœnitentis, in quo fuit, cùm in deſpe-

deſperationem conſentiret, videlicet: an tunc mentis compos fuerit, vel non? Item: an gravi melancholiæ, dolori, timori, perplexitati &c. ſic obnoxius fuerit, vel non, ut ad peccati malitiam aut prorſus non, aut ſaltèm non plenè adverterit? His enim perſpectis facilè colliget: an nulla? an aliqua? & qualis deliberatio adfuerit?

Q. 3. *Quæ media ad animum contra deſperationem, & præſumptionem obfirmandum potiſſimum conducant?* ℞. Deſperatione obnoxio maximè ob oculos ponenda, quæ ipſum in ſpem erigant, qualia ſunt infinitá Dei bonitas, providentia, miſericordia, promiſſiones infallibiles, auxilia oblata &c. pro quo plurimùm conferunt exempla, parabolæ, & textus ſacræ ſcripturæ, ut ſi deſperavit ob defectum temporalium, proponatur illi, quomodo Deus populum Iſraëliticum paverit in deſerto. Exod. 16. Danielem in lacu leonum. Dan. 14. Eliam ſubcinericeo pane 3. Reg. 19. quomodo etiam alat volatilia Cœli, quæ non ſerunt, neque metunt Matth. 6. quomodo itèm veſtiat lilia agri, quæ non laborant, neque nent. Ibidem. Adducatur teſtimonium Prophetæ Pſ. 144. *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Si deſperavit de venia peccatorum, & ſalute, proponatur illi publica in civitate peccatrix] Magdalena, Zachæus, & Mat- 156.

thæus publicani, Latro in cruce &c. qui tamen omnes ad Salvatorem converſi veniam graviſſimorum ſuorum peccatorum conſecuti ſunt, ùt habetur Luc. 7. 19 Matth. 9. Luc. 23. Revocetur illi in memoriam ovicula perdita relictis 99. amorosè quæſita, & humeris impoſita Luc. 15. Addantur aliqui Divinæ ſcripturæ textus, ùt Iſ. 1. *Lavamini, mundi eſtote* &c. *ſi fuerint peccata veſtra ùt coccinum, quaſi nix dealbabuntur*. Ezech. 33. *Qui non vult mortem impii, ſed magis, ut convertatur impius à via ſua & vivat.* Præſumptuoſo è contra ob oculos ponantur, quæ ſalutarem timorem in eo ciere idonea ſunt, qualis præprimis eſt Divinus rigor in eos maximè, qui miſericordiâ abutuntur, juſtitiam exercens. Itèm vitæ longioris incertitudo: qui enim pœnitenti veniam promiſit, craſtinum diem non ſpoſpondit, ùt loquitur Aug. Utiliter in hunc finem proponentur exempla S. Scripturæ, ùt Balthaſaris poſt convivium interempti. Daniel. 5. Abſolonis è quercu ſuſpenſi, & transfoſſi. 2. Reg. 18. Aman cùm nihil minùs cogitaret, ad patibulum affixi. Eſther 8. &c. Itèm profana paſſim ocurrentia. Addantur his Divinæ Scripturæ textus, quales ſunt: *quà neſcitis horà filius hominis venturus eſt.* Matth. 24. *Sicut fur in nocte ità veniet.* 1. Theſſ. 5. *Veniam ad te tanquam fur.* Apocal. 3.

ARTICULUS IV.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis obnoxii peccatis contra Dei, ſui ipſius, vel proximi charitatem.

§. I.

PRÆMITTENDA.

PRæmitto 1mò: Charitatem Dei, primariam inter virtutes Theologicas, eſſe amorem amicitiæ, quo Deo bene volumus, & omnia bona ipſi cupimus ob ſummam, & infinitam ejus divinæ naturæ bonitatem & perfectionem. Sive, ut habet Laym. tr. 3. c. 1. n. 1. eſt amor excellentiſſimus, quo Deus bonum excellentiſſimum, & finis ultimus ſecundùm ſe, & propter ſe diligitur, & propter quem, ſive in ordine ad quem reliqua omnia ſunt diligenda. Ex quo liquet charitatis præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. &c.* Matth. 22. aliud non præcipere, quàm, quemadmodum explicat D. Th. 2. q. 44. a. 5. ut Deus ſuper omnia alia diligatur, & appretietur; licèt amor creaturæ v. gr. quo Mater amat filium, tenerior, ſenſibilior, & intenſior eſſe poſſit. Liquet 2dò; in nulla creatura licitum eſſe ſic conquieſcere, tanquam illa eſſet finis ultimus aliis creaturis, & Deo ipſi prælatus, magisque æſtimatus. Proinde graviter delinquunt, qui terrenis ità immerguntur, ut perpetuò deſiderent in 157.

terris degere, parati Deo relinquere cœlum, dummodò ſibi terra relinquatur.

158. Præmitto 2dò: ſicut præceptum *negativum* fidei, & ſpei, ità etiam præceptum *negativum* charitatis obligare *ſemper pro ſemper*, ità, ut nunquam liceat bonum creatum magis appretiare, quàm Deum; vel Deum minùs principaliter, bonum creatum principaliùs amare. Sic etiam præceptum *affirmativum* de eliciendo charitatis actu obligare quidem *ſemper*, ſed *non pro ſemper*. Pro quo autem tempore obliget Laym. tr. 3. c. 3. n. 6. cum aliis cenſet difficulter determinari; ſtatuit nihilominùs tempora quatuor certiora, quorum primum eſt: cum homo uſum rationis primùm adeptus Deum tanquàm ultimùm finem ſupernaturalem per lumen fidei ſufficienter propoſitum ſibi habet: tunc enim obligatus videtur, ut non diu tardet ad Deum ſe convertere, eumque omnibus creatis præferre. 2dum tempus eſt: cùm ex tentatione periculum imminet, nè in odium DEI labatur, nisi actum charitatis eliciat. 3tium: cùm quis actum contritionis elicere tenetur e. gr. moriturus, ſacrificaturus, aut Sacramenta adminiſtraturus, ſic culpæ mortalis fit reus, nec copia Confeſſarii adſit. 4tum ſi quis exiſtimet ſe gravem tentationem non ſuperaturum, præſertim mortis tempore; niſi charitatis actu ad Deum convertatur.

159. Ubi rurſus nota in tribus poſtremis caſibus

ſibus omiſſionem charitatis non eſſe diverſum peccatum ab eo, quod hac non poſitâ committitur. His additur (quod etiam de fide, & ſpe dictum eſt) obligationis tempus 5tum, ſæpius videlicet in vita, & ſæpius, quàm ſingulis quinquenniis, ùt colligitur ex propoſitionibus ab Innoc. XI. n. 5. 6. 7. damnatis. Rationem dat Platel. P. 3. c. 3. §. 3. n. 450. quia talis negligentia includit quendam contemptum exercitii amicitiæ Dei, & ipſius Dei, à quo ſcit homo ſe aſſiduè diligi, ſaltèm in quantum Deus illi vult, & ſemper voluit dona naturæ.

Præmitto 3tiò: Charitati Dei adverſari *odium Dei*, de quo D. Th. 2. 2. q. 34. a. 2. 160.
êſtque vel *contra ſubſtantiam amoris Dei*, vel *contra modum*. Odium *contra ſubſtantiam* amoris Dei accipitur vel *generaliter* & *negativè*, vel *ſpecialiter*, & *poſitivè*. *Generaliter* & *negativè* acceptum involvitur in omni peccato mortali, quo *implicitè* Deus odio habetur; nec addit peccato ſpecialem malitiam: quia ad malitiam odii *directè* non advertitur, nec ea *directè* intenditur; *ſpecialiter* & *poſitivè* acceptum eſt, quo *directè*, *expreſſè*, & *explicitè* Deus odio habetur ſic, ut ad odii malitiam advertatur, & ea *directè*, ac *poſitivè* intendatur. Odium Dei *contra modum* eſt, quando Deus non diligitur ſuper omnia, quod fit, quando diligitur Deus propter aliud ſic, ut *directè* creatura ſtatuatur pro fine ultimo, vel quando creatura æquè diligitur, & appre-

pretiatur, ac DEus. Regin. l. 17. c. 10. à n. 100. Eſt peccatum graviſſimum, nec leve fieri poteſt ratione materiæ, ſed ſolùm ratione imperfectæ deliberationis D. Th. cit. loco cit.

161. Præmitto 4tò: Contra charitatem in nosmetipſos peccari poſſe dupliciter, 1mò *per exceſſum*, quando nos *nimis* amamus, quod tunc fit, quando Deo nos præferimus. 2dò: *per defectum*, quando nos *non ſatis* diligimus, quod fit, quando ſalutem noſtram ſive temporalem, ſive ſpiritualem negligimus. Ut verò *temporalis ſalutis* neglectus mortalis fit, debet malum ex eo ſecutum eſſe grave. 2dò debet adeſſe plena advertentia ad malum hoc ſecuturum. 3tiò non debet adeſſe rationabilis cauſa, ex qua hoc malum præferatur. Neglectus verò *ſalutis ſpiritualis* eſt mortalis tunc, quando ſalus temporalis præfertur ſaluti ſpirituali, vel iis, quæ ad illam ſunt neceſſaria, qualis eſt obſervatio præceptorum. Quod quidem ex acedia velut ex fonte profluere ſolet.

162. Præmitto 5tò: Contra charitatem in proximum peccari 1mò: inordinatè eum diligendo. 2dò: malum ipſi optando, vel deſiderando. 3tiò: in neceſſitate præſertim extrema eleemoſinâ, vel aliter illi non ſubveniendo. 4tò: in corpore vel anima, honore, fama, vel aliis rebus temporalibus eidem nocendo. Quomodo autem primo

mo-

modo delinquantur, colligendum eſt ex ordine charitatis in proximum, qui eſt diligendo omnibus anteponere Deum; ſua ſpiritualia bona præferre bonis proximi ſpiritualibus, & temporalibus; bona temporalia propria præferre bonis proximi temporalibus, non itèm ſpiritualibus, Laym. l. 2. tr. 3. c. 3. cum communi. Quoad perſonas verò præferre perſonas ſecundùm carnem conjunctas aliis omnibus non ſic conjunctis, & in illis viciniùs conjunctas alias remotiùs conjunctis, id quod *de amore beneficentiæ* intelligendum eſt: nam *amore complacentiæ, gaudii, reverentiæ*, & *honoris* magis diligendi ſunt, qui Deo ſunt ſimiliores, ùt tradit S. Th. 2. 2. q. 26. a. 7. 8. & 9. Ità magis diligendus eſt Pater, quàm filii, & uxor.

Præmitto 6tò: Etiam peccari contra 163.
charitatem in proximum, non diligendo inimicum, non quidem ut inimicus eſt, ſed *ùt proximus* eſt. Conſiſtit autem hæc dilectio in exhibitione *beneficiorum*, & *ſignorum dilectionis generalium*, ſive talium, quæ communiter omnibus ejusdem ſtatûs, ac conditionis hominibus præſtare ſolemus. S. Th. 2. 2. q. 25. a. 8. & 9. Navar. c. 14. n. 25. Laym. cit. c. 4. n. 2. ubi etiam doctrinam hanc ſequentibus exemplis declarat: Si pro tota aliqua communitate ores, eleemoſynam in omnes pauperes eroges, cognatos omnes ad cœnam invites, omnes vicinos ſalu-

ſalutare ſoleas, illicitè excluditur inimicus ejuſdem ſtatûs, & conditionis ab iis, qui beneficio afficiuntur. Rationem dat: quia excluſio hæc vindictæ cupiditatem indicat. Excipe niſi Parens v. gr. filio, Dominus ſervo, Prælatus ſubdito beneficium commune neget titulo juſtæ pœnæ, vel correctionis. Dixi: *beneficiorum & ſignorum dilectionis generalium*: ſpecialium enim beneficia, & dilectionis ſigna, ùt ægrotum inviſere, hoſpitio excipere &c. ei exhibere opus non eſt; niſì his in gravi neceſſitate poſitus indigeat, ùt idem D. Th. docet q. 25. a. 9. Excipe: niſi ex negatis ſpecialibus his beneficiis ſequeretur ſcandalum, vel iis inimici animus facilè poſſit conciliari, vel niſì aliter odium erga inimicum ſuperandum non judicetur, vel denique niſì inimicus veniam petat, & in amicitiam redire ſatagat Laym cit. loco cit. Ultimum tamen intelligendum eſt cum limitatione paulò antè data. Ex his facile colligitur licitum non eſſe odium in inimicum concipere, & fovere. Proinde quamvis actio injuriarum contra illum licitè inſtitui poſſit; id tamen unicè faciendum eſt animo damnum reparandi, non verò eidem inimico nocendi.

§. II.

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

Q. 1. *Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens dicat: non amavi Deum ex toto corde?* R. Quærendum eſt ex illo: cur putet eum à ſe ſic non eſſe amatum? ſi dicat: quia non ſic amavi, quantùm potui, nec tam tenerè, quàm parentes, propinquos, aut alios amavi, nec operibus bonis ità ſtudui, prout bonitas illius infinita merebatur. Quærat ex illo; an ſaltèm Divina præcepta adimplere ſtuduerit? magisque DEUM, quàm parentes, aut aliam quamcanque creaturam æſtimaverit, & appretiaverit? quod dignoſci poteſt, ſi rem creatam amittere maluit, quàm Deum per peccatum. Si reponit; omnino; inſtrui poterit ſe contra charitatis præceptum non deliquiſſe juxta illud epiſt. 1. Joan. c. 2. *qui ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas DEI perfecta eſt.* Et c. 5. *Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus.* Et 1. ad Cor. 13. *Qui diligit legem implevit.* Deinde oſtendat hoc præceptum intelligi debere de majore æſtimatione, & appretiatione DEI; non autem ſecundùm amoris teneritudinem, & intenſionem, ſicut docet Suar. T. 4. D. 4. S. 4. cum communi. Si verò contrarium aſſerit; in legem offendiſſe reputabitur. 164.

Q. 2. *Quid agendum, ſi pœnitens ſe accuſet: quòd dilexerit Deum propter mercedem, ſeu æternam, ſeu temporalem, vel ob infernum, aut alia* 165.

mala

mala evitanda? ℞. Diſpiciendum hic eſſe pœnitentis ſtatum, in quo pœnitens tempore dilectionis dictæ fuit: videlicet an voluntas *actualiter* ſic conſtituta, & parata fuerit, ut *actu* nollet Deum diligere, ejusque mandata implere, niſì ſpes mercedis, vel mali metus adeſſet? tali enim caſu mortaliter deliquiſſe cenſebitur, eò quod ſe ipſum plus, quàm Deum dilexerit plus appretiando bonum proprium, quàm Deum. An verò voluntas tantum *habitualiter* ſic diſpoſita fuerit, ut ex infirmitate ſua, niſì ſpes præmii, vel mali timor adfuiſſet, nequaquam Deum dilexiſſet, & præcepta illius ſervâſſet? quo caſu culpâ immunis judicabitur Laym. l. 2. tr. 3. c. 2. n. & l. 1. tr. 2. c. 6. n. 9. Sanch. 2. Mor. c. 35. n. 2. Poteſt etiam pro dignoſcendo: an ſic diligendo benè, an malè egerit? ſervire regula à S. Th. 2. 2. q. 27. a. 3. indicata, ubi docet eum non peccaminosè, ſed meritoriè agere, qui ſpe vitæ æternæ, vel timore Inferni excitatus in Deum diligendum fertur non propter aliud v. gr. propter proprium commomodum ſed propter ipſum Deum, ſeu quod idem eſt: qui commodum propter Deum diligit, non verò Deum propter commodum, ſic ut Deus ſit finis magis principalis, commodum finis minùs principalis, aut medium.

166. Q. 3. *Quod judicium ferendum Confeſſario, ſi pœnitens dicat ſe Deum amore digniſſimum toties*

ties, & toties odio fuiſſe proſecutum? ℞. Juxta dicta ſuperiùs: ut rectè de peccato judicet, diſpiciendum illi eſſe: an *directè*, & *expreſsè* intenderit DEO malum inferre? an tantùm *indirectè* peccato, à peccato odii diverſo, malum inferre voluerit? ſi primum; reum ſpecialis malitiæ mortalis in odio repertæ eum judicabit. Diſquirat inſuper quale malum? & quomodo inferre DEO voluerit? an blasphemiâ? an ſcandalo? an ſacrilegio &c.? ut rectè de ſpecie, aut circumſtantiis ſpeciem mutantibus ſententiam ferre poſſit. Si alterum; alio peccato eum non peccâſſe exiſtimabit, præterquàm eo, quod à peccato odii diverſum recenſet: odium enim novam ſpeciem non addit, niſi *directè* ſit intentum, ut paulò antè dictum. Idem de contemptu Dei, inobedientia, & ſimilibus malitiis in quolibet mortali involutis venit intelligendum, ùt docet communis.

Q. 4. *Quid agendum Confeſſario, dum pœnitens angitur, vel dubitat: an poſt adeptum rationis uſum, & ſufficientem de Deo notitiam? itèm an ſaltem annis ſingulis ſemel actum charitatis Dei explicitum, & formalem elicuerit?* 167.
℞. Si pœnitens ſaltèm ab uſûs rationis primordio aliquo notabili tempore vitam Chriſtianam duxit orando, templum, Miſſæ Sacrificium, Sacramenta adeundo. Item niſi adultus per annum, vel annos, peccatis ſuis immerſus, aut penitus Dei, & ſalutis

oblitus fuiſſe obſervetur, non facilè judicabitur obligationi actum charitatis eliciendi contraiviſſe: nam, ùt rectè oſtendit Cardenas ſuper prop. 5. 6. 7. ab Innoc. XI. damnatis, præcepta dilectionis hujus difficilia non ſunt, imò frequentiſſimè contingit, ut impleantur, quamvis hoc non advertamus: quoties enim abſtinemus à malis: quia Deo diſplicent; quoties facimus aliquid boni, aut ſervamus aliquod præceptum: quia Deo placet; toties charitatis præceptum implemus; imò raræ orationes ſunt, in quibus amor Dei non contineatur e. g. Oratio Dominica, in qua volumus, ut ejus nomen ſanctificetur, ejus voluntas fiat in cœlo, & in terra. In quibus omnibus ſæpe etiam inadvertenter actus charitatis elicitur, quæ *efficiens* nuncupatur. *Afficientes* verò charitatis actus ſæpe quoque ponitur, ùt quando quis Deo favet Divinas perfectiones; bona illi vult, quæ habet; gaudet de illius honore, qui ipſi exhibetur; optat, nè offendatur, ut alii illi ſerviant, eum ament, & colant. Ratio autem, cur in his omnibus eliciatur *explicitus*, & *formalis* actus charitatis eſt: quia omnia hæc fiunt ex motivo Bonitatis Divinæ, ſaltèm conceptu confuſo, & tenui repræſentatæ. Applica hæc obligationi eliciendi actum fidei, & ſpei, de qua ſuprà mentio facta eſt.

Q. 5.

Q. 5. *In quibusnam perſonis maximè inveſtigandum eſt Confeſſario: an contra charitatem in proximum deliquerint?* ℞. 1mò in parentibus, qui ex inordinato amore proles malè educant non corrigendo earum vitia, nec ad Chriſtianos mores eas manuducendo, cui peccato ſæpe etiam connexa eſt malitia ſcandali, cùm videlicet verbo, vel exemplo prolibus ſuis ſpiritualis ruinæ cauſa ſunt. Itèm qui potando, ludendo &c. rem familiarem dilapidantes prolibus de congrua ſuſtentatione non provident. 2dò in prolibus conjugatis vivente Patre, aut Matre, qui iis egeſtate preſſis non ſuccurrunt, verbis & factis graviter affligunt. 3tiò in Superioribus, Præceptoribus, & Magiſtris, itèm Dominis, & univerſim aliorum curam habentibus, qui mala ſeu ſpiritualia, ſeu temporalia à ſubditis, cùm ſinè gravi moleſtia fieri poteſt, non avertunt, aut bona, quæ facilè procurare poſſunt, non procurant. 4tò: in familia inſimul, aut communitate viventibus, qui humano reſpectu ducti delinquentes eis non deferunt, à quibus facilè corrigi poſſent. Huc reducuntur 1mò qui in eadem domo conviventes malo exemplo præeunt, ùt ſit turpibus loquelis, blasphemiis, inhoneſta converſatione, quibus conviventes ea addiſcunt, quæ nunquam ſciverunt, & ad illa damno ſæpe irreparabili inducuntur. Reducun- 168.

ducuntur 2dò etiam ſtudioſi, qui vel affectu in perſonam delinquentem, vel nè ſcrupuloſi, aut æſtimationem affectantes, vel in re mala minùs ſynceri, ſeu delinquentibus, ſeu his affectu ſiniſtro conjunctis videantur, negligunt periculoſos defectus, ſæpe etiam pluribus aliis nocivos, deferre Superioribus, quibus detectis ſeu bonum particulare delinquentis, ſeu univerſale ſtatûs, vel communitatis facillimè procurari, & malum averti poſſet, rationes absque ratione ſolida, & in Deo fundata prætexentes. Circa quæ duo adhuc obſervo, ſæpe (ubi videlicet charitas conjuncta eſt officio, quod auxilium proximo ferendum urget) præter peccatum contra charitatem etiam committi malitiam injuſtitiæ ſpecialiter in confeſſione explicandam. 2dò. malitiam ex charitatis violatione obortam: an gravis ſit, vel levis? ex detrimenti illati gravitate eſſe dijudicandam. 3tiò quia circa enormia non rarò detrimenta oculi pœnitentis velut clauſi ſunt, ſingulariter Confeſſario allaborandum eſſe, ut cæcitas depellatur, ac ità obligatio ſeu charitatis, ſeu juſtitiæ bene advertatur.

169. Q. 6. *Quid circa ruinam, aut detrimentum ſpirituale; ſeu ſcandalum Confeſſario ſit obſervandum?* ℞. 1mò diſpicere conetur: an ſcandalum hoc fuerit tale *per ſe*, id eſt: an pro-

proceſſerit ex *intentione ſcandalizantis*, vel *ex natura operis*? Quod dignoſci poterit: an juſſu, conſilio, auxilio, aut opere de ſe malo, & illectivo proximum ad peccandum perduxerit? 2do: an peccatum, ad quod proximus inductus eſt, grave fuerit? an leve? 3tiò: quot inducti ſint? nec enim ſufficit, ſi numerus ſaltèm probabilis ſciatur, dicere: plures ſcandalizavi: ſiquidem ob diverſa jura læſa etiam diverſa numero peccata contrahuntur, qui numerus peccatorum, ſicut ſpecies in confeſſione eſt explicandus, ùt liquet ex Trid. Seſſ. 14. de S. Pœnit. Sacram. c. 5. 4tò: in quam ſpeciem peccati proximus inductus ſit? ejus enim ſpeciei erit ſcandalum, cujus eſt peccatum ſcandalizati. 5tò: diligenter invigilet, dum peccata quædam à pœnitente recenſentur, quæ ſcandali malitiam annexam habere ſolent, qualia ſunt turpiloquia, malæ converſationes, detractiones &c. ut de hac malitia pœnitentem interroget: experientiâ enim teſte ſcandalum datum à pluribus pœnitentibus nihili habetur, aut ſaltèm oblivioni datur; cùm tamen res admodùm ſit gravis. 6tò: non intermittat pœnitenti, quantum fieri poteſt, injungere illati damni reparationem: quemadmodum enim damnificans in temporalibus ad reparationem damni obligatur, ità quoque, imò ampliùs obliga-

tur damnificans alterum in ſpiritualibus: cùm damnum iſthoc longè majus ſit priore.

170. Q. 7. *Quomodo Confeſſario procedendum cum eo pœnitente, qui dicit ſe inimicitias habuiſſe cum proximo?* ℞. Cum inimicitia odii ſæpe in dies, hebdomadas, menſes, etiam quandoque in annos protracti mater, odium verò, & conceptus rancor multorum, variorúmque ſeu damnorum, ſeu aliorum peccatorum parens ſit, diligenter inquirat Confeſſarius 1mò: an pœnitens ex inimicitia mala quædam, & qualia inimico deſideraverit, vel imprecatus ſit? 2dò: annon quædam etiam ſeu detrahendo, ſeu calumniando, ſeu in bonis aliis nocendo eidem intulerit? 3tiò: annon de infortunio ipſius ſibi complacuerit, & gaviſus ſit? 4tò: annon inimico animo ſuo, aut factis alios ſcandalizaverit? 5tò: annon beneficia generalia ei denegârit? 6tò: an ruinam ſeu temporalem, ſeu ſpiritualem, cùm facilè poſſet, ex rancore non præpedierit? 7mò: an ſyncerè deprecanti (citra bonum inimico intentum) veniam negaverit? Horum enim notitia plurimùm conducet ad peccatorum ſpecies, quæ in gravibus inimicitiis concatenatæ eſſe ſolent, debitè cognoſcendas. Ut verò etiam numerum dignoſcat, inveſtiget in tempus, & durationem inimicitiæ, exquirátque juxta regulas p. 1. pro numerica

malitia

malitia dignoſcenda datas: annon eundem peccati actum ſæpius interruperit? diverſis occaſionibus repetiverit? plurium jura in eadem materia, ſeu famæ, ſeu aliorum bonorum læſerit? Cognito tali peccatorum ſtatu, quo conatu poteſt, allaboret Confeſſarius, ut pœnitentem ad inimicitiam deponendam, & ad reconciliationem inducat. Horum occaſione

Q. 8. *An ergo nunquam licitum ſit de gravi malo inimici gaudere, vel de bono illius triſtari, aut illud ob temporale emolumentum optare.* ℟. gaudium de gravi malo inimici, & triſtitiam de ejus magno bono ſemper eſſe illicita, ſi ex odio, vel vindicta procedant. Idem eſt de deſiderio, & mali illatione, levis temporalis emolumenti causâ. Utrumque deſumitur ex Prop. 13. ab Innoc. XI. damnata: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alterius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum*, leve ſcilicet, ùt Cardenas exponit in Criſi. Si enim conformiter huic damnationi illicitum eſt mortaliter cum debita moderatione de vita alterius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, eamque inefficaci affectu petere, & deſiderare non ex diſplicentia perſonæ; quantò magis illicitum mortaliter erit id facere ex odio, vel vindi- 171.

ēta, affectu efficaci, cum diſplicentia perſonæ. Ratio ulterior eſt: quia actionum iſtarum finis eſt in materia gravi intrinſecè malus. Quòd verò leve emolumentum conſecuturum non excuſet, ratio eſt: quia ſicut irrationabile eſt mortem ſibi optare, ut quis liberetur à levi corporis malo v. g. tuſſi, modico dolore capitis &c. ità etiam irrationabile eſt optare alteri grave malum, vel de eo gaudere, aut de magno bono triſtari ob commodum aliquod leve.

172. Cæterùm, ùt rectè notat Cardenas cit. ſuper prop. 13. 14. 15. Licitè deſideratur *inefficaciter* etiam mors alterius propter magnum bonum ſpirituale illius, vel alterius v. g. ſi prævidetur etiam ejus perverſio ſecutura. 2dò: propter ingens etiam bonum temporale communitatis, aut Eccleſiæ. 3tiò: propter vitandum aliquod magnum nocumentum, quod ex vita illius impendet conſangvineis, vel proximo, vel etiam ipſi deſideranti, dummodò illud deſiderium (idem eſt de gaudio) *directè*, & *immediatè* feratur in ſolum bonum ſuum, vel proximi, ità ut mors quatenus proximo eſt mala, nullomodo ſit objectum illorum actuum. Bene tamen circa hoc obſervat La Croix l. 2. n. 186. quòd facilè ſe hìc inſinuare poſſit odium, & vindicta.

173. Q. 9. *Quis modus Confeſſario adhibendus ut pœnitentem odio inimicali laborantem ad illud depo-*

deponendum, & reconciliationem quærendam diſponat? ℟. Si obfirmatum videat illius animum, dilata interim abſolutione præcipiat illi, ut ſaltem quotidie à Deo oret gratiam, & auxilium ſeipſum vincendi. 2dò: præſcribat illi quædam charitatis exercitia, qualia ſunt ſalutem inimici aliquoties Deo, ac Bmæ virgini commendare, audire pro illo Miſſæ Sacrificium, certam erogare eleemoſynam, quibus peractis ad abſolutionem percipiendam redire poſſit. Ut verò facilius ad hæc ſe reſolvat, proponi poteſt exemplum Chriſti, qui pro ipſis crucifixoribus oravit, S. Stephani, S. Jacobi, & aliorum, qui pro ſalute ſuorum occiſorum Deum deprecati ſunt. Ipſe quoque Confeſſarius pœnitentem hunc ardenter Deo commendet. Utile quoque fuerit ei ſuadere, ut aliquoties per diem recitet: *Pater noſter* & verba illa: *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, maturè perpendat, atque ex his concludat: ſic ſibi à Deo offenſas ſuas eſſe remittendas, ſicut ipſo inimico remiſerit, per conſequens ſi inimicus veniam ſperare non poteſt, nec ſe à Deo eandem ſperare poſſe. Si verò dicat ſe offenſam inimico plenè remiſiſſe, non ſit facilè credulus Confeſſarius; ſed exquirat ſigna: an verba cordi conſentiant? Signa talia obtinere poterit, deſiderando, ut illatæ injuriæ ſeries ſibi exponatur; non difficulter enim ex verbis conji-

ciet, quomodo internè ſit affectus: latens namque in corde rancor vix ea citra ſcommata, invectivas &c. proferre ſinet. Conetur quoque ex eo reſcire: an inimicum alloquatur? priùs ſalutet? an ſi eum conſpiciat, in aliam viam non deflectat? an domum, aut etiam templum commune, né fortè in illius conſpectum veniat, ſubterfugiat? Si demum dicat, hactenus quidem à ſe inimico injuriam non eſſe remiſſam, nunc autem illam ex corde à ſe ipſi condonari: ſimili quoque modo dictorum veritatem reſcire conetur, & pòſtquàm ſeriem injuriæ recenſeri audivit, eum percontetur: an poſthac inimicum alloqui, ſalutare &c. præſertim veniam petere, & petenti concedere ſit paratus? ſed de hoc

174. Q. 10. *An veniam ab inimico petere conſilii tantùm ſit? an quandoque etiam præcepti?* ℟. aliquando eſſe conſilii tantùm, imò conſideratis circumſtantiis aliquando nec conſilii, aliquando verò eſſe præcepti. *Conſilii tunc eſt*, quando injuria illata levis, aut quam offenſus intulit, gravior eſt. 2do: quando aliò etiam medio ſatisfieri poteſt. 3tiò: quando injuriæ mutuò ſe compenſant. 4tò: quando læſus cenſetur injuriam non adeò curare. 5tò: quando apud aliquos v. g. nobiles veniæ petitio in uſu non eſt. 6tò: quando offendens longè ſuperior eſt offenſo. 7mò: quando offenſus exigit inſuetam humiliationem. 8vò: quando

do ſcitur offenſum petitioni non acquieturum. In his enim caſibus nulla eſt obligatio veniam petendi, ſed commendabilis solùm, & laudabilis humilitas, ac ſui victoria, quæ citra obligationem exercetur. *Nè quidem conſilii eſt*, quando moralis adeſt certido læſum per veniæ petitionem magis exacerbandum. 2dò: quando prævidentur majora mala ſeu corporis, ſeu animi exin oritura, quàm ſatisfactio requirat. *Præcepti eſt*, quando alter graviter eſt offenſus, nec ſupereſt aliud medium reconciliandi: ſicut enim ſic offendens tenebatur non ponere offenſam, ità eam tollere tenetur. Ordo porrò veniam petendi, & ſatisfaciendi hic eſt; ut cæteris paribus prius ad hæc obligetur, qui priùs offendit. Si verò prior leviter, poſterior graviter offendit, tenetur priùs ad illa poſterior; ſi prior eſt longè nobilior, poteſt petitionem tantiſper ſuſpendere, donec inferior ſatisfactionem præſtet. Si ex utraque parte eadem eſt ratio, tenetur uterque petere data occaſione. La Croix l. 2. à n. 188. & apud eundem Nav. Bon. Lay. Tamb.

Q. 11. *Quid agendum, ſi pœnitens dicat ſe pauperibus petentibus negâſſe eleemoſynam, & illius loco, cùm petere inſtarent, verbis aſperis eos invaſiſſe?* ℞. Quoad 1mum: videat Confeſſarius: an pœnitens dives ſit ità, ut bona habeat *ſuperflua*, non tantùm *naturæ*, ſeu ad ſuam, ſuorumque vitam ſuſtentan- 175.

dam

dam non neceſſaria; ſed etiam *ſuperflua perſonæ*, ſeu non neceſſaria ad perſonæ ſtatum, ac dignitatem tuendam. 2dò: an pauperes in *extrema neceſſitate* conſtituti fuerint, qualis eſt, cùm quis, niſi ſibi ſuccurratur, vitam ægre, & difficulter ſuſtentabit? vel denique: an *neceſſitas* eorum *ordinaria* tantùm fuerit, & *communis*, qualis ferme eſt eorum, qui oſtiatim, aut in plateis, & præ templi foribus mendicant, aut in hoſpitalibus aluntur. Si bona ſuperflua habuit dives pœnitens, & *extrema*, vel *gravis neceſſitas* pauperum illi perſpecta fuit (inquirere enim in illam non tenetur, ut notat Laym. l. 2. tr. 3. c. 6. n. 3. niſi de ea dubitet, ùt notat Buſenb. l. 2. tr. 3. c. 1. d: 3.) ſi etiam non adfuit, qui ſubvenire poſſet, aut vellet (alio enim præſente, qui ſuccurrere velit, & extrema, & gravis neceſſitas deſinit) graviter deliquiſſe cenſebitur. Unde rectè colligunt Sylv. & Leſſ. apud Laym. cit. graviter delinquere advocatum, (idem eſt de medico) qui in extrema, aut gravi neceſſitate, ab omnibus derelictos, licèt eorum miſeriam perſpectam habeat, juvare recuſat, eò quòd ab illis mercedem ſperandam non habeat. Quòdſi pauperes *ordinaria tantûm neceſſitate* preſſi fuiſſent, & dives absque omni ratione ſtipem illis negâſſet, etiam quidem deliquiſſe cenſendus foret, ut ſentit D. Th. 2. 2. q. 66. a. 7. Cujus

Cujus ratio eſt: quia charitas quemlibet obligat ad ſubveniendum proximo, cùm facile poteſt, ùt poteſt ſuperflua poſſidens; veniale tamen hæc opis denegatio non excedet; nisì absque ratione mendici omnes repellerentur: tunc enim proximi charitate exutus, & nimis inordinato divitiarum amore infectus meritò judicaretur. Dixi: *absque ratione*, nam ſi eleemoſynam dare aliis, vel alio tempore, aut loco, vel ad alium pium uſum conferre paret, culpâ vacat. Medina quæſt. 3. de eleemoſyna §. videtur 2. Vacabit etiam culpà, ſi qualicunque egeſtate preſſo nihil donet, dummodò mutuo, aut alia ratione egeſtati illius ſuccurrat. Vasq. tr. de eleemoſyna c. 1 dub. 6. Bellarm. & alii: Si pœnitens naturæ ſolùm habuit neceſſaria, non peccavit etiam extremè indigis eleemoſynam negando. S. Th. 2. 2. q. 32. a. 5. At ſi etiam habuit perſonæ neceſſaria, peccavit extremè indigos non juvando, nisì, ùt notavit Sa v. eleemoſyna n. 5. ſtatu ſuo excidere cogeretur, quod damnum majus videretur, ac mors proximi. Peccavit quoque non ſuccurrendo cum modico ſtatûs ſui detrimento gravem neceſſitatem paſſis. Itâ rurſus S. Th. cit. a. 6. Navarr. l. 3. c. 1. n. 361. & alii communiter. Quoad alterum Q. membrum ℞. inquirendum eſſe in quonam verborum aſperitas ſita fuerit? an videlicet verba ſolùm fuerint impatientiæ manifeſtativa?

tiva? an verò blaſphema? an imprecatoria? an calumnioſa? &c. ut tum de gravitate hujus aſperitatis, tum de ſpecie peccati rectè judicari poſſit.

176. Q. 12. *Quandonam Confeſſarius judicabit pœnitentem graviter deliquiſſe correctione proximi intermiſſa?* ℞. Judicium rectum formari poſſe, ſi tria debitè perpendantur: *materia* nimirùm *correctionis*, *corrigens* & *corrigendus*: an videlicet in his tribus eæ conditiones reperiantur, quæ gravem corrigendi obligationem inducunt? Conditiones autem *ex parte materiæ* ſunt 1mò: ut peccatum ſit commiſſum: quod enim commiſſum non eſt, corrigi nequit. Unde ſi proximus in periculo peccandi conſtitutus ſit, lege quidem charitatis impediri debet; corrigi tamen non poteſt. Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. a. 3. §. 1. n. 492. &c. 2dò: ut conſtet peccatum eſſe commiſſum: alioquin ſimiliter corrigi non poterit: quomodo enim corrigatur, quod ignoratur? Coninck D. 28. d. 6. n. 87. Suarez, & alii. Ad inquirendum verò: an commiſſum ſit? nemo privatus obligatur, etiam Confeſſarius. Superioribus tamen modo debito inquirere eſt conceſſum, dummodo vitent temeraria judicia, & vanas ſuſpiciones, nè, dum miſericordes eſſe ſtudent, exiſtimationem ſubditi ſæpe innocentis temere lædant. Stoz. cit. l. cit. 3tiò: ut peccatum nondum ſit emendatum: ſi enim emendatum eſt, actus cor-

Digitized by Google

corrigendi inutilis eſt. Ità communis.

Ex parte corrigentis conditio 1ma eſt, 177. ut poſſit corrigere. 2da: ut ex correctione non immineat damnum corrigenti, vel alteri, quod præſtat vitare, quàm correctionem exercere. Coninck. cit. d. 6. n. 1. Diana, Bonac. cum aliis. Alias duas addit Buſenbaum l. 2. tr. 3. c. 1. d. 3. 1ma eſt: ut aliquis æquè idoneus non adſit, qui correpturus putetur. 2da ut bona ſit occaſio, locus, & tempus opportunum.

Ex parte corrigendi conditio 1ma eſt: 178. ut ſpes ſit ſaltèm probabilis emendationis. Palaus p. 5. n. 1. & 3. & cum eo communis præter Cajetanum, qui putat debere eſſe certam. Ratio: quia alioquin correctio eſſet otioſa, & nociva potiùs corrigendo, quàm utilis. Si dubium ſit æquale: an correctio ſit profutura, vel non? teſte La Croix ſuprà cit. n. 210. omnes ferè conveniunt eſſe omittendam, ſi dubium conjunctum ſit timori, nè corrigendo occaſio præbeatur novi peccati, vel obſtinationis. Complures tamen excipiunt articulum mortis, ubi ſalutis media adhibenda, quæ unicè ſuperſunt, ne correctio neglecta, reparari ampliùs non poſſit. Aliam adhuc addit Stoz cit. n. 484. ut correctio cenſeatur moraliter neceſſaria, ità ut ſit probabile peccantem ſinè ea aliunde, vel à ſe vel ab alio emendandum. His proinde conditionibus perpenſis, & omnibus repertis judi-

cabit

cabit pœnitentem intermiſſione correctionis graviter deliquiſſe, nisi vel defectus advertentiæ vel materiæ levitas à mortali excuſet; non itèm, ſi aliquam ex iis deficere obſervaverit. Ad firmanda, quæ dicta ſunt,

179. Q. 13. *Annon pudor, & verecundia à correctione excuſent?* ℟. Negativè nisi tam gravis foret, ut eum, vel eam etiam cordatus nequeat facilè ſuperare. Ratio: quia ſi levis pudor excuſaret, correctio aut nunquam, aut vix unquam contingeret. Et ſi in communibus neceſſitatibus, ut fundatè pro more ſuo loquitur Stoz. cit. n. 486. tenetur etiam privatus corrigere peccantem, etſi ſit deridendus, aut aliam levem injuriam paſſurus, pariter debebit, licèt pudorem patiatur. Cæterùm in correptione ordo ſervandus, qui à Chriſto Matth. 18. præſcribitur, videlicet ut delinquens 1mò corripiatur in ſecreto. 2dò: ſi hoc non prodeſt, corripiatur coram teſtibus. 3tiò: ſi nec hoc proficit, dicatur Eccleſiæ, id eſt ſuperioribus.

180. Q. 14. *An culpâ vacet pœnitens, qui vel ordinem à Chriſto præſcriptum non ſervavit, vel ideò correptionem intermiſit, quia ordinem ſervare non potuit?* ℟. Ad 1mum: Si id ſinè urgente cauſa fecit ſciens, aut probabiliter judicans correptionem leniorem, & famæ conſervandæ convenientiorem cum fructu iuſtituendam, culpâ non vacabit. Ra-

Ratio: quia talis correptio inordinata irrationabiliter infert damnum famæ; ſecundùm quod proinde culpæ gravitas, & reſtituendi obligatio deſumetur. Excipe: niſì crimen jam fuiſſet publicum, aut delinquens jure ſuo ceſſiſſet, ùt cedunt nonnulli Religioſi, præſertim Societatis JESU. Item niſi præſtiterit Superiori viro probo, & prudenti, quàm aliis teſtibus delictum innoteſcere. Itèm niſì damnum tertio, aut communitati imminuiſſet, ſi delictum Superiori non ſtatim innotuiſſet, ùt evenire poteſt proditionem moliendo, hæreſim ſpargendo &c. Ex quibus liquet Reſponſum ad membrum alterum. Addo hìc nequaquam excuſandos eſſe illos, qui videntes difficile, periculoſum, aut infructuoſum eſſe delinquentem, ſeu ſecretò, ſeu coram teſtibus corripere, perfacile autem, abſque periculo, & cum probabiliter ſaltèm ſperato fructu, ſi crimen Superiori innoteſcat, illud eidem notificare intermittunt. Ratio clara eſt: quia tunc urget lex charitatis in proximum, cùm bonum illius præſertim ſpirituale citra difficultatem magnam, magnum detrimentum proprium, vel alienum procurari poteſt, quæ circumſtantiæ in ſimilibus omnes adſunt.

ARTICULUS V.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis Sacrilegi, præſertim verò Simoniaci.

§. I.

PRÆMITTENDA.

181. PRæmitto 1mò: *Sacrilegium* communiter definiri: *eſt rei Sacræ violatio.* Dividitur in *perſonale*, ſeu contra perſonas ſacras, *locale*, ſeu contra loca ſacra, *reale* ſeu contra alias res ſacras publico ritu, aut inſtitutione ad Dei cultum deputatas. Laym. to. 2. l. 4. tr. 10. c. 7. n. 2. cum communi. Quæ verò nomine ſacrarum perſonarum, ſacrorum locorum, aliarumque rerum intelligantur, vide p. 1. c. 2. a. 2. §. 8.

182. Præmitto 2dò: Simoniam, à Simone Mago ſic nuncupatam, bene definiri: *Eſt ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.* Ità D. Th. 2. 2. q. 102. a. 1. cum communi. In qua definitione per verba: *ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi*, intelligitur omnis contractus onerosus ſeu tacitus ſit, ſeu expreſſus. Per verbum autem: *temporali*, intelligitur omnis res temporalis, æſtimabilis, aut utilis, quæ reciprocè pro re ſpirituali datur, vel accipitur. Dividitur hoc pretium tripliciter: pri-

mum vocari ſolet *munus à manu.* 2dum *munus à lingua.* 3tium *munus ab obſequio.* Per *munus à manu* ſignificatur quæcunque res pretio æſtimabilis; itèm debiti remiſſio, ſolutionis dilatio, mutui datio &c. Per *munus à lingua* ſignificatur laus, adulatio, preces, & interceſſio pro aliquo interponenda ex vi pacti. Per *munus ab obſequio* intelliguntur quæcunque ſervitia præſtita, vel præſtanda ſub obligatione conferendi rem ſpiritualem. Laym. cit. n. 25. Ubi etiam notat nomine *munus,* non intelligi donum gratuitum, ſed gravamen aliquod, & onus debitum juſtitiæ commutativæ. 3tiò: Per verba: *aliquid ſpirituale,* intelligitur res ſupernaturalis ad ſalutem ordinata. 4tò: per verba: *Spirituali annexum* intelliguntur res non quidem in ſe ſpirituales, ſed quæ ad ſpiritualia ſunt ordinatæ,& cum iis connexæ ſive *antecedenter,* ùt jus Patronatûs reſpectu beneficii, vaſa, & veſtes ſacræ reſpectu Sacramentorum; ſive *concomitanter* ùt reditus beneficiorum, qui dantur propter officium ſpirituale. Platel. p. 3. c. 5. §. 4. n. 875. cum communi. Ex quibus facilè colliges 1mò ad veram Simoniam requiri: ut dicat *verum contractum onerosum ſaltèm implicitè.* 2dò: totam Simoniæ malitiam in eo ſitam eſſe, quòd res ſacra, & ſpiritualis indignè tractetur, dum rei temporali vel æquiparatur, vel poſtponitur. 3tiò: quod

quod conſequitur, Simoniam ſpeciem eſſe Sacrilegii, & quidem mortaliter gravis, niſi indeliberatio excuſet. Suar. de Rel. tr. 3. l. 4. c. 36. Laym. t. 2. l. 4. tr. 10. c. ult. n. 4. Leſs. &c.

183. Præmitto 3tiò: Simoniam aliam eſſe *Juris Divini*, aliam *Juris humani*. Ità Suar. cit. c. 2. 7. & 27. Carden. in Criſi d. 27. à n. 7. cum torrente contra Gonet negantem dari Simoniam Juris humani. Utraque ſubdividitur in *mentalem*, *conventionalem*, & *realem*. Ità rurſus Suar. cit. c. 46. *Mentalis*, prout hic ſumitur ad explicanda videlicet jura, & pœnas, non eſt nudum & purum propoſitum committendi actum Simoniacum; licèt tale propoſitum etiam Simonia dici poſſit, ſicut deſiderium furandi mentale furtum dicitur; ſed eſt illa, quæ habet adjunctum opus aliquod externum, quod tamen nullo ſigno exteriore appareat eſſe Simoniacum, ſeu dicens contractum, vel pactum, aut conventionem. Ità Leſs. l. 2. c. 35. n. 35. Laym. l. 4. tr. 10. c. ult. n. 67. cum Suar. Platel. cit. & aliis paſſim. *Conventionalis* eſt illa, in qua fit pactum dandi ſpirituale pro temporali, & viciſſim, nondum tamen pactum ad executionem perductum eſt per aliquam traditionem. Subdividitur in *purè conventionalem*, quæ ità ſiſtit in pacto, & conventione, ut ex neutra paciſcentium parte quidquam detur, & præſtetur;

ſtetur; & *in mixtam*, in qua pactum ex una parte completur. Huc reducitur Simonia *confidentialis*, quâ quis alteri dat beneficium, ut illud ſibi, vel alteri reſignet, vel cum onere dandi certam partem fructuum. *Realis eſt*, quâ pactum, & conventio ex utraque parte realiter completur.

Præmitto 4tò: Quamvìs multorum Doctorum ſenſus fuerit, contractum, quo temporale datur pro ſpirituali *non ùt pretium*, ſed *tanquam motivum* duntaxat, aut *gratuita*, & *liberalis compenſatio*, non eſſe Simoniacum; poſt damnatam tamen ab Innoc. XI. propoſitionem n. 45. *Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.* Itèm 46. *Id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis ſic, ut illud pluris æſtimetur*; omnis doctrinæ illius probabilitas eſt eliſa, ùt fusè probat Card. in Criſi 2. d. 27. c. 3. Ratio principalis eſt: quia in tali oblatione muneris temporalis, quod pro motivo daretur in ordine ad conſequendum aliquid ſpirituale, æquivalenter eſt emptio, & venditio: cùm munus illud habeat ſe inſtar pretii; in oblatione autem 184.

 mune-

muneris titulo gratitudinis ex pacto dandi ceſſat eſſe gratitudo: quia ceſſat eſſe collatio gratuita, utpote quæ jam procedit ex titulo oneroſo. Ratio ulterior eſt: quia munus offerens non manet liber ad gratificandum, prout ipſe ſponte voluerit; ſed obligatur ad præſtandum determinate hoc, vel illud. Imò poteſt etiam Eccleſia prohibere donationes purè gratuitas adepto ſpirituali faciendas, eò quòd afferant ſuſpicionem, & ſpeciem Simoniæ. Et tales donationes eſſe prohibitas reſpectu conferentium ordines, & examinatorum patet ex Trid. Seſſ. 21. de Reform. c. 1. & Seſs. 24. c. 18.

185. Infert idem Card. ibidem, ſi quis aſpirans ad beneficium Eccleſiaſticum diceret: *fiduciam habe in me, ero tibi gratus*; vel ſimpliciter: *ero tibi gratus*, eum Simoniâ vacaturum, ſi præciſè indicare vellet obligationem ſuam antidoralem, ſeu gratitudinis ſibi liberæ. Si autem ex circumſtantiis, prout communiter fit, de novo ſe obligare vellet: *ad determinatè dandum* temporale pro ſpirituali, eſſet Simonia, & quidem conventionalis, cui pænæ Eccleſiaſticæ conſtitutæ ſunt, & non purè mentalis.

186. Præmitto 5tò Ex eodem Cardena: cui communis conſentit: Rem temporalem, quæ annexa eſt ſpirituali, poſſe citra Simoniam dari, vel accipi, ſi ſolùm habeat

beat rationem ſubſidii propter temporalem ſuſtentationem Clericorum. Ratio: quia in tali caſu non datur remporale pro ſpirituali, per conſequens non æquiparatur temporale ſpirituali. Et hoc verum eſt, tametſi ſpirituale intendatur, aut fiat principaliter propter temporale, ùt ſi ſacerdos Miſſam celebret principaliter propter ſtipendium, dummodò habitualiter paratus ſit etiam Deo ſervire. Ità Suar. tom. 1. de Rel. tr. 3. l. 4. c. 44. n. 11. Sanch. Caſtropal &c. 2do. poteſt etiam dare aliquid temporale propter acquirendum beneficium tanquam propter finem minùs principalem, ſi illud temporale non moveat, aut inclinet conferentem, neque detur temporale perverſa intentione, ſed tantùm quaſi cum ſpe beneficii, & lucrandi animi gratiâ. Si tamen conferens illud conferret titulo compenſationis v. gr. pro obſequio, vel ſervitio præſtito, veram committeret Simoniam. Ratio eſt: quia beneficium æquiparat ſervitio, obſequio &c.

His addo poſſe etiam pecuniam dari, & 187. accipi pro ingreſſu in Religionem, dummodo nec detur, nec accipiatur pro ipſa Religione, ſed pro ſuſtentatione ejus, qui ingreditur, aut pro oneribus in domo Religioſa ſuſtinendis propter ingredientem. Ità Doctor Angelicus 2. 2. q. 100. a. 4. ad 3. aliique copioſi. Et hoc, licet Monaſterium ſit opulentum, ob conſuetudinem, quæ nunc

M 4 præ-

præſcripſerit. Platel. ſuprà cit. n. 882. La Croix l. 3. p. 1. n. 187. Oppoſitum tamen propugnat Suar. T. 1. de Rel. l. 4. de Sim. c. 17. n. 10. Rationem dat: quia tunc venderetur, & emeretur jus, quod Profeſſurus vi Profeſſionis ſuæ acquireret ad ſuſtentationem ſibi à Monaſterio præſtandam. Similiter Simonia non eſt, ſi gratis dentur munera ſuperioribus, vel aliis, ut facilius admiſſio impetretur. Nec Simonia eſt munuſculis allicere ad Religionem S. Th. cit. Quodlib. 4. q. 12. a. 23. Item alere aliquot in ſtudiis ea conditione, ut his abſolutis Religionem ingrediantur. Itèm ſe obligare ad alendos Parentes, ſolvenda eorum debita &c. Idem eſt de omni caſu, quo muneribus alliciuntur alii ad exercenda opera virtutum, frequentanda Sacramenta &c. Sanch. l. 1. de Sponſalibus D. 39. à n. 1. Ratio eſt: quia hæc nullo jure ſunt prohibita; tum quia non dantur munera ùt pretium; tum quia paſſim in ſacris literis bonis temporalibus Deus ipſe allicit ad ſervanda præcepta.

188. Denique Simonia non eſt dare aliquid, vel accipere pro officio, quod non habet rationem beneficii Eccleſiaſtici, qualia ex communi Doctorum ſenſu ſunt, quæ ad nutum ſunt revocabilia, ùt Vicariatus temporalis; itèm officia Eccleſiæ temporalia, ùt Procuratoris rerum temporalium Eccleſiæ, Oeconomi, Sacriſtæ, ſi exer-

exercere ſoleant per laicos, non itèm per Clericos &c. Ex probabili verò officia etiam regularia, ùt Provincialatus, Prioratus, Rectoratus &c. Dixi: *ex ſenſu probabili*: pro utraque enim parte potens ſtat Authoritas: & pro affirmativa quidem adducit La Croix cit. n. 103. Suar. Sanch. Leſs. Pirrhing. Dianam; pro negativa Barb. Azor. Bonac. Mendo.

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

Q. 1. *An Confeſſarius Simoniam judicabit commiſſam, ſi intelligat ex pœnitente, ipſi à tertio titulum menſæ prout ad ordinationem requiritur, vel ordinationem ipſam, Capellaniam, beneficium &c. pretio eſſe procuratum?* 189.
℞. Affirmativè, ſi id ſcivit certò, attamen acceptavit, tametſi contradixerit, Suar. cit. de Rel. l. 4. c. 57. n. 29. Rationem dat: quia talis ſciens cooperatur ſaltèm quoad executionem Simoniæ. Idem tenent Leſſius l. 2. c. 35. n. 143. Pirrh. Rayn. & alii. Si vero non ſcivit pretium à tertio datum, ſed tantum timens, vel ſuſpicans nè datum ſit, aut detur, contradixit, ac dein bona fide acceptavit, culpâ Simoniæ vacare judicandus eſt, ùt idem ibidem docet Suarez, addens hanc eſſe expreſſam definitionem cap. *ſicut tuis* 33. de Simonia. Excipe: niſi ante acceptationem ſolvendo v. gr.

pretium à Contradictione receſſiſſet, ùt excipit idem cap. per verba: *niſi poſteà conſenſeris pecuniam ſolvendo promiſſam, aut reddendo ſolutam*: imò etiam ſi receſſit ſolvendo poſt acceptationem, cum intentione factum approbandi, vel quaſi approbandi ſolvendo v. gr. in remunerationem. Ratio eſt: quia intentione Simoniaca imperatur ſolutio pecuniæ. Contrarium eſt, ſi non approbando, nec conſentiendo ſolveret e. g. intentione, nè procurans patiatur damnum, vel quia violentè ſolutio exprimitur. Ratio eſt priori oppoſita; quia deeſt omnis intentio Simoniaca.

190. Q. 2. *An Simoniacus judicandus, qui ut ad beneficium admittatur, promittit ſuos ſumptus collaturum ad ædificandam, vel reſtaurandam Eccleſiam?* ℟. Affirmativè. Sive ſumptus hos promittat, ut pretium, ſive ùt motivum tantùm. Patet ex damnata propoſ. ab Innoc. XI. n. 45. ſuperiùs adducta. Idem eſt de eo, qui beneficium petiturus Patrono, vel Patronis munera offert, vel Miniſtris illius, aut illorum quædam elargitur, aut ſpondet ea intentione, ut iſti intercedant, illi beneficium conferant. Contrarium eſt, ſi id faciat præcisè favoris lucrandi gratiâ, quæ præciſio tamen ſæpe periculoſa eſt, & fallax; cùm delicatum Simoniæ vitium facillimè ſe ſe immiſceat. Admodùm proindè cautum, ac circumſpectum in ſimilibus eſſe oportet.

Q. 3.

Q. 3. *An Simoniacum ſit munera offerre ſeu parentibus, ſeu amicis, ſeu aliis procuratoribus cum intentione impetrandi matrimonim?* 191.

℟. Sicut univerſim pro ipſo Sacramento, aut labore illi intrinſeco pretium temporale offerre, & acceptare Simoniacum eſt, ùt tradit D. Th. 2. 2. q. 100. à 1. Suar. tom. de Rel. l. 4. c. 10. n. 5. & c. 12. n. 2. cum communi: ſic etiam dare pretium temporale, ſeu munus pro ipſo Matrimonio ùt Sacramentum eſt, juxta eundem D. Th. a. 6. & communem ſententiam, labe Simoniæ non vacat. Si tamen pretium detur pro matrimonio in ratione contractûs civilis, *in quo*, ùt loquitur Suar. cit. n. 11. *communicatio rei corporalis pro corporali manifeſtè intervenit*, abeſt Simonia. Unde concludit: *igitur ex parte hujus contractûs nihil repugnat, quòd in Matrimonio aliquod pretium interveniat* Ex quibus conſequitur pariter Simoniam non eſſe redimere pretio vexam injuſtam, quâ quis impeditur à Sacramenti perceptione, aut alîus rei ſpiritualis conſecutione, in quam jus habet acquiſitum. Ità D. Th. cit. a. 2. Laym. Leſs. Suar. cum communi, dummodò pretium dare non intendat pro re ſpirituali, ſed ſolùm & unicè ad vexæ impedimentum tollendum. Aliud foret, ſi vexa eſſet juſta, aut jus necdum eſſet acquiſitum, ùt idem D. Th. cit. & Suar. cit. c. 50. cum aliis tuentur.

Digitized by Google

Q. 4. *An Simoniacum judicabit, qui confitetur venditas à ſe reliquias, calices, veſtes ſacras, oleum benedictum &c:* ℞. Si pro his plus exegit, quàm materia, & forma artificialis inducta, aut etiam labor in procurando, vel afferendo adhibitus exigat, pluris videlicet faciens, quia ſacra ſunt, veram Simoniam commiſiſſe cenſendus eſt. Patet ex definitione Simoniæ. Contrarium eſt, ſi eò, quod ſacra ſint, nihil ultra exigatur. S. Th. in 4. diſt. 25. q. 3. a. 2. Suar. cit. c. 14. n. 7. Scotus. Navarr. &c. Ratio eſt: quia res talis ratione ſuæ ſubſtantiæ, & naturalis conditionis æſtimabilis eſt pretio, & non amittit valorem ratione rei ſacræ incluſæ, vel ratione conſecrationis; adeoque ſi vendatur, & ſolvatur, non datur temporale pro ſpirituali, ſed pro temporali duntaxat. Poteſt tamen immiſceri Sacrilegium non Simoniacum, ſi vendatur materia rei ſpiritualis ſervata conſecratione in uſum profanum. Item ſcandalum, ſi venditione hac proximus ſcandalizetur.

163. Ex his conſequitur primò: res ſacras elocare pro pretio, niſi pretium petatur præcisè tantum, quantum eſt damnum, vel detrimentum, quod res pateretur, veram eſſe Simoniam. Ita rurſus Suar. n. 25. 2dò: Simoniam quoque eſſe Reliquias ſacras dare in pignus. Ratio utriusque eſt: quia utrobique res ſpiritualis datur pro temporali. 3tiò: eſſe ſimiliter Simoniam aliquid

quid dare, & accipere pro honoratiori loco ſepulturæ, ùt quòd ſit intrà Eccleſiam, propinquior altari; de quo cit. Suar. n. 22. ait eſſe rem claram: quia ibi tota ratio pretii eſt ſanctitas loci, vel quidam reſpectus ad majorem ſanctitatem. Eſt ſententia etiam D. Th. 2. 2. q. 100. a. 4. Sylv. Pirrh. &c. Excipe: nisì locus annexum haberet templi onus, & obligationem non ſepeliendi ibidem alium, quàm ementem, & pro quibus emitur. Card. 1. Criſ. d. 67. n. 8. Suar. cit. loco cit. Laym. Illſung. Platel. & alii paſſim. Ratio: quia hoc onus, & obligatio pretio temporali ſunt æſtimabilia, nec ſpirituale eſt, aut ſpirituali annexum. Poteſt etiam excuſare conſuetudo: ut aliquid detur pro Eccleſiæ fabrica, aliisque neceſſariis in modum ſtipendii. Idem eſt de ſede honoratiore in Eccleſia.

Q. 5. *Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens generice confiteatur Simoniam à ſe commiſſam?* ℞. diſquirendum 1mò: qualis fuerit hæc Simonia: an materialis tantùm? an ficta? an conventionalis? an plenè realis? tum ut videatur: an reipſa deliquerit? tùm an verâ Simoniâ deliquerit? tum quâ ſpecie deliquerit? tum an delictum Simoniæ pœnis quibusdam ſubjectum ſit, à quibus pœnitentem abſolvere nequeat, aut circa quas ſalubri conſilio, vel auxilio eidem ſuccurrere poſſit? tum denique an Simoniacus ad reſtitutionem ſit urgendus? 194.

Ra-

Ratio horum eſt: quia cùm vitium hoc delicatum facillimè, & ſæpe inadvertenter irrepat ſic, ut non cognoſcatur, niſi poſtquàm commiſſum eſt, ſæpe quoque materialem Simoniam non excedit, per conſequens malitiam formalem ob inadvertentiam non continet. Quandoque autem exteriùs fit promiſſio rei ſpiritualis pro temporali, aut viciſſim, ſinè intentione implendi promiſſum, vel ſe obligandi, & penes talem non eſt Simonia vera, ſed ficta, & mendacium graviter ſcandaloſum, atque ſacrilegium Suar. l. 4. c. 42. n. 4. & 5. In ipſa quoque Simonia occurrere poſſunt circumſtantiæ ſpeciem mutantes, ùt circumſtantiæ injuſtitiæ, ſi vendens rem ſpiritualem pro illa pretium temporale accipiat. Laym. t. 2. l. 4. tr. 10. c. ult. n. 5. Ex quo conſequitur talem Simoniacum ad reſtitutionem obſtringi. Quandoque denique Simoniæ excommunicatio annexa eſt, in quam non quilibet Confeſſarius jurisdictionem habet; quandoquæ pœnæ aliæ, circa quas pœnitentem utiliter dirigere poteſt. Pro horum notitia meliore

195. Q. 6. *Quæ Simonia, & quas pœnas incurrat?* ℞. Ad 1mum cum Suar. l. 4. c. 55. n. 15. Laym. cit. n. 69. aliisque communiter, per nullam Simoniam pænam ipſo jure incurri ex parte materiæ, niſi in tribus materiis, ordine ſcilicet, *beneficio Eccleſiaſtico, & religionis ingreſſu*: quæ tamen ulti-

ma

ma rariùs pænis eſt ſubjecta, eò quòd, licèt ſæpe detur temporale ad obtinendum hunc ingreſſum, raro tamen datur pro ipſa Religione. Præterea ut triplex hæc Simonia pœnas incurrat, debet eſſe vera, non ficta, nec ſolùm mentalis, aut purè conventionalis; ſed ex parte utraque realiter completa. Ità rurſus Suar. cit. n. 12. Laym. n. 68. Materialis quoque ex parte utraque nullam pœnam incurrit. Leſs. in Auct. v. Simonia c. 4. & 5. Sà v. Simonia n. 13. Secus ſi ex una parte formalis ſit, tametſi ſe ſolum penes intervenientem tertium teneret S. Th. 2. 2 q. 100. a. 6. Lugo. Suar. aliique communiter.

℟. Ad 2dum pœnas, quas Simoniaci incur- 196.
runt, *generaliter* acceptas eſſe duplices, *cenſuras* videlicet ad quas impedimenta canonica revocantur, & *privationem bonorum* ſeu ſpiritualium, ſeu temporalium. Ad particularia verò deſcendendo incurritur *excommunicatio papæ reſervata* per Simoniam *in Ordine, in beneficio, & Religionis ingreſſu.* De Simonia *in ordine* liquet ex Pauli II. 2da Extrav. de Simonia inter communes. Ubi facta de Simonia hac mentione ſubdit cenſuram excommunicationis latæ ſententiæ in omnes ita loquens: *qui quomodo libet dando, vel recipiendo Simoniam commiſerint, aut, quòd illa fiat, meditatores extiterint, ſeu procuraverint,* &c. Venit autem hic *ordinem* nomine etiam *prima tonſura.* Rationem dat Suar.

Suar. cit. c. 56. n. 5. quia per primam tonſuram ſimpliciter conſtituitur aliquis in ordine clericorum, & hoc ſolet intelligi in jure nomine *ordinationis*. De Simonia in beneficio conſtat ex eadem Extrav. confirmata Conſtit. 5. Pii V. De Simonia in Religionis ingreſſu ex Extrav. 1. de Simonia inter communes. *Suſpenſio* incurritur à Conventu conſentiente in ingreſſum Simoniacum. 2dò à recipientibus Simoniacè ordines, idque per decennium, ùt conſtat ex Conſtitut. dicta Pii V. cui ſubjicitur etiam ordines conferens, quod maximè claret ex motu proprio Sixti V. Idque etiam quoad omnia munera Pontificialia, ùt ſonant verba dicta Motûs proprii. *Irregularitas* non incurritur per has Simonias *immediate* & *per ſe*; cùm caſus iſte in jure non ſit expreſſus. Incurritur verò mediante infamia. *Infamia* verò ſolùm incurritur ob Simoniam commiſſam in obtinenda ſede Epiſcopali in conferendis ordinibus, & intelligendo: & hoc non ipſo facto; ſed poſt judicis condemnationem, ùt è communi Doctorum ſententia conſtat. Similiter *depoſitioni* non ſubjacet Simonia, niſì per ſententiam. Quod utrumque ſolidè pro more probat Suar. cit. n. 21. & 22. tum ex c. 2. de Confeſſis: tum ex cap. De hoc, de Simonia tum ex cap: *erga Simoniacos*. 1 1 0. q. 1. Cenſura *Suſpenſionis* ab ordine incurritur, de rigore Juris, licet pretium nondum ſit per-

Digitized by Google

perſolutum, dummodò res ſpiritualis cum promiſſione ſit extradita. Cenſura verò *excommunicationis* incurritur, ſolùm, ſi etiam pretium ſit perſolutum. Primum probat ex cap. ult. de Simonia. Alterum ex Caſad. deciſ. 5. de Conſtit.

Porrò quæ hucusque de pœnis Simoniæ dicta ſunt, probabiliùs intelligenda quoque veniunt de Smonia Juris Eccleſiaſtici: cum Simonia hæc vera ſit Simonia, cujus caſus ad Curiam Romanam delati ſemper declarantur pœnis ſubjecti. His addo actionem ſacram debitè ad contractum Simoniacum exercitam validam eſſe, & effectus ſuos habere, niſi hi ab Eccleſia ſint irritabiles, & lex irritans adſit. Ità communis. Ratio eſt: quia ſicut alia peccata non poſſunt irritare actiones ſacras, eorúmque effectus impedire, ſic & Simonia. Proindè ordinatio Simoniaca, Sacramentorum collatio, conſecratio Eccleſiæ, calicis, profeſſio Religioſa, Jus patronatûs; itèm actus Eccleſiaſticæ Jurisdictionis non ordinati ad conferendum officium, vel beneficium valida ſunt. Dixi: *Actus Eccleſiaſticæ Jurisdictionis non ordinati ad conferendum officium, vel beneficium:* quia actus ordinati ad conferendum officium, vel beneficium Jure Eccleſiaſtico irritantur. Ut conſtat ex cit. Extravag. 2. Ex quo ſequitur electiones, poſtulationes, confirmationes, proviſiones beneficiorum, 197.

Digitized by Google

& officiorum Eccleſiaſticorum collationes omnino irritas eſſe.

§. III.

De pretio Simoniacè acquiſito.

198. Q. 7. *An id ipſum reſtituendum ſit? & cui?* R. Ad 1mùm cùm Suar. cit. c. 59. n. 11. & 35. conformiter menti D. Th. 2. 2. q. 3. a. 7. pro hoc ſervire poſſe ſequentes duas regulas. Prima eſt: quoties Simoniacus injuſtè agit rem ſpiritualem vendendo *ex divino*, & *naturali* jure tenetur reſtituere pretium pro tali re acceptum. Ratio hujus regulæ eſt: quia talis venditio fieri ſupponitur cum vera injuſtitia. Vi hujus regulæ ad reſtitutionem pretii obligantur, qui functiones ſpirituales, ad quas præſtandas aliunde vi officii obligantur, Simoniacè vendunt. 2dò: qui vendunt beneficia, vel officia Eccleſiæ, quorum ſolùm ſunt diſpenſatores, non Domini. Ratio utriusque eſt: quia tales nullum jus habent ad pretium; ergo ſi illud accipiant, injuſtè accipiunt. 3tiò: qui vendunt functionem ſpiritualem, ad quam quidem ex juſtitia non tenentur, ſi vendant illam, ùt talis eſt, ſeu propter effectum ſpiritualem, quod fit, quando in pretio exceditur ultra materialem valorem, & ultra conſiderationem juſti ſtipendii. Ratio eſt: quia quod ſpirituale eſt ad ſolum

lum Deum, ùt ad verum Dominum, pertinet, per conſequens nullum jus vendendi remanet. 4tò: qui vexando injuſtè pro re ſpirituali pretium exprimunt, ſive illud detur, quando licitè poteſt, ſive illicitè detur contra Religionem. Ratio eſt: quia pretium injuſtè extorquetur. Et hæc etiam intelligenda ſunt de Simonia mentali injuſtitiam continente, opere ſubſecuto. Ratio eſt rurſus injuſta pretii acceptio.

Secunda regula eſt: Quando Simonia committitur ſinè injuſtitia, non oritur reſtituendi obligatio. Ratio eſt: quia talis obligatio, præſertim in contractu mutuo conſenſu facto, non poteſt oriri niſi ex injuſtitia in contractu commiſſa. Vi hujus regulæ ad reſtituendum non obligantur 1mò: qui vendunt officium temporale Eccleſiæ ſibi proprium, cui commodum temporale eſt connexum. Ratio eſt: quia commodum, quod emens acquirit, eſt pretio æſtimabile. 2dò: Lege naturæ non obligantur ad reſtitutionem, qui vendunt beneficium, in quod jus habent, ſentiúntque venditione incommodum temporale. Ratio eſt eadem. Dixi autem: *incommodum temporale*: ſi enim incommodum ſpirituale ſit, quale oritur ex, privatione rei ſacræ v. g. agni benedictæ reliquiæ &c. incommoditas hæc pretio æſtimabilis non eſt. Nec obſtat: quòd e- 199.

mens beneficium illud cum effectu non acquirat: principalis enim cauſa accipiendi pretium eſt incommoditas, quam vendens patitur, & licet acquiſitio beneficii valida non ſit, dimiſſio tamen valida eſt, ùt cit. Suar. n. 40. ratiocinatur. 3tiò: non obligatur ad reſtitutionem Monaſterium Simoniacè aliquem ad Religionem recipiens. Ratio eſt: quia receptio hæc adjunctum habet temporale onus pretio æſtimabile.

200. ℟. Jam ad 2dum: Quando ſola naturalis urget obligatio ad pretium reſtituendum, illi reſtituendum eſt, qui illud contulit, non verò pauperibus, aut Eccleſiæ. Cajet. in Summ. v. Simonia Vict. Sotus, Navarr. cum Suar. cit. loco cit. n. 2. Ratio eſt: quia emens ſolus tunc jus in pretium retinet. Quando verò pretium reſtituendum eſt ex beneficio divendito acceptum (uti ante ſententiam omnem reſtituendum eſſe fusè probat Suar. ſuprà cit. c. 60. à n. 3.) cùm reſtituendi obligatio non ſit ſolùm naturalis, reſtituendum eſt Eccleſiæ. Ità Cajet. v. *Simonia* Navarr. cum communi. Et conſtat ex c. *de hoc*, de Simonia. Ratio eſt: quia Eccleſia jus pretii talis applicuit Eccleſiæ injuriam paſſæ. 3tiò: quando Simonia commiſſa eſt, *per ingreſſum Religionis* Monaſterium tenetur pretium dare illi Monaſterio, ad quod Religioſus Simoniacus per ſententiam

tiam transfertur; non tenetur tamen citiùs, quàm ad illud transferatur. Ratio eſt: quia cùm pretium reſtituendum ſit, Religioſo autem ad illud incapaci reddi nequeat, ſequitur illi Monaſterio dandum, quod onus per Religioſum hunc translatum perferet. 4tò: in aliis materiis Simoniæ etiam *in ordine*, ſi naturalis obligatio non urgeat, arbitrio judicis attribui poterit, vel Eccleſiæ, vel pauperibus. Ratio eſt: quia à Jure nihil videtur determinatum.

Q. ultimò: *Quis à Simonia abſolvere, & in pœnis diſpenſare poſſit?* ℟. Ad 1mum: à Simonia, quæ annexam habet excommunicationem, qualis incurritur in ordine, beneficio, & Religionis ingreſſu tum à dantibus, tum accipientibus, citra facultatem, aut privilegium, nemo abſolvere poteſt, præter Pontificem. Ratio eſt: quia hæc excommunicatio, ùt ſuprà dictum, Pontifici eſt reſervata. Idem dicendum de ſuſpenſione ab ordine. E contrà à Simonia alia quivis Sacerdos legitima juriſdictione præditus abſolvere poteſt ſic, ſicut ab aliis peccatis. ℟. Ad 2dum: In ſuſpenſione ab ordine ſolum pariter Pontificem diſpenſare poſſe. Deſumitur ex conſtitutione Sixti V. ubi vult hanç ſuſpenſionem eſſe perpetuam, & ſinè ſpe aſcendendi ad ſuperiores ordines, & poſteà abſolutionem ſibi reſervat etiam in

 foro

foro conſcientiæ, ſic quidem, ut facultas abſolvendi non poſſit ullo indulto comprehenſa cenſeri. *In pœna irritationis* diſpenſatio non datur: quia collatio, vel electio ſic facta aliunde eſt invalida. *In inhabilitate* ad idem beneficium, quod per Simoniam fuit obtentum, ſi recipiens Simoniam non ignoravit, & ad illam expreſsè, vel tacitè cooperatus eſt, ſolus iterum Pontifex diſpenſare poteſt. Colligitur ex c. penult. de Elect. Quòdſi verò recipiens crimen Simoniæ ignoravit, nec ullo modo cooperatus eſt, circa beneficium ſimplex poſt liberam reſignationem diſpenſare poteſt Epiſcopus, non itèm in majore, pro illa vice. Dixi: *pro illa vice*; nam ſi ſemel alteri conferatur, & rurſus vacet, poterit in caſu talis ignorantiæ Epiſcopus diſpenſare. Conſtat ex eod. c. de Electione. *In inhabilitate* denum ad alia beneficia ſuppoſitâ notitiâ, & cooperatione recipientis Simoniacè beneficium inſiſtendo Conſtit. 5 Pii V. etiam ad ſolum Pontificem diſpenſatio pertineret; quia tamen pœna hæc uſu recepta non eſt quoad illum, qui ante condemnationem renunciat beneficio, quoad talem etiam Epiſcopus diſpenſare poteſt.

202. Porrò circa pœnas, in quibus Epiſcopus diſpenſare nequit, limitatio apponenda eſt, ſi caſus quibus annexæ ſunt ad forum contentioſum ſint deducti; nam quàmdiu occulti manent, diſpenſandi facultas etiam Epi-

Epiſcopis convenit, ut liquet ex Trid. Seſs. 24. de Reform. c. 6. Proindè, ſi tum excommunicatio tum ſuſpenſio occulta eſt, pro diſpenſatione ad Pontificem recurrere opus non eſt. Aliud probabilius eſt de inhabilitate ad beneficia etiam obtinenda. pro quo Suar. cit. c. 61. n. 11. duas adducit Cardinalium declarationes in Congregatione Romana, quarum prima eſt: *non poteſt Epiſcopus habilitare ad beneficia impoſterum obtinenda, quæ per Simoniam occultam quis obtinuit.* Altera eſt: *non tamen ad beneficia, quibus pro Simonia privatus fuiſſet, nec ad obtinenda.* Rationem annectit: quia hæc pœna fuit introducta poſt Concilium, facultas verò à Concilio data non extenditur ad caſus nova lege Pontificia reſervatos poſt Concilium.

ARTICULUS VI.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis blaſphemi.

§. I.

PRÆMITTENDA.

PRæmitto 1mò: Blasphemiam eſſe peccatum, quo aliquid de Divinæ bonitatis excellentia detrahitur, dicendo falsè aliquid de eo ineſſe, quod non ineſt, vel negando ineſſe, quod ineſt, idque voluntate aliqua derogandi hac ratione Divinæ boni- 203.

bonitati. Ità ex D. Th. 2. 2. q. 13. a. 1. Valentia Sanchez &c. Ex quo ſequitur 1mò blaſphemiam *propriè*, & *eſſentialiter* conſiſtere in dicendo aliquid contra DEum, quod ejus honori, & laudi deroget, ſive id contingat per exceſſum: ſive per defectum. Sequitur ſecundò: blaſphemiæ peccatum diverſum eſſe à peccato infidelitatis: infidelitas enim non conſiſtit in dicendo aliquid contra DEUM, ſed aſſentiendo falſitati de DEO; poteſt tamen blaſphemiæ infidelitas eſſe conjuncta Suar. tom. 2. de Rel. tr. 2. l. 1. n. 5. 6. & 7. Laym. l. 4. tr. 10. c. 6. n. 4. &c. Sic quoque malitia blaſphemiæ diverſa eſt à malitia odii, deſperationis, perjurii &c. Quamvis & his poſſit eſſe, & ſæpe ſit conjuncta. Patet ex definitione ſingulorum iſtorum peccatorum. Sequitur 3tiò: Blaſphemiam, licèt ordinariè fiat loquelâ externâ, etiam poſſe eſſe in ſola mente. Sanchez l. 2. Mor. c. 32. n. 4. cum D. Th. cit. & communi, diciturque *blaſphemia cordis*, ſicut quæ verbis committitur, *blaſphemia oris* nuncupatur. Non poſſe autem eſſe blaſphemiam in ſolis factis cenſet, & probat Suar. cit. n. 4. cui Sanchez cit. n. 5. ſubſcribit. Intelligendi tamen videntur de illis factis, & ſignis, quæ vim loquelæ non habent. Ratio eſt: quia cùm ſæpe conceptus interni factis, & ſignis manifeſtentur, ùt præcipuè in mutis evenire

Digitized by Google

evenire ſolet, non apparet, quare derogatio laudis Divinæ per facta, & ſigna vim loquelæ habentia à ratione blaſphemiæ excludi deberet.

Præmitto 2dò ' Præter indicatam diviſionem in *mentalem* & *verbalem*, blaſphemiam adhuc dividi 1mò in *expreſſam*, & *tacitam*, ſeu *implicitam*. Prior eſt, quâ *expreſsè* & *directa intentione* de Deo malum affirmatur, ùt Deus eſt crudelis, tyrannus, acceptor perſonarum &c. vel bonum negatur, ùt: Deus non eſt juſtus, non providus in pauperes, neſcit, quid in terris agatur. Altera eſt, quâ quidem non expreſsè, & directa intentione malum de Deo affirmatur; *implicitè* tamen malum illi tribuitur, ùt dum quis dicit Corpus Chriſti non eſſe in pluribus locis: per hoc enim *implicitè* dicit Deum eſſe potentiæ limitatæ. Regin. lib. 18. cap. 14. S. 2. n. 196. cùm communi. Dividitur 2dò: in *ſimplicem*, & *hæreticalem*. *Simplex* eſt, quæ licèt ex dicendi modo, & in actu exercito ſignificet errorem contra fidem; non tamen ſecundùm ſe affirmat aliquid contra fidem. Talem committit, qui dicit: maledictus Deus! tædeat! pœniteat! pudeat Deum! Ratio eſt: quia his blaſphemiis nihil falſum dicitur de Deo, ſèd tantùm ſignificatur voluntas faciendi illud, etſi diſpliceat Deo. *Hæreticalis* eſt, quæ hæreſim *formaliter*, aut *virtualiter* continet, hujuſmodi, ùt loquitur Suar. cit. 204.

c. n.

c. n. 7 eſt omnis blasphemia enuntiativa ſive affirmando, ſive negando aliquid de Deo, quod fides docet, vel etiam creaturæ tribuendo id, quod ſecundùm fidem ſoli Deo convenit; vel de his etiam dubitationem oſtendendo. Rationem dat: quia licèt *expreſsè* id non affirmetur enunciando, & componendo; nihilominùs *virtute* ſatis affirmatur, quod ita profertur. Tales blasphemiæ ſunt. e. gr. dæmon eſt fidelior, potentior &c. quàm Deus; Deus non eſt infinitè bonus, ſapiens, juſtus &c. Dividitur 3tiò in eam, quæ eſt *in Deum*, & in eam, quæ eſt *in Sanctos*, ſi videlicet quis Sanctis maledicat, vel laudi deroget, prout Sancti ſunt, ſive cùm habitudine ſaltèm virtuali ad Deum, ùt docet Sanchez cit. n. 7. Suarez, Laym. &c. talis blasphemia eſt, ſi quis dicat: Sancti ſunt ſuperbi, impudici &c. Huc revocantur blasphemiæ in Dei Sacramenta, vel res quascunque ſacras: quia ſicuti cultus illorum, ità & contumelia illis irrogata in Deum eorum Authorem redundat. Idem eſt, ſi quis aliis creaturis maledicat, quatenus creaturæ Dei ſunt, adeoque cum habitudine ad Deum Laym. l. 4. tr. 10. c. 5. n. 10. & 11. Ubi etiam inter hæc diſcrimen allegat, quia maledictio, ſeu convitium in res ſacras, vel Sanctos prolatum cenſetur referri in Deum nisì circumſtantiæ, & modus dicendi judicet à tali habitudine præſcindi. At verò maledictio adver-

verſùs homines in terris, vel creaturas alias non ſacras plerumque alia intentione, quàm Deum inhonorandi fieri ſolet.

Præmitto 3tiò: Blaſphemiam in Deum, 205.
& Sanctos, quatenus Sancti ſunt: peccatum eſſe mortale, nec venialè fieri poſſe ratione materiæ, ſed ex ſolo plenæ deliberationis defectu. Ità S. Th. 2: 2. q. 13. a. 2. cum communi. Ratio eſt; quia qualiſcunque contumelia in Deum, vel in Sanctos prolata eſt graviſſima: cùm omnis ſeu addendo Deo, quod illi non convenit, ſeu negando, quod convenit, exercitè velit Deum non eſſe Deum. Imò etſi joco dicantur verba blaſphemiæ, mortale erit; nec enim levis irreverentia eſt nominare joco membra pudenda Chriſti, aut Sanctorum, vel dicere: pœniteat illos, videlicet Sanctos, vel renego. Sicut, quemadmodum cum Navarro in Summ. c. 12. n. 84. bene arguit Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. a. 1. §. 2. n. 179. alicui Regi, aut alteri magno, ac honorato viro contumeliam dicere, etiam ex ſolo ioco, gravis eſt inurbanitatis, & irreverentiæ. Intelligendum tamen id eſt de iis caſibus, in quibus jocus non tollit omnimodam rationem irreverentiæ, ac per conſequens blaſphemiæ. Et ſic tolli poteſt, ſi ex joco de Sanctis quædàm ſinè contemptu proferantur, quæ illis in terra degentibus conveniebant, ùt Sanctos, Chriſpinum, & Chriſpianum fuiſſe Sutores, S. Petrum Piſcatorem,

S.

S. Iſidorum Ruſticum, &c. Cæterùm blaſphemiam joco proferre ſiné animo inhonorandi. Licèt peccatum ſit, ſeclùſo tamen ſcandalo ſolùm eſt veniale Sanch. l. 1. Mor. c. 32. n. 2. Laym. l. 4. tr. 10. c. 6. n. 8.

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

206. Q. 1. *Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens abſolutè dicat ſe blaſphemâſſe?* ℞. Prima illi cura incumbet disquirere: quo modo, aut quibus verbis blaſphemaverit? nam ex reſponſo facilè corriget 1mò: an reipſa blaſphemia ſit commiſſa? non pauca enim blaſphemâſſe ſe dicunt eò, quòd in ira diabolum nominaverint hominibus, aut jumentis imprecati ſint, & maledixerint ſinè omni habitudine ad inhonorationem Dei; quæ ambo tamen blaſphemiæ non ſunt; imò primum nec peccatum eſt, *per ſe*, ſi citra imprecationem fiat; licèt ſi diaboli nominatio aſſidua ſit, non deceat Chriſtianum, & ratione ſcandali quandoque poſſit eſſe peccatum; maledictio verò hominibus facta peccatum quidem grave eſt, ſed contra charitatem proximi, uti etiam maledictio facta creaturis irrationabilibus, in quantum ſunt alicujus hominis, quem maledicens odio proſequitur. Cæterum ſi quis maledicat talibus creaturis, prout in ſe ſpectan-

ſpectantur, vel quatenus nocent, vel non obtemporant, ùt cùm ruſtici maledicunt ſuis jumentis, peccat quidem etiam, ſed venialiter tantùm. Regin. l. 14. c. 14. S. 2. n. 101. Cajet. Navarr. &c. Reg. ex D. Thom. 2. 2. q 76. a. 2. Rationem dat: quia tunc cenſetur tantummodò actus otioſus, & vanus. Blasphemia etiam non eſt: ſi quis maledicat iisdem rebus prout nobis aliquod ſpirituale nocumentum afferunt. Et ſic Job c. 3. ſinè blaſphemia maledixit diei Nativitatis propter peccatum originale, & alia incommoda Indè ſecuta, ut docet S. Th. cit. 2. 2. q. 76. a. 2: Colliget 2do. ſi vera blasphemia commiſſa eſt. qualis illa fuerit: an hæreticalis vel ſimplex? itèm: an alias peccatorum ſpecies ſecum traxerit? pura perjurii, odii, deſperationis, iræ, ſcandali &c. præſertim ſi in radicem, aut cauſam blasphemiæ, & circumſtantias debitè inquiſiverit, in quæ, ſi ex modo, aut verbis ſpecies peccatorum annexas colligere nequeat, inquirere ipſi incumbit, nec contentari debet, quòd ſpeciem blasphemiæ perſpectam habeat: cùm perraró contingat, ut comites non habeat. Pro his meliùs penetrandis.

Q. 2. *Quid ſentiendum de militibus, ruſticis' mechanicis &c. qui dicunt ſe quidem blaſphemâſſe, ſed conſuetudine tantùm?* Priùsquàm Rdeam Prænoto cum Sanchez l. 3. Mor. c. 5. n. 32. ubi de juramenti conſue- 207.

tudi.

tudine (quæ blaſqhemiæ, aliiſque peccatis plenæ poſſunt applicari) ſequentia ſtatuit pro regula; præceptum extirpandæ pravæ, & mortalis conſuetudinis ex tunc incipit obligare. & ex tunc cenſentur juramenta indeliberata eſſe voluntaria in illo, quando ex variis jurandi actibus inadvertenter eò jurans progreſſus eſt, ut advertat illum pravum uſum eſſe ſibi proximam, & moralem occaſionem incidendi in multa juramenta indeliberata.

208. Ex qua Regula ℞. ad 2. ſi tales indeliberè blasphemantes non adverterunt ad obligationem extirpandi conſuetudinem, peccati arguendi non ſunt: Ratio: quia nec per neglectum extirpandæ conſuetudinis, nec per indeliberatam blasphemiam peccaverunt: cum utrobique inadvertentia excuſet. E contrà ſi adverterunt conſuetudinem blasphemiæ indeliberatæ cauſam eſſe, graviter deliquiſſe cenſendi ſunt, eò quòd obligationi extirpandæ conſuetudinis contraiverint. Ità cit. Sanch. l. cit. Suar. de Relig. tom. 2. l. 3. c. 6. cum aliis: Addenda tamen videtur limitatio: ſi blasphemia indeliberata juncta obſervatur periculo blasphæmiæ deliberatè aut alius peccati committandi. Peccato tamen blasphemiæ (ſeclùſa limitatione periculi blasphemiam deliberatam committendi) propriè non peccant. Ratione dat Laym. l. 4. tr. 10. c. 5. n. 3. quia malitia blasphemiæ, uti &

& perjurii, ac hæreſis, in intellectu ſubſtantialiter perficitur, adeoque non poteſt eſſe actuale peccatum blasphæmiæ, nisì concurrente intellectu. Quòd ſi quis advertenter ex conſuetudine peccet, favorabilis eſt ſententia Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. a. 2. §. 1. a n. 174. fuſiùs deducta, qua cenſet negligentiam extirpandi dictam conſuetudinem non eſſe novum ſaltèm numero peccatum, nisì cum expreſſo actu intenditur. Rationem dat: quia occaſio peccandi aliud eſt, quam conſuetudo, & licèt ſit occaſio peccandi, non tamen eſt extrinſeca, ùt retentio v. g. concubinæ, ſed intrinſeca, nec voluntariè aſſumpta, aut retenta. Ex quo infert conſuetudinem hanc non eſſe neceſſariò in confeſſione explicandam, Quam ſententiam veram cenſeo, ſi priùsquàm peccavit peccato aliquo, ad obligationem extirpandi conſuetudinem non advertit: tunc enim conformiter regulæ datæ negativa ſolùm, & inculpabilis erit negligentia. E contrà ſi ad obligationem advertit, novo peccato deliquiſſe cenſebitur negligentiâ videlicet poſitivâ, quâ veram omnino occaſionem, cauſam non removendo, ſed omninò voluntariè retinendo dediſſe cenſeri debet. Et hæc videtur eſſe clara mens Suarii tom. 2. de Rel. tr. 4. c. 8. n. non quidem 19. ſed 5. quem cit. Stoz pro ſe citat ex Sancio. Rationem prætereà deſumo ex blasphemia, quæ ex conſuetudine

inad-

inadvertenter profluit, ſi enim obligatio advertatur conſuetudinem hanc extirpandi, nec tamen conatus ad eam extirpandam adhibeatur, negligentia peccato noc excuſatùr; licèt blasphemia in ſe peccatum dici nequeat; ergo ſimiliter ſi obligatio advertatur ad Conſuetudinem *advertenter* blasphemandi extirpandam negligentia peccato non excuſabitur, adeoque blasphemiæ, quæ de ſe peccatum eſt, novam malitiam addet. Ac ideò recte judicat Sanch. cit. n. 33. explicandum inſuper in confeſſione: quoties blasphemus novâ advertentiâ, & quaſi repetita voluntate in ea permanere decreverit cui alicui paſſim conſentiunt.

209. Q. 3. *Quid de illis ſentiendum, qui dicunt ſe blaſphemâſſe ſinè indignatione ad Deum, ſed ſolùm ad hominem, vel jumenta terrenda, quibus irati fuerant?* ℞. Cum Laym. cit. n. 12. tunc Confeſſario attendendum eſſe ad verba, quibus tales uſi ſunt: ſi enim ſecundum ſe nullam Divini honoris diminutionem exprimunt, non eſt cenſenda blasphemia. Si autem verba talia, aut tali modo prolata ſint ut contumeliam Dei vel Sacramentorum ſignificent, qualia ſunt: gantz Galleen Sacrament / daß dich GOttes Chryſam / Chriſti Blut &c. ſchånde / blaſphemia cenſeri debet, dummodo homo attenderit ad vilipenſionem Dei, aut rei Sacræ, quæ talibus verbis exprimitur. Addit idem Laymam, ſæpe homines ejus-

ejuſmodi verba proferre *inadvertenter*, ac *materialiter tantùm*, non attendentes, quid ſignificent; & tunc (ſecluſo gravi ſcandalo) excuſari à gravitate peccati propter imperfectionem cognitionis, ac voluntarii, *modò interim conentur ejuſmodi conſvetudinem deponere*. Ex quibus poſtremis verbis clarè innuit, etiam *inadvertenter* blaſphemantes obligari ad conſvetudinem deponendam.

Q. 4. *An pœnitens conſvetudinarius in blaſphemando ſit abſolvendus?* ℟. Hoc ex univerſali doctrina de conſvetudinariis eſſe decidendum: videlicet talem, ſi nunquam eſt admonitus, & aliquam curam adhibuit ad eam conſvetudinem avellendam, debere ſtatim abſolvi. Ratio: quia hic ſuppoſitis reliquis Sacramenti partibus verum habuiſſe propoſitum, & nunc habere credendus eſt. Si verò nihil curæ adhibitum advertitur, & ſæpe in aliis confeſſionibus eſt admonitus, cenſet Sanchez cit. l. 2. c. 32. n. 45. adhuc eum poſſe in rigore abſolvi ſtatim, ſi verè doleat de præteritis, ac impoſterum emendationem firmiter proponat. Rationem dat: quia nullam occaſionem extrinſecam habet, ut vel ſic neceſſariò impediatur abſolutio, ſed ex fragilitate carnis deliquiſſe cenſendus eſt. Cæterùm quod conſilium attinet: differri poteſt abſolutio, ſi pœnitens id non ægre laturus judicetur, nec à con- 210.

feſſione ſit retrahendus; ità ut negata abſolutio ſperetur in medicinam ceſſura. Oppoſitum eſt in oppoſito, niſi blasphemiis ingens præberet ſcandalum: tunc enim privatum pœnitentis ſolatium poſtponendum foret plurium utilitati; itaque abſolvendus non eſſet, priùsquàm ſcandalo publico ſatisfaciat vitæ emendatione.

211. Q. 5. *An blaſphemia in Deum, blaſphemia in alias creaturas, prout nimirum creaturæ Dei ſunt, inter ſe differant, per conſequens à Confeſſario ſpecificæ huic diſtinctioni ſit attendendum?* ℞. Licèt oppoſita juxta Suarium De Rel. tom. 1. tr. 3. l. 1. c. 6. n. 18. & alios valde probabilis ſit, æquè tamen, ſi non magis probabile eſt eas ſpecie non differre in ratione blasphemiæ, ſicut juramenta ſpecie inter ſe non differunt. Ratio eſt: quia ſicut juramenta omnia ſunt ejusdem ſpeciei: quia per omnia DEUS vocatur in teſtem; ſic blasphemiæ omnes ſunt ejusdem ſpeciei, quia omnes ſunt contrariæ Religioni, quatenus cultum latriæ debet Deo. Dixi autem non differre *in ratione blasphemiæ:* nam ſi contumeliæ directè jaciantur in Sanctos (quod tamen raròfieri cenſet Stoz ſuprà cit. l. 1. p. 3. a. 1. §. 2. n. 181. eò quòd ordinariè Sancti non inhonorentur propter propriam ipſorum excellentiam) ſine omni reſpectu ad DEum, accedit quidem ſpecie diverſa malitia

in

in confeſſione explicanda, ſed non blaſphemiæ.

Q. 6. *An blaſphemiâ peccare cenſendus ſit, qui ebrium, vel ſtultum, aut etiam puerum rationis uſu necdum præditum ad blaſphemandum inducit?* ℞. Contra Gob. tr. 5. c. 19. n. 48. Affirmativè. Ratio eſt: quia licèt uſu rationis deſtitutus non peccet defectu libertatis, irreverentia tamen, & Dei inhonoratio eſt intrinſecè mala, illíque imputatur, qui liberè ad illam inducit. Nec obſtat ratio à Gobat adducta, quòd videlicet locutio illa non retineat objectivam malitiam, ſi proferatur ſinè rationis uſu: nam licèt hoc verum ſit reſpectu proferentis, retinet tamen illud reſpectu inducentis, qui illam locutionem cenſetur moraliter proferre per alterum velut inſtrumentum. Cenſeo nihilominùs ſi ex joco citra vilipenſionem, ac intentionem Deum inhonorandi, citráque ſcandalum fiat, veniale non excedere, ùt ſuprà ex Sanch. & Laym. dictum. Contrarium eſt de iis, qui ſcientes, quòd pollentes uſu rationis verè blaſphemare ſoleant, joco ſuo, aut vexatione occaſionem blaſphemandi præbent: tametſi Deum inhonorare non intendant. Ratio eſt: quia gravis mali cauſam ſcienter ponunt. 212.

Q. 7. *Quibus mediis adversùs blaſphemias ſit utendum?* Ad hanc Q. Reſpondi in Manuali Parochi c. 5. a. 15. q. 2. videlicet re- 213.

media hæc duplicis eſſe generis: alia, quæ ſunt pro caſtigandis noxis præteritis, alia pro impediendis futuris. Proinde ad caſtigandas noxas præteritas præter conſvetas pœnas orationis, jejunii, eleemoſynæ &c. utiliter injungetur, ut toties, quoties pœnitentes blasphemàrunt, ad pedes Crucifixi precentur veniam, toties eliciant affectus: *Laudetur Deus! Laudetur SS. Sacramentum! gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.*; vel ex his affectibus Roſarium ſibi concinnent per aliquod tempus quotidie recitandum. Ad impediendas verò futuras blasphemias bene illis oſtendatur, & ob oculos ponatur blasphemiæ malitia, præſertim quòd proprium ſit dæmonibus & animabus damnatis Deum blasphemare, ſicut beatorum proprium eſt eundem DEUM omni laude digniſſimum æternùm laudare. 2do: quomodo nullam ferè utilitatem, oblectationem, & exiſtimationem blasphemanti afferat. 3tiò: quòd nomina illa contemptibiliter uſurpet, in quibus ſalus æterna eſt ſita, Sangvinem, & merita Chriſti velut conculcet, quæ tamen ſola debita noſtra, & miſeriam æternam apta ſunt auferre.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS VII.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis peccaminosè jurantis.

§. I.

PRÆMITTENDA.

PRæmitto 1mò: Juxta D. Th. 2. 2. q. 59. 214.
a. 1. *Jurare* nihil aliud eſſe, *quàm Deum in teſtem vocare*, per conſequens, ùt loquitur Suar. Tom. 2. de Rel. tr. 4. l. 1. c. 1. n. 1. aliud non eſſe, quàm actus invocandi, ſeu adducendi Deum in teſtem. Ut verò hic actus veram juramenti rationem habeat, debet elici cum intentione vocandi Deum in teſtem, ſinè qua *fictum* duntaxat erit juramentum, ùt ſentiunt Doctores omnes. 2dò: debet eſſe talis, quō DEus invocetur non ut ſtatim, & reipſa dicto fidem, & authoritatem præſtet (hæc enim eſſet tentatio DEI, utpote petitio rei inſolitæ ſinè ſufficienti cauſa) neque etiam; ut poſt hanc vitam ſit teſtis (hæc enim petitio vana eſſet, & inutilis ad faciendam fidem) ſed ut dictis teſtimonium præbeat, quando id ſibi placuerit. Ità cum Leſſio, Palao, & communi Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. a. 2. §. 1. n. 182.

Præmitto 2dò: Juramentum *vocale* (cùm *mentale*, quod, ùt loquitur Suar. cit. n. 12. ſolùm inter DEUM, & hominem verſari poteſt, & cum interiori voto con- 215.

jungitur, ad materiam de voto pertineat) celebriore diviſione dividi in *aſſertorium*, & *Promiſſorium*. *Aſſertorium* eſt, quo confirmamus id, quod aſſerimus, vel negamus. Tale fuit Pauli ad Galat. 1. *Ecce! coram DEO, non mentior*. *Promiſſorium* eſt, quo confirmamus id, quod promittimus. Tale fuit illud Davidis 3. Reg. 1. cùm juravit, quòd Salomon eſſet ipſi ſucceſſurus in Regno. Regin. l. 18. c. 3. n. 29. 2dò: dividitur in *deliberatum*, & *indeliberatum*. Primum eſt, quo quis cum attentione, & intentione jurat. Alterum eſt, quo quis ſinè attentione, & intentione jurat. 3tiò: dividitur in *materiale tantùm*, in *formale tantùm*, & in *materiale ſimul*, & *formale*, ſeu *mixtum*. *Materiale tantùm* eſt, quo quis ſine intentione utitur verbis, quæ vim juramenti habent. *Formale tantùm* eſt, quo quis profert verba, quæ ex ſe nullam habent formam juramenti; aſſumit tamen ea animo, & intentione jurandi. *Mixtum eſt* quo quis profert verba, quæ formam habent juramenti, idque cum animo, & intentione jurandi. 4tò: dividitur *in expreſſum*, quo DEUS expreſsè; & *in tacitum*, quo DEUS tacitè, & implicitè in teſtem vocatur. 5tò dividitur *in ſimplex*, & *execratorium* ſeu *imprecatorium*. *Simplex* eſt, quo Deus tantùm vocatur in teſtem. *Execratorium* eſt, quo Deus non tantùm vocatur in teſtem, ſed etiam in judi-

judicem, & vindicem. Talia ſunt: moriar, à terra abſorbear, fulmine percutiar, ſi non ità eſt, dum includunt hunc ſenſum: Deum teſtor, & ſi falſum eſt, faciat, ut moriar &c. ùt bene notat Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. a. 2. §. 1. n. 191. Ulteriore diviſione adhuc dividitur *in ſolemne*, quod fit ſolis verbis, aut ſignis æquivalentibus. Itèm in *Syncerum*, quod fit absque, & *doloſum*, quod fit cum animo decipiendi. Itèm in *judiciale*, quod præſtatur in, & *in non judiciale*, quod præſtatur extra judicium. Itèm in *abſolutum*, cui nulla conditio additur, & *in conditionatum*, cui conditio additur. Itèm *in liberum*, quod ſponte emittitur, & *in coactum*, quod coactè fit, ſive quod vi, aut metu extorquetur. Itèm in illud, quod fit *verbis*, & in illud, quod fit *factis* v. g. ponendo digitos ſuper Evangelia, & in illud, quod fit *verbis*, *&* *factis*. Demum dividitur in licitum, & non licitum. Regin. l. 18. c. 3. à n. 25. Laym. Suar. & alii paſſim. De poſtremo

Præmitto 3tiò: Ut Juramentum licitum ſit juxta D. Th. 2. 2. q. 89. a. 3. Suar. de Rel. tom. 2. tr. 4. l. 1. c. 3. Laym. l. 4. tr. 3. c. 3. n. 3. Sanchez, & communem tres conditiones velut comites requirit, *veritatem* nimirum, *Juſtitiam* & *Judicium*, *Veritas* in eo conſiſtit, ut DEI teſtimonium non adducatur in confirmationem falſi, 216.

 aut

aut mendacii, quod ſi fiat, *perjurium* eſt, & quidem ſemper mortale, licèt videatur eſſe in re, vel propter rem levem. Niſi excuſet defectus plenæ advertentiæ. Ità Suar. cit. l. 3. c. 4. n. 6. Sanchez. l. 3. Mor. c. 4. n. 6. Stoz, Bon. & alii paſſim. Ratio eſt: quia talis perjurus invocans Deum in teſtem ſui mendacii vult Deum ſimiliter, ac ipſe eſt, fieri mendacem, quæ gravis eſt malitia. Idem applica juramento, quo res dubia velut certa foret, confirmatur. In juramento inſuper promiſſorio duplex veritas requiritur, una de animo præſente rem promiſſam implendi; altera de re implenda; unde ſi alterutra deſit, mortale erit perjurium. *Juſtitia* ſeu *æquitas* in hoc conſiſtit, ut teſtimonium DEI non adducatur in confirmationem rei, aut dicti, peccato obnoxii. Defectu hujus conditionis, ſi res mortaliter mala confirmetur, juramentum eſt mortaliter malum; ſi venialiter mala confirmetur, eſt venialiter mala. Ità cum Laym. Suar. & communi Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. a. 2. §. 1. n. 187. Ubi etiam poſtremum limitat, ſi Deum præcisè adducat ùt teſtem, non verò etiam ùt ſponſorem, & approbatorem peccati venialis: tunc enim peccari mortaliter cenſet, eò quòd velit, ut Deus approbet peccatum, quæ eſt gravis blasphemia. Unde ſi id contingat, quod tamen rariùs fit, in confeſſio-

ſeſſione eſt explicandum. *Judicium* denique in hoc ſitum eſt, ut juramentum fiat cum debita reverentia, conſideratione, neceſſitate, aut magna utilitate. Hic tamen judicii defectus venialem duntaxat malitiam juramento tribuit. Leſs. l. 2. c. 24. n. 17. Bonac. & alii. Excipit Sanchez l. 3. c. 6. n. 23. niſi magna adeſſet negligentia in inveſtiganda veritate, vel tollenda conſuetudine promiſcuè ſeu verè, ſeu falsè jurandi.

Præmitto 4. Juramentum promiſſorium 217.
quandoque eſſe *de re licita*, ſeu de re indifferente ſit, ùt ſi quis juret ſe venturum ad menſam, ſeu de re moraliter bona, ùt ſi quis juret ſe daturum pauperi eleemoſynam: quandoque autem eſſe *de re illicita*, ùt ſi quis juret ſe inimico non parſurum, furaturum, ad malum quodcunque cooperaturum &c. In juramento *de re licita* præſtanda obſervandum eſt, an operis præſtatio vel *in ſe*, vel *ex fine*, aut *circumſtantiis* opus ſit virtutis (quod dignoſci poteſt, ſi objectum ſit moraliter bonum, vel ſi indifferens eſt, ad Dei honorem, vel proximi utilitatem, vel etiam proprium jurantis licitum commodum ordinetur) tunc enim obligatio aderit rem juratam præſtandi. E contrà, ſi operis præſtatio indifferens nullo fine, aut circumſtantiâ bonâ in individuo cohoneſtetur, obligatio non conſurget eam exequendi. Suar. de Rel. Tom. 2. tr. 4.

l. 2. c. 16. n. 4. Sanchez, Navarr. Mol. Laym. &c. Ratio eſt: quia opus virtutis eſt materia capax obligationis; non itèm opus indifferens, cùm opus tale, ſi in individuo ad nullum virtuoſum finem referatur, otioſum ſit, ac ideò malum reddatur. Juramentum verò *de re illicita* nullam inducit præſtandi obligationem. Deſumitur ex univerſali Juris Regula 58. in 6. *non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.* Et ex c. *quanto* de jure jur. Juramentum inſtitutum non fùit, ut eſſet vinculum iniquitatis. Error proinde non levis eſt eorum, qui conſcientiæ ſibi ducunt opus illicitum juramento firmatum, quale eſt ad duellum concedere, inimico non parcere, malo proximi cooperari &c. non implere. Idem applica juramento de non ſequendis conſiliis Evangelicis, quod utpote ex communi ſententia venialiter malum, pariter ſervanudm non eſt. Dixi autem: *de re illicita*: nam licet juramentum illicitum ſit e. gr. quia lege prohibitum, ſi tamen res promiſſa, & jurata licita eſt, implendum eſt, præſertim ſi ſit in alterius commodum. Laym. l. 4. tr. 3. c. 6. n. 2. & cum eo Suar. cit. l. 2. c. 24. Sanchez &c. Et liquet ex Regula Canonica c. *ſi verò* c. *cùm contingat*: de jure jurando: omne juramentum editum iu altertus utilitatem, ſervandum eſt, ſi ſinè ſalutis diſpendio ſervari poteſt, niſi vel ab ipſomet, cui juratum eſt, vel à legitimo

Digitized by Google

timo Magiſtratu relaxetur. Quæ tamen ab impletione voti excuſent, colliges ex dicendis infrà.

Præmitto 5tò: Promiſſionem juramento firmatam obligare tametſi neceſſitate, aut metu ſit extorta, dummodò non vergat in detrimentum ſalutis, ſed licitè, ac honeſtè ſervari poſſit S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. & q. 98. a. 3. ad 1. Laym. Suar. & alii. Hinc qui juravit ſe uſuras ſoluturum, ex Religionis virtute ad ſolutionem obligatur. Idem eſt de eo, qui juravit ſe latroni iniquè exigenti pecunias ſoluturum. Idem qui juravit ſe ad carcerem injuſtum rediturum. Excipe 1mò caſum, in quo contractus metu extortus ipſo jure eſt nullus, qualis eſt contractus matrimonialis. Undelicèt hic juramento confirmetur non ſubſiſtit. Laym. l. 4. tr. 3. n. 7. n. 4. cum communi. Excipe 2dò: niſi error, vel dolus verſetur circa ſubſtantiam rei juramento promiſſæ. Exemplum dat Laym. cit. n. 5. ſi jures te alteri donaturum annulum, quem putas eſſe ferreum, cùm ſit aureus. Aliud eſt, ſi error, vel dolus verſetur tantum circa qualitatem, vel circumſtantiam accidentalem, niſi hæc ità intenderetur, ut ſinè illa juramentum non fieret. Suar. cit. l. 2. c. 11. n. 12. Ratio eſt: quia juramentum non extenditur ultra ea, de quibus jurans cogitavit. 218.

Præmitto 6tò: Illicitum eſſe jurare ſi- 219.

nè

nè animo jurandi. Liquet ex prop. 25. ab Innoc: XI. damnata: *cum cauſa licitum eſt jurare ſinè animo jurandi*. Ratio eſt: licèt enim talis propriè loquendo non juret, ùt cum D. Th. 2. 2. q. 98. a. 4. ad 3. Cardenas in 2. Criſi d. 18. n. 3. Suar. Sanch. aliique plurimi rectè notant, eſt tamen grave vilipendium Dei, & contra finem juramenti, qui eſt aſſecurare de veritate, exteriùs advertenter vocare Deum in teſtem falſi.

220. Ex quo ſequitur talem graviter omnino peccare. Idem eſt de eo, qui animum quidem habet jurandi, non tamen habet animum rem cum juramento promiſſam implendi. Ratio eſt eadem. Idem ferè eſt de eo, qui jurat ſinè animo ſe obligandi; quia pariter gravis videtur eſſe irreverentia Deum adducere in teſtem, & tamen nolle obſtringi ejus teſtinonio. Leſs. de Juſt. l. 2. c. 42. n. 4. ubi tamen cum Suar. *l.* 3. c. 17. n. 10. excipit eum qui obligari quidem vult Deo, ſed non homini. Talis enim cenſetur ſolùm Deum invocare in teſtem ſui propoſiti. La Croix l. 3. p. 1. c. 279. ex Suar. Leſſio, Dicaſtillo. Illicitum quoque eſt in juramento uti amphibologiâ, ſeu *reſtrictione purè mentali*, quâ videlicet tota oratio ſpectatis omnibus circumſtantiis, proùt exteriùs profertur, eſt abſolutè falſa, in mente autem aliquid ſubintelligitur, per quod fieret vera, ſi ſignum hujus exteriùs pone-

poneretur; quod ſignum tamen ſic omittitur, ut eo omiſſo id, quod in mente ſubintelligitur, nullo humano modo cognoſci, & adverti poſſit, ùt ſi quis interrogatus: an ſcripſerit literas? juret ſe non ſcripſiſſe, ſubintelligendo: *aureo, vel argenteo calamo.* Conſtat ex damnatis ab Innoc. XI. prop. n. 26. 27. & 28. quæ de hac reſtrictione loquuntur, ùt combinanti facilè patet. Ac proindè ob nullam ſimpliciter utilitatem tali reſtrictione uti licet, ſicut mendacio, à quo non differt. E contrà licitum eſt jurare cum reſtrictione *non purè mentali*, quâ id, quod in mente retinetur, verbis ambiguis manifeſtatur, vel ex circumſtantiis, aut alio ſigno exteriore, adverti poteſt, ùt ſi Confeſſarius interrogatus: an Titius confeſſus ſit homicidium? juret non eſſe confeſſum: hoc enim caſu ex circumſtantia ſigilli cognoſci poteſt in Confeſſarii mente retineri: *ità ut tibi conſtet.* Vel, quod exemplum adducit Cardenas in 2. Criſi d. 19. ſi quis interrogatus: an latro hac tranſierit? ſtatim manum in manicam inſerat, aut ſtans in loco, figat ſignanter pedem ſuper uno lapide, & dicat (etiam cum juramento) non tranſivit hàc, intelligendo: *per manicam*, vel *per illum lapidem*; ex ſigno enim dato ſufficienter adverti poteſt, quod in mente retinetur. Requiritur tamen ad hoc, ut ſic æquivocare liceat, gravis cauſa, præſertim ſi reſtrictio fiat ex par-

parte ſolius reſpondentis: alioquin communiter reſtrictio purè mentalis eſſe cenſebitur. La Croix l. 3. p. 1. n. 289. Juxta Sanchez verò & Carden. cit. n. 32. ſufficit juſta, & rationabilis cauſa, dummodò ex ſignis externis, aut circumſtantiis poſſit cognoſci determinatus ſenſus.

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

221. Q. 1. *Quid agendum Confeſſario, ſi pænitens abſolutè dicat ſe jurâſſe?* ℞. Diſquirendum eſſe 1mò: quæ verba pænitens adhibuerit; multa enim verba ſunt, quæ à minùs inſtructis juratoria erroneè exiſtimantur. Talia ſunt, *certè*, *certiſſimè in veritate* (fürwahr) *fide boni viri, fide boni Chriſtiani, Principis, Sacerdotis.* Suar. tom. 2. de Rel. tr. 4. c. 13. n. 9. & 21. Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. a. 2. §. 1. n. 191. Buſenb. Leſſ. &c. Ratio eſt: quia hæc & ſimilia verba non indicant Deum vocari in teſtem, ſed ea proferentem ſolùm loqui ex dictamine conſcientiæ, & notitia veritatis. Idem eſt de his verbis: *per fidem, per conſcientiam meam, per animum, vel animam meam.* Niſi, ùt bene limitat Laym. l. 4. tr. 3. c. 2. n. 4. intentio adſit jurandi juramento execrationis. Addo: niſi *per fidem* intelligatur fides Catholica, & *per animam*, ac *conſcientiam*, imago Divinæ mentis, & veritatis; tunc enim verum

erit

erit Juramentum, ſicut ſi dicas: *per Evangelia, per chriſma, per Sacramenta, reliquias, Sanctos, veſtes ſacras* &c. quia in his peculiariter relucet, & honoratur Deus. Talia quoque ſunt: *Deus ſcit; Deus erit mihi teſtis; Deus videt meam conſcientiam; Deus videt me verum dicere*, Sanch. lib. 3. Mor. c. 2. n. 20. Bonac. &c. Hæc enim verba ſolùm quoquè aſſertivè, non invocativè proferuntur. Talia etiam paſſim cenſentur: *per hoc meum caput, per barbam, veſtes, per lac, quod ſuxi, per propriam vitam.* Ratio eſt; quia ſimiliter per hæc verba non vocatur Deus in teſtem: cùm in his, & ſimilibus rebus Deus peculiariter non honoretur, & reluceat. Talia demum ſunt: *tam verum eſt, quàm Deus eſt, quàm verè Chriſtus eſt in Euchariſtia, quàm vere Deus vivit, quàm verum eſt Evangelium* &c. Ratio eſt: quia his ſolùm fit comparatio veritatis, non verò invocatio Divini teſtimonii: licet blaſphemia foret, ſi ea uſurpans intendat ſignificare veritatem ſuam æqualem eſſe veritati fidei.

Notitia per hanc diſquiſitionem acce- 222.
pta utilis eſt imprimis ad hoc, ut, ſi pœnitens ſinè animo jurandi verba hæc protulit, inſtruatur, & dedoceatur ea non eſſe juramenta, adeoque velut juramenta in confeſſione non eſſe explicanda: ſi verò cum animo jurandi protulit, erronea conſcientia debita directione rectificetur. Oſtendatur

datur inſuper, ſi promiſſorium fuit juramentum, obligationem incumbere promiſſum ſervandi, ùt docet Sanchez l. 3. c. 2. n. 7. Suar. cit. l. 1. c. 11. n. 2. qui tamen hoc limitat: ſi verè voluit per verba non juratoria Deum vocare in teſtem. Ex quo ſequitur, intellectis à pœnitente relatis verbis Confeſſarium porrò inquirere debere: an prolata ſint intentione Deum vocandi in teſtem: ex intentione enim facilè judicabit: an revera juramentum ſit, de quo pœnitens ſe accuſat? audiétque ſæpius interrogando etiam veras jurandi formulas, ipſa etiam verba: *juro per Deum* absque intentione fuiſſe prolata, ac indè colliget nequaquam fuiſſe juramentum. Cognita intentione, & verborum ſenſu inquira. 3tiò in tres comites liciti juramenti, ut de malitia, vel bonitate rectum judicium conformiter dictis ſuprà ferre poſſit. Diſpiciat 4tò: annon malitiæ aliæ v. g. blasphemiæ, maledictionis, injuriæ, juramento fuerint junctæ; ùt non raró eas conjungi accidit: hoc enim neceſſarium eſt ad circumſtantias ſpeciem mutantes rectè dignoſcendas. Breviter hìc addo, juramentum per Deum, & juramentum per creaturas ſpecie non diſtingui. Suar. cit. l. 1. c. 5. n. 13. Sanch. Bonac. &c. Ratio eſt: quia utrobique Deus vocatur in teſtem. Diſpiciat 5tò: annon promiſſionem juramento firmaverit, ut rectè dijudicet: an implenda ſit promiſſio? vel

vel non implenda? ſed ad particularia deſcendo.

Q. 2. *An illicitè jurare cenſendi ſint illi Po-* 223.
litici, qui ſimul ambulaturi jurant ſe non ituros ad dextram, vel domum ingreſſuri, ſe primo loco non intraturos; victi tamen politiâ aſſident primi, primi ingrediuntur? ℞. eos quidem à mortali facilè excuſari poſſe eò, quòd perſæpe jurare non intendant, aut ſi verè jurare velint, cum hac tamen conditione jurare cenſeantur: quantum in me eſt, non ſedebo primus; non intrabo priùs, niſi vincar comitate, aut voluntate tua. March. Reſol. Paſtor. c. 2. n. 5. Venialiter nihilominùs delinquunt, ſeu reipſa jurare intendant, ſeu non. Primi ratio eſt: quia formulas juramenti vanè uſurpant. Alterius ratio eſt: quia citra neceſſitatem Deum in teſtem vocant. Idem illis applica, qui ex conſuetudine advertenter res quaſcunque veras juratoriis formulis confirmare ſolent. Dixi: *res veras:* nam ſi res falſas vero juramento confirment citra dubium peccati mortalis rei cenſendi ſunt. La Croix l. 3. p. 1. n. 271.

Q. 3. *Quid judicandum de juramentis com-* 224.
minatoriis Parentum erga filios, vel Dominorum erga famulos, quibus jurant ſe v. gr. pœnam inflicturos, quam dein non infligunt? ℞. Etiam eorum jurandi formulas ſæpe citra jurandi animum proferri, ac ità ſaltem à mortali excuſari. Quòdſi verò cum animo verè

jurandi proferantur, ex communi interpretatione, & recepta conſvetudine, ùt loquitur March. cit. n. 9. tacitam quandam conditionem, & reſtrictionem continent, ùt: niſi naſcatur indè gravius incommodum; niſi veniam deprecando impetraverint; niſi aliud expediens viſum fuerit. Applica hoc ipſum omnibus conditionatis juramentis, quorum obligatio univerſim à conditione addita dependet.

225. Q. 4. *Quid de Mercatoribus ſentiendum, qui jurant mercem tanti conſtare, ſed alio ſenſu, quàm emptor intelligat?* ℞. Dummodò non purè mentaliter reſtringant, aut verè mentiantur, nec decipere intendant, vel ſupra juſtum, pretium ſummum extorquere velint, nec alîus gravis damni cauſa ſint, à mortali excuſari poſſe; ſæpe tamen non excuſari à veniali. Ratio prioris partis eſt: quia non jurant absque veritate, & æquitate. Ratio poſterioris partis eſt: quia ſæpè jurant absque judicio, ſeu citra neceſſitatem. Addit Gob. tr. 11. n. 672. Eos excuſari per hoc, quòd intelligant, & ſatis ſciantur ſignificare velle, ſe non poſſe cum honeſto lucro ità vendere; vel per hoc: quòd non intelligant nudè pretium pro re empta, ſed computent etiam partim expenſas, partim proportionalem partem ſumptuum, quos toto anno faciunt in ſuam communem negotiationem.

Q. 5.

Q. 5. *Quid ſentiendum de officialibus Dominorum jurantibus ſe delaturos Dominis, quos damnificatores bonorum deprehenderint ut mulctentur?* ℞. Cum March. ſuprà cit. n. 14. hos juramento obligari ad deferendum, ſi grave damnum illatum eſt. Patet ex dictis, & Officii ratione. Si verò damnum illatum ſit leve, & exiguum, non tenentur. Ratio eſt: quia non videtur eſſe rationabilis Dominorum voluntas, ut ſubditi ob leve damnum illatum gravi mulctæ, qualis ordinariè conſtitui ſuevit, ſubjiciantur. Excipe: niſì conſuetudo, & frequentia Domino per levia damna grave damnũ inferret: tunc enim mulctæ gravi, nè damnificatio ab aliis continuetur, in terrorem juſtè ſubjiciuntur. Addo cum eodem, ſi grave Domini malum officiales tales diſſimulant, eos ad reſtitutionem ex juſtitia obligari, ad mulctam tamen, quæ impoſita fuiſſet, ſi damnificantes manifeſtâſſent, non teneri. Ratio prioris deſumitur ex *officii cum* ſtipendio obligatione. Alterius partis ratio eſt oppoſita. Idem ſentit Leſſius l. 2. c. 13. dub. 10. Nav. & alii. 226.

Q. 6. *Quomodo dirigere pœnitentem queat Confeſſarius in ordine ad juramenti irritationem, diſpenſationem, relaxationem, & commutationem?* ℞. Pro hoc obſervanda eſſe ſequentia. 1mò: ſicut vota, ſic etiam juramenta irritari, ſi materia jurata ſubjecta eſt alterius poteſtati, & dominio. Et ſic irrita 227.

ſunt juramenta prolium, pupillorum, ſubditorum, conjugum &c. ſi res jurata à diſpoſitione Parentum, Tutorum, Dominorum, vel Conjuge dependeat. Regin. l. 18. c. 4. n. 66. Laym. l. 4. tr. 3. c. 11. n. 1. & 2. & alii paſſim cum D. Th. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 3. Proinde ut talium juramenta ſubſiſtant, conſenſus eorum, quibus materia ſubjecta eſt, accedere debet. 2dò: Licet Summus Pontifex, ſicut in votis, ſic etiam in juramentis omnibus diſpenſare poſſit; non poteſt tamen in iis, quæ non ad ſolius Dei honorem, ſed hominis utilitatem ſunt facta. Unde juramentum tale relaxari non poteſt, niſi cum conſenſu illius, cui juramentum eſt factum; ſuppoſito, quòd ab eo, cui factum eſt, promiſſio ſit acceptata, ùt rectè limitant Suar. tom. 2. de Rel. l. 2. c. 41. n. 3. Sanchez l. 1. de Matr. D. 6. n. 16. & l. 4. Mor. c. n. 6. Laym. cit. n. 6. &c. 3tiò: Si juramentum homini factum promiſſionis non ſit confirmatorium, ab Epiſcopo relaxari poteſt. Ità cit. Laym. l. cit. Poteſt & in aliis juramentis Deo factis, ſicut in votis, Epiſcopus diſpenſare, præterquàm in quinque: de *religione* videlicet *ingredienda*, de *perpetua caſtitate ſervanda*, de *peregrinando in terram ſanctam, ad limina Apoſtolorum*, & *Compoſtellam ad D. Jacobi ſepulchrum*, quorum diſpenſatio ſoli Pontifici eſt reſervata. Ità Sanchez l. 8. de Matr. D. 13. & l. 3. Mor. c. 19. n. 6. Laym. Azor.

Azor. Tol. cum communi. Huc refert idem Sanchez n.7. juramenta, quibus confirmantur ſtatuta Collegiorum, Academiarum, & bonorum Eccleſiaſticorum, nè facilè dilapidentur. Addit tamen ex Soto limitationem: ſi ſtatuta dimanârunt à Pontifice, vel ejus authoritate ſunt confirmata. 4tò: Quicunque habet privilegium diſpenſandi in votis, poteſt etiam commutare juramenta pia in ſolius Dei honorem, non præjudicium proximi, facta. Sanch. l. 8. de Matr. D. 2. n. 18. Coninck, Henriq. &c. Denique qui habet poteſtatem diſpenſandi, & commutandi vota, poteſt tali facultate uti, licèt ſint jurata. Suar. tom. 2. de Rel. tr. 6. c. 14. n. 14. Sanchez, Azor &c. Rationem dat Laym. l. 4. tr. 3. c. 11. n. 3. quia votum, ſicut & quælibet alia promiſſio, licèt jurata ſit, retinet tamen naturam ſuam: nihil proindè obſtat juramentum, quò minùs remittere poſſit vel ipſe, cui promiſſio facta eſt, vel alius nomine ejus tali poteſtate præditus. Quod Societatem noſtram attinet, conceſſum illi fuit primùm commutare omnia vota Summo Pontifici non reſervata, quod poſtmodum Greg. XIII. ad vota etiam jurata extendit. Compend. Privil. verbo: *commutatio* §. 1.

ARTICULUS VIII.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis violatione voti delinquentis.

§. I.

PRÆMITTENDA.

228. PRæmitto 1mò: Votum à S. Th. 2. 2. q. 78. a. 1. & communi Scholaſticorum rectè definiri ſic: *eſt promiſſio Dei deliberatè facta de meliore bono*. Requiritur itaque ad votum verum 1mò: ut ſit *vera promiſſio* cum animo ſe obligandi, non verò nudum deſiderium, aut propoſitum aliquid in Dei honorem faciendi. In quo non pauci errant, judicantes ſe votum emiſiſſe, dum rem aliquam in cultum Dei faciendam valde firmiter propoſuerunt. Requiritur 2dò: ut promiſſio fiat *Deo*. Unde & ii erroneè procedunt, qui promittentes aliquid B. V. vel alicui è SS. Patronis voti reos ſe exiſtimant. Excipe: niſi inſimul, quod non rarò fit, promittens ſe intenderet obligare Deo in Sanctorum honorem, ſinè qua intentione, ùt rectè notat Sanchez l. 4. Mor. c. 1. n. 44. promiſſio Sanctis facta erit ſolùm inſtar promiſſionis, quâ homo homini ſe obſtringit. Requiritur 3tiò: ut promiſſio fiat *plenè deliberatè*, cum tanta videlicet advertentia, & voluntario, ſeu conſenſu, quanta ad peccatum mortale ſufficiunt. Unde ſi vel inad-

inadvertentia, vel advertentia ſolùm ſemi-plena (idem eſt de voluntario) adſit, votum cenſetur eſſe nullum, nec obligationem inducere. Suar. tom. 2. de Rel. tr. 6. l. 1. c. 6. n. 7. Laym. Regin. & alii communiter: quorum etiam univerſalis ſenſus eſt, pro deliberatione perfecta opus non eſſe aliquâ temporis diuturnitate, ſicut ad peccatum opus non eſt. Requiritur 4tò: *ut ſit de bono meliore:* quibus verbis indicatur bonum, quod promittitur, debere eſſe in poteſtate voventis, ſeu *non* debere illi eſſe *impoſſibile.* Debere etiam eſſe *moraliter bonum*, ſaltèm ex fine. 3tiò: debere eſſe *melius*, *quàm* ſit ejus *oppoſitum.* Laym. l. 4. tr. 4. c. 2. n. 1. 8. 11. Suar. cit. l. 2. c. 3. Sanch. Azor &c.

Præmitto 2do: Diviſione communi 229.
votum dividi 1mò: *in abſolutum*, & *conditionatum.* *Abſolutum* eſt, quod fit ſinè ulla addita conditione, ut: voveo jejunium. *Conditionatum* eſt, quod fit cum addita conditione, ità ùt niſi hæc ponatur, non exurgat obligatio; ut: voveo jejunium, ſi poſthàc me inebriavero. Dividitur 2dò: in votum *ſolemne*, & *ſimplex.* *Solemne* dicitur non eò, quòd fieri debeat cum aliqua ſolemnitate, ſed quòd ùt tale acceptetur ab Eccleſia. Talia ſunt vota Profeſſionis Religioſæ, & votum caſtitatis Majoribus Ordinibus annexum. *Simplex* eſt omne aliud votum.

Inter Simplicia vota numerantur vota, quæ poſt Novitiatum in Societate noſtra emittuntur, veros tamen Religioſos efficiunt, ùt conſtat ex Bulla Greg. XIII. Dividitur 3tiò: in *reale*, & *perſonale*. *Reale* eſt, quando res aliqua pretio æſtimabilis, vel pecunia promittitur. *Perſonale* eſt, quando aliqua hominis actio, vel ceſſatio ab actione promittitur, ùt, cùm promittitur peregrinatio &c. His addi poteſt *mixtum*, quando & res, & actio, vel ceſſatio ab actione promittitur, ùt, cùm promittitur peregrinatio cum eleemoſynæ elargitione.

230. Præmitto 3tiò ea, quæ obligationem ex voto ortam concernunt; & 1mò quidem univerſale principium eſt, ad id præſtandum, quod vovit, voventem obligari. Patet ex multis Scripturæ locis, ac præſertim ex Deuter. 23. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris; quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis.* 2dò: Si votum editum ſit cum temporis determinatione, explendum eſt tempore per votum determinato; ſi verò citra temporis determinationem emiſſum eſt, executioni dandum eſt, cùm primùm commodè dari poteſt. Suar. cit. l. 4. c. 14. n. 7. Sanch. l. 4. c. 14. n. 18. Laym. l. 4. tr. 4. c. 3. n. 4. & 5. cum S. Th. 2. 2. q. 88. a. 3. d. 3. Ratio: quia hoc commune eſt omni promiſſioni abſolutæ, & non limitatæ. Contra hanc obliga-

obligationem mortaliter delinquitur maximè irrationabili dilatione voti Religionis ingrediendæ, aut Ordinis Sacri ſuſcipiendi: non itèm in reliquis. Rationem dat Laym. cit. quia cùm per priora duo voti reus obligetur ad perpetuum DEI obſequium, ideò, quò diutiùs differt, eò majorem partem promiſſi obſequii aufert; reliqua verò licèt differantur, adhuc integrè impleri poſſunt. 3tiò: Obligatio voti eſt perſonalis, nec ad aliam perſonam tranſit. Suar. cit. c. 9. Sanch. cit. c. 15. Ratio eſt; quia obligatio voti ex voluntate voventis propria naſcitur, non ex aliena; ergo voventem ſtringit, non alium. Ex quo ſequitur, quòd, ſi communitas aliqua votum emiſerit, poſteri hoc voto non obligentur, niſi fortè ex ratione pacti, ſtatuti, vel longæ conſuetudinis. Itèm actionem ab altero præſtandam voveri non poſſe, niſi hoc ſenſu, quòd vovens curare velit, ut alterum ad boni quidpiam exercendum diſponat; ac ideò filius non obligatur ad Religionem ingrediendam, tametſi Parentes voto eum Deo obtulerint, niſi conſentiat, & votum ratificet. Itèm votum ab ipſo vovente impleri debere, ſi perſonale eſt; ſi reale, ex rebus propriis non alienis: licèt ſufficiat eleemoſynam v. gr. voto promiſſam miniſterio alterius elargiri, niſi inſimul per ſuam perſonam, non alterius miniſterio elargiri voviſſet;

 ut

ùt bene ex Suar. cit. c. 10. n. 10. notat Laym. n. 10. Imò, ùt Sanch. cit. c. cit. probabiliter docet, ſufficit eam elargiri ab alio nomine voventis ex bonis elargientis. Rationem dat, quia dum elargiens obligationem in ſe ſuſcipit, perinde facit, acſi rem elargiendam voventi donaret. Sequitur demum, ſi vovens votum ſuum implere non poſſit, non obligari, ùt alium roget, vel ſubſtituat, qui impleat. Suar. cit. c. 10. Sanch. cit. Navarr. &c. Ratio: quia actus ſe non extendit ultra intentionem agentis; voventis autem intentio fuit ſe facturum, quod promiſit. 5to: Dum in votis mixtis alterutra pars promiſſionis impleri nequit, ſpectanda eſt intentio voventis: ſi enim intentio fuit uno reddito impoſſibili alterum adhuc præſtandi, implenda eſt pars poſſibilis & è contrà: ſi verò de intentione non conſtet: an utrumque permodum unius promiſſum fuerit? an verò diviſum? inſpiciendum eſt, quidnam in tali voto promiſſum fuerit *principaliter*, & quid *acceſſoriè* Si proindè perſonale principaliter promiſſum eſt, reale verò acceſſoriè, non eſt obligatio exequendi reale, ſi perſonale expleri non poſſit. Ac ideò, ſi quis voviſſet peregrinari, peregrinatio autem executioni dari nequeat, non tenetur ſumptus in viam faciendos ad peregrinationis præfixæ terminum mittere. Contrarium eſt, ſi reale ſit principale, perſonale acceſſorium;

tunc

tunc enim ſi perſonale reddatur impoſſibile, reale manet poſſibile, tenetur ad præſtandum reale. Sic ſi quis promiſiſſet manu propria elargiri eleemoſynam, tenetur ad elargiendum per alium, ſi per ſeipſum non poſſit. Si denique diſparaté promiſit ità, ut unum æquè principale ſit, ac alterum, tenetur ad illud, quod præſtari poteſt. Laym. *l.* 4. tr. 4. c. 3. n. 11. Suar. cit. c. 11. &c.

Præmitto 4to. Pro circùmſtantiis, in quibus urget obligatio voto promiſſum exequendi, ſequentes valere regulas, quas refert Sanch. ſuprà cit. à n. 29. 1mo eſt: in dubio verba voventis intelligenda ſunt ſecundùm communem loquendi, & intelligendi patriæ uſum. 2da eſt: quoties vovens non determinat circumſtantias, tenetur ex vi voti ad circumſtantias neceſſarias, ſine quibus res promiſſa non eſſet quoad ſubſtantiam operis materia voti v. gr. vovens Roſarii recitationem, tenetur illud recitare attente: recitarè enim ſinè attentione non eſt recitare. 3tia eſt: quando non conſtat de alia ſpeciali voventis intentione, non aliter obligat votum in quavis materia, quam ſi lex eſſet à DEO, vel ab Eccleſia de ea re. Quare tenebitur vovens iis circumſtantiis votum exequi, quibus lex illa obligaret. Sic ſi quis promiſiſſet, ſe equum Eccleſiæ 231.

datu-

daturum, tenetur eum dare: licèt reliqui omnes furto ablati fuiſſent: ſic enim lex Divina, vel Eccleſiæ obligaret. Suppoſito, quòd nullibi facta ſit reſtrictio, quæ cæteroquin ex mente voventis colligeretur. Quòd ſi res promiſſa foret indeterminata ſic, ut nec ex circumſtantiis colligi poſſet, quid? aut quantum promiſſum ſit, ait idem Sanch. c. 13. n. 4. cum Azor, Molina &c. quantitatem, & qualitatem determinandam eſſe arbitrio prudentis viri conſideratis perſonarum, materiæ ſubjectæ, & cauſæ promittendi circumſtantiis.

232. Præmitto 5tò: Ex communi DD. ſenſu, quod ipſum definivit Inn. III. cap. *licet*, de Voto, voti transgreſſionem ex genere ſuo eſſe mortalem. Ratio eſt: quia transgrediendo infidelitèr agitur cum Deo denegando ipſi cultum promiſſum. Ex quo inferunt nonnulli mortale etiam eſſe pœnitere voti emiſſi: ſed hoc intelligendum eſt, ſi cum tali pœnitudine conjunctus ſit animus rem promiſſam non exequendi, ùt colligitur ex D. Th. 2. 2. q. 88. a. 6. ad 2. Poteſt tamen ex eodem communi ſenſu dicta transgreſſio ſolùm eſſe venialis 1mò: ratione *parvitatis materiæ*, pro qua dignoſcenda regulæ ſequentes deſervire poſſunt. 1ma eſt: ſi ſit aliquod præceptum de illa materia, vel ſi de illa præceptum poneretur, quantitas, quæ reputaretur magna, aut levis in illius præcepti transgreſſione, repu-

reputabitur talis reſpectu voti. Et ſic ſi quis votum haberet non bibendi vinum, ſi modicum quid biberet, non peccaret mortaliter; ſecus ſi tantum biberet, quantum aliàs in prandio bibere conſvevit. Idem eſt de eſu carnium, idem de eleemoſyna &c. 2da eſt: præcipua menſura debet etiam eſſe *honeſtas materiæ* omnibus circumſtantiis penſatis. Unde poteſt quandoque votum rei valde facilis obligare ſub mortali ratione magnæ dignitatis rei promiſſæ, & utilitatis ſpiritualis inde conſurgentis. Sic votum ſemel ſuſcipiendi Euchariſtiam, aut celebrandi Sacrum obligat ſub mortali: quia redundat in magnum Dei honorem. Votum tamen orandi aliquot Pater, & Ave pro conſequendis Indulgentiis, aut liberanda anima ex purgatorio non videtur ſub mortali obligare: cùm utilitas hæc non admodùm ſit certa, ùt obſervat Sanch. cit. c. 12. n. 20. Poteſt eadem transgreſſio eſſe venialis. 2dò *ex intentione voventis:* licèt enim vovens non poſſit in materia levi ſe obligare graviter, cùm id nec poſſit Legislator; poteſt tamen in materia gravi ſe obligare leviter: cùm obligationis inductio tota pendeat à voventis voluntate. Unde etiam in interpretatione voti unicè attenditur ad mentem voventis tanquam veram, & ſynceram obligationis regulam. In dubio verò de mente inſpiciuntur verba (ſuppoſito

quòd

quòd ea vovens intelligat) & voti natura. Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. a. 3. §. 1. n. 348. cum Palao, Sanchez, Laym &c.

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

233. Q. 1. *Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens abſolutè dicat ſe votum violâſſe?* ℟. Breviter juxta dicta §. præced. diſquirendum ex eo eſſe 1mò: quomodo, & de qua materia illud emiſerit? tum ut videatur: an votum, quod violâſſe ſe dicit, conditiones ad verum votum habuerit, nec nè? Non raro enim, præſertim apud ſimplices, erroneè votum exiſtimatur, quod re ipſa firmum duntaxat eſt propoſitum, vel quod defectu ignorantiæ, vel erroris in ſubſtantia, vel defectu plenæ deliberationis, vel denique materiæ requiſitæ nullum eſt; tum, ut, ſi de voti veritate non ſit dubium, videatur: an obligatio graviter? an leviter ſit violata? an verò obligatio ſimpliciter deſierit? tum denique, ut agnita obligatione, vel ejus defectu dirigere pœnitentem poſſit: an obligatio eadem, & quomodo ſit implenda? Ad voti autem veritatem facilè dignoſcendam petatur â pœnitente, ut verba, quibus votum ſe emiſiſſe cenſet, recenſeat: itèm quâ intentione verba illa protulerit? an videlicet illis verè aliquid Deo promittere, ſeſèque obligare voluerit? quo

quo perſpecto inſpiciatur materia, de qua verba, & intentio proceſſerunt. His enim combinatis facilè judicium formabitur: an verba juratoria, & verà promiſſoria fuerint, nécne? & an, quod defuit verbis, intentio ſuppleverit? ac demum an verba, & intentio ob errorem, vel ignorantiam, aut ex materiæ defectu invalida ſint, nécne? Et de his

Q. 2. *Quandonam Confeſſarius judicare poſſit ob ignorantiam, vel errorem votum invalidari?* ℟. Pro hoc dignoſcendo ſervire ſequentes regulas, 1mò: ſi ignorantia voventis ſit *merè negativa*, quæ nempe fit absque poſitivo aliquo errore circa rem promiſſam, ſubſiſtit votum; ſive tametſi vovens non penetret, quod promiſit, & difficultates in eo contentas, quas ſi omnino penetràſſet, vel advertiſſet, vel expertus fuiſſet, neutiquam voviſſet, dummodò ſciverit voti ſubſtantiam, non eximitur à voti obligatione. Ità Sanch. ſæpe cit. l. 3. c. 2. n. 10. Suar. de Rel. l. 4. c. 19. n. 8. Laym. l. 4. tr. 4. c. 1. n. 5. & cum his Cajet. Armilla, Sotus, Molina &c. Rationem dat idem Sanch: quia ea, quæ non ſatis penetravit, & quæ in particulari non erat expertus, talia ſunt, quæ in promiſſione continentur, ſuntque annexa rei promiſſæ, nec voti valor petit omnium circumſtantiarum conſiderationem, ſed deliberatione ad mortale ſufficienti contentus eſt. 234.

2da

235. 2da Regula eſt: ſi error ſit *poſitivus* circa rei promiſſæ ſubſtantiam, id eſt, circa difficultates, & circumſtantias magni momenti, ac notabiliter exiſtimationem voventis ſuperantes, quibus cognitis non voviſſet, votum non ſubſiſtit: quia non cenſetur eſſe voluntarium. Secus, ſi ſit circa accidentales circumſtantias, quæ non ſunt magnæ conſiderationis, nec excedunt notabiliter voventis exiſtimationem. Laym. cit. loco cit. Exemplum dant Sotus, Manuel, & Arragon apud cit. Sanch. n. 11. ſi quis alium fallat dicens Romam non longè diſtare, cùm longiſſimè diſtet, quam ob cauſam deceptus peregrinationem voveret, non ligaretur voto; ſecus ſi deceptio eſſet circa majorem itinerum amœnitatem, quàm reipſa ſit. Debet tamen, ùt bene limitat idem Sanch. n. 14. 15. & 16. ignorantia, quæ excuſet, eſſe invincibilis; cùm aliàs difficultates vincibiliter ignoratæ ſint *virtute volitæ.* 2dò debent circumſtantiæ eſſe à re inſeparabiles: ſeparabiles enim non cenſentur *virtute volitæ.* 3tiò non debet error, vel ignorantia eſſe vovendi cauſa: nam ſi errore ſecluſo votum emiſſum non fuiſſet, error excuſabit. Porrò magnitudinem circumſtantiarum cenſet La Croix l. 3. p. 1. n. 377. determinandam eſſe prudentûm judicio. Gob. verò Tr. 9. n. 55. regulam hanc ſtatuit: tunc circumſtantiam cenſendam eſſe magni momenti, quan-

Digitized by Google

quando talis eſt, quæ homines ſimilis conditionis ſolet à vovendo retrahere. Si verò de more aliorum non conſtet, inſpiciendos eſſe alios actus promiſſorios: ſi enim vero ſimiliter ex illis conjicere poſſit in ſimili circumſtantia cognita eliciendos non fuiſſe, liberabitur ab obligatione.

3tia regula eſt, ſi error, vel ignorantia 236.
ſit circa finem unicè intentum, ſive is intrinſecus ſit rei promiſſæ, ſive extrinſecus, votum ceſſat. Ità cit. La Croix n: 371. Sic ſi quis miſericordiâ motus erga alium voveret illi dare eleemoſynam exiſtimans eum verè eſſe pauperem, dein comperiat eum eſſe bene habentem, voto non ſtringitur, Si verò plures adeſſent fines extrinſeci, ſerviunt pro regula, quæ dicta ſunt prænot. 4.

Q. 3. *Quandonam Confeſſarius judicare poſ-* 237.
ſit votum pœnitentis defectu materiæ invalidari? ℞. Materiæ defectum tripliciter conſiderari poſſe 1mò prout deficit materia in ipſa voti emiſſione: quià videlicet res quæ vovetur aut neceſſaria eſt, aut impoſſibilis, aut mala, aut purè indifferens, aut obſtans oppoſito meliori bono. Et de ſic conſiderata materia dictum jam eſt, votum per illam reddi nullum. 2dò conſiderari materia poteſt, prout in voti emiſſione ſufficiens fuit, & apta, poſt emiſſum autem votum mutatur. Ut proindè rectè judicetur votum ob materiæ mutationem invali-

Digitized by Google

dari, Regulæ ſequentes à Suar. ſuprà cit. l. 4. c. 19. n. 4. & communi ſtatuuntur. 1ma eſt: quandocunque tanta ſit mutatio in voto ex parte materiæ in ordine ad poteſtatem voventis, ut in principio eſſet ſufficiens ad impediendum valorem ejus, ſufficit etiam poſteà ad tollendam ejus obligationem. Unde infert idem Suar. n. 5. 6. & 7. ſi impedimentum ſit perpetuum, ceſſat obligatio pro perpetuo, ſi temporaneum, ceſſat pro tempore. Si impedimentum ſit quoad totam materiam, ceſſat obligatio quoad totam materiam, ſi quoad partem, ceſſat quoad partem; idque ſive mutatio fuerit prævila, ſive non. 2da eſt: ſi mutatio facta non reddit abſolutè impoſſibilem voti executionem, non ſufficit ad tollendam obligationem, etiamſi talis ſit, ut ſi à principio extitiſſet, vovens non voviſſet, niſì etiam moraliter credatur non fuiſſe ad illum ſtatum extenſam, utpote imbibitam habens conditionem: *ſi res talis eſt*. Pro hoc dignoſcendo tria indicia ſervire poſſunt. Primum eſt: quando per mutationem res ad eum ſtatum pervenit, in quo leges humanæ non ſolent obligare, ùt: ſi quis vovit jejunium, & ægrotet, excuſabitur quoties ægrotaverit: quia lex jejunii in tali ſtatu obligare non ſolet. 2dum eſt: quoties exceptio fundatur in aliqua juris regula, aut principio, quale eſt: *quòd ſub generali clauſula non contineantur*

ſpe-

ſpecialia, 3tium deſumi poteſt ex communi hominum conſenſu, & conſuetudine: ſi enim vovens per mutationem materiæ ponatur in eo ſtatu, in quo non ſolent homines talia opera ſibi imponere, vero ſimile eſt voventem non habuiſſe vovendi intentionem: ùt ſi quis habens ſuperfluum vovit quotidie facere eleemoſynam, & pervenit ad ſtatum, in quo vix habet ſtatui neceſſaria. 3tium: prout materia ſubjecta eſt poteſtati dominativæ, & voluntati Superiorum, à qua irritari poſſunt, quemadmodum art. præced. de juramento dictum.

Q. 4. *Quomodo dirigendus ſit pœnitens, qui dubitat de voto, aut voti obligatione?* ℞. 238. Eum dirigi poſſe juxta regulas ſequentes, quarum 1ma eſt: *in dubio melior eſt conditio poſſidentis.* Proinde ſi libertas poſſideat contra votum, votum non obligat; è contra ſi votum poſſideat contra libertatem, eſt obligatio. Quæ pars autem poſſidere cenſenda ſit, colligitur, ſi obſervetur cui parti probare incumbat, quòd penes alteram non ſtet poſſeſſio; pars enim cui probari debet in poſſeſſione eſſe cenſebitur. Sic ſi dubitetur: an vovens libere voverit probandum eſt voventi eum plena libertate fuiſſe præditum, cùm voveret, ac ità vovens cenſebitur eſſe in poſſeſſione: Si verò certus de voto dubitet; an eo obligetur, ipſe probare debet, quòd non obligetur, ac ità poſſeſſio erit

penes votum. 2da eſt: *Obligationes gratuitæ ſunt potius reſtringendæ, quàm amplianda* Suar. l. 4. c. 5. n. 13. Laym. l. 4. tr. 5. c. 6. n. 14. Bonacin. &c. 3tia eſt: Dubitans: an plùs? an minus voverit? tenetur tantùm ad minus. Ratio deſumitur ex Regula 1ma: quia libertas eſt in poſſeſſione contra majus. Laym. l. 4. tr. 4. c. 3. n. 4. 4ta, ſi paulò pòſt, quàm aliquid ſtatutum eſt, dubitetur, an votum emiſſum ſit? néc-ne? pro libertate judicabitur: quia non tam facilè, & tam citò obliviſcimur magnæ promiſſionis. La Croix l. 3. p. 3. n. 381. cum Gob. tr. 11. n. 387. Sanch. &c. 5ta: Præſumptio habetur pro veritate, quàmdiu non eliditur alia majore, vel æquali Gob. cit. n. 384. Nec urget hìc principium: *in dubiis tutior pars eſt eligenda*; nam ùt rectè exponit Suar. ſuprâ cit. n. 18. principium hoc non eſt præcepti, ſed conſilii. niſi ly *tutior pars* accipiatur pro parte *practicè* minùs periculoſa, ùt evenit, quando de valore Sacramentorum agitur. 6ta eſt: In dubio votum interpretandum eſt ſecundùm naturam, & conditiones rei promiſſæ. Laym. cit. n. 3. Rationem dat: quia quisque promittens præſumitur tali modo ſe obligare voluiſſe, ſicuti rei promiſſæ natura poſtulat. Si vero etiam voti naturâ inſpectâ de voventis intentione dubium maneat, tunc interpretatio fieri debet ſecundùm verborum, quibus uſus eſt, proprie-

prietatem, vel potius communem, & uſitatam acceptionem: ſi enim verba ex ſe non ſignificant promiſſionem, vel pactum, præſumetur pro voti nullitate, & è contrà. Ità Laym. ibidem cum Gob. Sanch. &c. 7ma: ſi dubitetur de deliberatione Sanch. l. 4. c. 4. à. n. 15. cenſet attendendas eſſe voti cauſas: ſi enim voti cauſa ſit *metus*, licèt injuſtè, & ad extorquendum votum incuſſus, ſufficiens ad votum exiſtimabitur. Ratio eſt; quia talis metus non aufert plenam advertentiam, & voluntarium, licèt voluntarium miſceatur involuntario. Suar. l. 1. c. 7. toto contra multos. Excipe hinc vota matrimonii, & Religionis, quæ metu gravi facta, jure Eccleſiaſtico irritantur, ùt c. 8. n. 10. probat idem Suar. Si verò voti cauſa ſit ætas, inſufficiens deliberatio reputabitur ante ſeptennium, ſufficiens poſt, niſì ante ſeptennium de uſu perfecto rationis, poſt verò de ejus defectu rationabiliter conſtet. Ratio: quia ex communiter evenientibus rationabilis eſt præſumptio. Si denique cauſa ſit voventis *amentia*, *primus impetus*, *vel paſſio vehemens*, & rationem, ac voluntatem prævertens, clarum eſt, plenam deliberationem non adfuiſſe. Secus ſi ante amentiam, vel tempore lucidi intervalli, vel poſt primum impetum, vel advertentiâ plenâ paſſioni junctâ emiſſum fuiſſet. Idem applica ebrietati. Quòdſi etiam hoc dignoſci non poſſit, judicandum eſt

verò *ſpecialem* , & *determinatam*, non admiſſus ad hanc ſpecialem ; vi prioris voti tenebitur ad aliam. Armilla v. votum n. 18. Sotus l. 7. de Juſtit. q. 2. a. 1. ad 3. Et patet ex dictis. Non tenetur tamen, ſi convenientibus dotibus eſt præditus in Religione fieri Laicus, nisì expreſſè & hoc voviſſet. Ratio eſt: quia hæc videtur eſſe natura voti à tali vovente procedentis, ut illud non poneretur, nisì Sacerdotium adipiſci ſperaret. Contrarium eſt, ſi dotibus ad ſacerdotium ſit deſtitutus.

Quod *conatum* attinet admiſſionem impetrandi, cenſet D. Th. cit. a. 3, ad 2. cum communi talem facere oportere, quantum in ſe eſt, ut admittatur. Ratio: quia obligatio Religionis res graviſſima eſt, ac ideò conatum exigit moraliter, & humano modo poſſibilem. Ex quo ſequitur 1mò: conatum hunc tempore debito adhibendum. Proindè ſi vovens terminum ingreſſui præfixit, non licet petitionem differre in dies ultimos temporis terminum præcedentis. Sequitur 2dò: non ſatisfieri conatui requiſito, ſi petitio inſtituatur ſimulatè, & fictè e.g. verbis petendo; nutibus, aut factis animum contrarium indicando. Sanch. cit. n. 34. Azor. l. 11. Inſtit. Mor. c. 22. q. 9. Aliud foret, ſi nullo externo ſigno contrariam mentem indicaret. Navarr. Sum. c. 22. n. 14. Ratio: quia diligentia prior non cenſetur moralis, poſterior cenſetur. 240.

Quanquam ſi juſta deſiderii oppoſiti cauſa deſit, venialiter peccaret, ut idem Navarr. docet ibidem. Averſionem tamen ſuam manifeſtando, neutiquam peccaret, dummodò cæteroquin paratus ſit media debita adhibere, ut voto ſatitfaciat. Idem eſt, ſi ſic conſtitutus impedimenta manifeſtet: imò tenetur ad hæc manifeſtanda, ſi perpetua ſint, nec in Religione diſpenſabilia, quod rectè pro limitatione addit cit. Sanch. n. 36.

241. Quod *perſeverantiam* concernit non ſatisfit voto, ſi quis ingrediatur animo exeundi D. Th. 2. 2 q. ult. a. 4. ad 3. cum communi: Ratio: quia eo ipſo, quod obligatio ſit ad ſubſtantiam, etiam obligatio eſt ad circumſtantias, ſinè quibus actus non eſſet apta voti materia. Excipe, nisì tamen paratus eſſet dare operam, ut Deus immutet cor: tunc enim præſtaret, quantum in ſe eſſet, Cæterum ſatisfit voto, tametſi egrediatur cum juſta cauſa. Hæc enim eſt imbibita conditio in voto: *perſeverabo, niſi juſta cauſa impediat.* Si vero citra juſtam cauſam egrediatur, voto non liberatur, & graviter peccat contra votum, ùt patet. Quòdſi *explicitè* perſeverantiam voviſſet, etiam ex juſta cauſa, ex qua voto obſtricti egredi poſſunt, ipſe egredi non poſſet. Ità cit. D. Th. loco cit. Valentia, Azor. Navarr. &c. Ratio eſt: quia talis perſeverantiæ voto cedit jure, quo voto non obſtricti, po-

potiuntur. Porrò ſi quis voviſſet Religionem Laxiorem, ac propria authoritate commutaret in ſtrictiorem exiens cum juſta cauſa ad laxiorem non obligabitur. Idem eſt ſi ſtrictior voto promiſſa authoritate legitima commutata ſit in laxiorem. Sanch. cit. n. 49. & 98. Ratio eſt: quia per commutationem extinguitur omnino prioris voti obligatio. Ut verò juſta cauſa dignoſcatur idem Sanch. n. 99. ſequentem regulam ſtatuit, ut videlicet ſit talis, quæ à levitate excuſet. Unde diſplicentia ſola Religionis non ſufficit, nisì conjuncta ſit cum paſſione, anxietate, triſtitia, quæ notabili tempore depelli non poteſt. Juſta etiam cauſa non eſt, culpa, ob quam expellitur; ac ideò talis votô non liberatur, ùt cenſent Sotus, Arragon, & alii aqud Sanch. cit. n. 108. Limitat tamen idem Sanch. nisì ſaltem mediocrem diligentiam ad culpas vitandas adhibuiſſet. His addo cum Navarr. ſuprà cit. n. 47. & 48. cum juſta cauſa dimiſſum ad nihil in ſæculo præſtandum vi voti obligari, nisì id ſpecialiter voviſſet. Ratio: quia talis ſufficienter votum ſuum implevit. Dictorum occaſione

Q. 6. *An ære alieno, ſeu debitis gravatus, vel obligatus ad aliquid in favorem alterius faciendum poſſit ingredi Religionem?* 242.

℞. Ad 1mum, poſſe ingredi, licèt debita ſint certa, & debitor ingrediens nunc ſolvendo non ſit, ſi manens in ſæculo non poſ-

 ſit

ſit brevi tempore acquirere bona, quibus ſolvat: ſi enim arte, vel induſtriâ brevi tempore, & citra notabilem difficultatem, debita ſolvere poſſet, ingredi non liceret. Ità Navarr. comment. 1. de Regular. n. 18. Azor. &c. apud Sanch. l. 4. c. 19. n. 8. cum D. Th. ſupra cit. q. ult. a. 6. ad 3. Ratio eſt: quia liberi hominis perſona non eſt creditoribus obligata, ſed ejus bona, ad quæ in dicto creditore eſt moralis impotentia. Per breve tempus autem cenſetur juxta eundem Sanchez eſſe biennium, aut triennium. Idem dicendo in dubio an brevi tempore citra notabilem difficultatem ſolvendo futurus ſit? quia probabile eſt non adeſſe ſpem brevi tempore ſolvendi; licitè proinde ad partem alterutram dubitans ſe reſolvere poteſt. Idem quoque dicendum de facienda Profeſſione. Si debitor dicto modo conſtitutus profeſſus eſt, Religioſa Domus ad ſolvendum debita pariter non obligatur ſuppoſito, quale hìc eſt, quòd Domus Religioſa in bona ingredientis non ſucceſſerit. Ratio: Quia Monaſterium per ſolam debitoris impotentis ſuſceptionem debitum ſolvendi non contrahit. Nec ipſe debitor ingreſſus tenetur manibus laborando, vel artem, quam novit, exercendo ſolutionem procurare. Pro qua ſententia idem Sanch. c. 19. n. 14. cit. Palud. Sylveſt. Tabienam, & alios. Ratio eſt: quia medium hoc extraordinarium & difficile eſt.

Un-

Unde licet ingrediendo etiam peccâſſet, facta Profeſſione impotens factus eſt. ℞. Ad 2dum: Pariformiter talem ingredi poſſe, tametſi aliquid alteri in favorem præſtandum appromiſerit. Palud. 4. diſt. 38. q. 3. a. 2. n. 15. Sylv. Azor. Cenſet inſuper Sanch. cit. n. 31. id verum eſſe, tametſi promiſſio juramento firmata ſit. Rationem dat: quia obligationibus his tacita conditio ineſt: *niſi tranſitus ad Religionem placeret.* Contrarium eſt, ſi adſit obligatio juſtitiæ, quâ aliquid reſtituere ratione injuriæ, vel damni allati cogitur: tunc enim ingredi nequit, niſì brevi tempore, nec ſinè notabili difficultate poſſit, ùt ex priore reſponſo colligitur.

Q. 7. *An Parentibus in gravi neceſſitate conſtitutis integrum ſit filiis ad Religionem tranſire?* ℞. Non licere filiis ob Religionis ingreſſum deſerere parentes in gravi neceſſitate conſtitutos, quando eſt probabilis ſpes fore, ut in ſæculo manentes ipſis ſubvenire valeant, nec eſt alius, qui ſubveniat. D. Th. 2. 2. q. ult. a. 6. & alibi ſæpe, Sà, Navarr. Azor. &c. Deſumitur 1mò ex Conc. Gaugrenſi à Leone IV. approbato, quod anathematizat filios deſerentes ſuos parentes neceſſitate preſſos occaſione Divini cultûs. Deſumitur 2dò ex ratione: quia omittere præcepta propter conſilia nefas eſt. Excipe: niſì filius extra Religionem eſſe nequeat absque certo peccandi periculo: tunc enim charitatis ordo 248.

petit

petit ſalutem propriam ſpiritualem præferre temporali, etiam parentum. Cæterùm nomine *gravis neceſſitatis* hìc non intelligitur talis gravitas, in qua conſtituto proximo quivis alius ſuccurrere tenetur, ſed minor etiam, quæ videlicet revera arbitrio prudentis cenſetur non levis, ſed magna D. Th. cit. loco cit. Navarr. Cajet. &c. Clariùs hoc ipſum explicat Syl. Corduba, Manuel apud Sanch. n. 4. dicentes ſufficere neceſſitatem decentiæ ſtatûs, eò quòd cogerentur parentes ad ſibi proſpiciendum ea efficere, quæ in notabilem ejus decentiæ jacturam cederent. In dubio tamen de tali neceſſitate ingredi licet: cùm filiorum libertas maneat in poſſeſſione. Quòdſi jam profeſſus eſſet filius egredi non tenetur: quia ſtatus obligationem tollit, ſicut filius uxorem deſerere non teneretur, ſi aliter ſubvenire non poſſet: quia ſtatus conjugalis obligationem tòllit. De fratribus, vel Sororibus ſecus eſt diſcurrendum, quàm de parentibus: quia non eſt tanta obligatio erga hos, quanta erga parentes.

244. Q. 8. *Quomodo peccâſſe cenſebit Confeſſarius eum pœnitentem, qui votum de multis materiis parvis à ſe violatum dicit?* ℞. Si plurium transgreſſionem materiæ parvæ neque *ſecundûm ſeipſas*, neque *ſecundum effectum* ab ipſis productum *moraliter* coaleſcunt, ſed diviſæ manent, tunc omnes, ac ſingulas transgreſſiones ſic veniales tantùm

tùm eſſe, ut nunquam mortale efficere poſſint. Ità D. Th. 1. 2. q. 88. a. 4. Laym. tom. 1. l. 1. tr. 3. c. 5. n. 7. & 8. Suar. tom. 2. de Rel. l. 5. c. 5. n. 9. & ſeq. Sanch. &c. Proinde ſi quis voviſſet quotidie à meliori bolo in prandio abſtinere, non peccaret mortaliter, tametſi votum toto anno transgrederetur. Contrarium eſt, ſi plurium transgreſſionum parvæ materiæ inter ſe *moraliter* uniantur, ſive *ſecundum ſeipſas*, ſive *ſecundùm effectum* ab ipſis productum. Unde Clericus eodem die multas pſalmorum partes contra votum de ſingulis partibus ſpecialiter factum omittens graviter delinqueret: quia multæ partes in partem magnam ad mortale ſufficientem coaleſcerent. Idem eſt de eo, qui votum de non auferendo modico nummo emiſiſſet, ſi adeò ſæpe modicum nummum auferat, ut proximum quantitate ad mortale requiſita damnificet. Ratio eſt eadem.

Q. 9. *Quid Confeſſario circa voti commutationem ſit obſervandum?* ℟. Sciendum eſſe 245.
1mo: *Commutationem* à *diſpenſatione* differre per hoc: quia per diſpenſationem obligatio voti *plenè* extinguitur; per commutationem autem obligatio ab una materia ſolùm transfertur in aliam. Sanch. l. 4. c. 24. n. 2. Laym. tom. 2. l. 4. tr. 4. c. 8. n. 18. cum communi

246. 2do: Commutationem voti fieri poſſe ab ipſo vovente in opus manifeſtè melius, & præſtantius. Suar. cit. l. 6. c. 18. n. 4. & alii paſſim.

Excipe cum eodem n. 17. & communi, vota Pontifici reſervata, niſi poſt emiſſa talia vovens votis Religioſis ſe obſtrinxiſſet, quo caſu omnia vota antecedentia tam realia, quàm perſonalia commutari poſſunt, ut docet D. Th. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 1. quem ſequuntur plerique omnes. In opus tamen æquale commutare non poteſt, ſed accedere debet authoritas vel Papæ, vel Epiſcopi, aut alîus, qui ab ipſis commisſionem, vel delegationem habet. Eſt communis cum Suar. cit. c. 19. n. 6. Sanch. cit. c. 49. n. 13. In menſuranda verò æqualitate, ùt bene notat Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. a. 3. n. 359. non eſt attendendum, quid in ſe melius, ſed quid omnibus conſideratis Deo ſit gratius: ſæpe enim opus in ſe melius, non eſt Deo gratius. Talis eſt oratio reſpectu jejunii, eleemoſynæ &c. Addit ibidem cit. Author ſufficere, nè via ſcrupulis aperiatur, ſi opus bona fide æquale judicetur.

247. 3tiò: Cui per privilegium, ſivè delegationem conceſſa eſt poteſtas diſpenſandi in votis, conceſſa quoque videtur poteſtas commutandi. Laym. cit. n. 12. Leſſ. Sanch. Suar. Azor. &c. apud eundem. Confirmat hoc ipſum reg. 53. in 6. *Cui licet, quod eſt plus, licet utique; quod eſt minus.*

4tò:

4tò: Ut diſpenſandi ità nec commu- 248.
tandi poteſtas extendit ſe ad vota, quæ ſunt in emolumentum tertii *facta acceptatione.* Utraque proinde in præjudicium tertii fieri non poteſt. Suar. l. 6. de voto c. 15. n. 3. Sanch. l. 4. Mor. c. 41. n. 1. Stoz. cit. n. 360. Laym. &c. Idem eſt ſi vota ſint reſervata.

5tò: Ut licita ſit commutatio in opus 249.
æquale, vel minus, requiritur aliqua cauſa. Eſt communis, censétque Laym. cit. n. 22. ad commutationem in opus æquale rarò cauſam deeſſe; ac ſufficere fragilitatem, & propenſionem pœnitentis. Si verò fiat in opus minus, adeoque ſi miſceatur diſpenſatio, cenſet ſufficere cauſam rationabilem, quæ tamen non obſtet executioni voti. Cæterùm quibus commutandi privilegium conceditur, commutare debent in opus æquale: niſí etiam poteſtate diſpenſandi gaudeant, & diſpenſare velint. Suar. cit. c. 19. n. 7. Sanch. cit. c. 50. n. 4. Tolet. Azor. &c. Ratio: quia hoc importat vocabulum *commutationis.*

Perſonalia quoque onera commutan- 250.
da ſunt in perſonalia, realia in realia; quin in commutatione ſervari ſolet æqualitas; non eſt tamen ſimpliciter neceſſe. Ità cit. Suar. n. 20. Laym. n. 25. Sanch. c. 56. n. 16.

6tò: Facta commutatione in arbitrio 251.
voventis eſt vel votum ipſum exequi, vel opus, in quod facta eſt commutatio.

Leſſ.

Leſs. l. 2. c. 40. dub. 11. n. 97. Sanch. c. 55. n. 26. Azor. Ratio: quia quivis favori ſuo renuntiare poteſt. Si verò opus in quod commutatio facta eſt redditum eſt impoſſibile, etiam voventis culpâ, non cogitur votum implere. Suar. c. 20. n. 9. Sanch. de Matr. l. 8. Diſp. 9. n. 21. Ratio: quia commutatione voti obligatio jam eſt extincta, idque etiam tunc, dum commutatio voti facta eſt non ab homine, ſed ipſo Jure. Proinde ſi quis emiſiſſet votum peregrinandi Hieroſolymam, & poſteà Religionem profeſſus ſit, accidat verò, ut ob culpam ſuam Religione ejiciatur, non obligabitur ad votum explendum. Laym. cit. c. 8. n. 28. Ratio eſt eadem: quia omnia vota per Religionis ingreſſum ſunt extincta. Aliud judicandum cenſet idem Suar. Tom. 4. de Rel. tr. 10. de Rel. Soc. JESU l. 3. c. 4. à n. 23. Laym. n. 30. cum Sà. v. commutatio de votis ſimplicibus in Societate noſtra, quæ licèt ſuſpendant juxta Decr. 132. Congr. I. non tamen extinguunt ante profeſſionem vota priùs emiſſa, niſi ipſe vovens propria intentione vota antecedentia in hæc ſimplicia commutâſſet. Ubi tamen rurſus excipitur votum perpetuæ continentiæ, utpote quod à voto Religioſo eſſentialiter non differt, ideòque immutatum perſeverat. Hæc potiſſimùm de commutatione.

Q. 13.

252.

Q. 10. *Quid Confeſſario ſciendum & obſervandum de diſpenſatione votorum?* ℞. Præter dicta ſciendum illi eſſe 1mò: quòd, cùm diſpenſatio ſit actus jurisdictionis, tametſi non ſit Ordinis, poteſtas hæc non competat iis, qui carent Jurisdictione, quales ſunt infideles, excommunicati, ſimpliciter Laici etiam Principes. Sanch. l. 4. Mor. c. 30. n. 16. & ſeqq. ac cum eo Palud. D. Antoninus &c. *Ordinaria* itaque ſolis Prælatis Eccleſiaſticis competit reſpectu ſuorum ſubditorum; tametſi hi per aliquod tempus exiſtant extra diœceſim. Suar. tom. 2. de Rel. tr. de voto l. 6. c. 11. n. 10. *Delegata* verò conferri nequit, niſi ei qui ſaltèm Clericus ſit primæ tonsuræ. Ità cit. Sanch. loco cit. Porrò *ſumma poteſtas* eſt penes ſummum Pontificem, & Concilium, *ſubordinata Ordinaria* penes Cardinales, qui plebem ſibi ſubjectam habent. Itèm penes Legatos Apoſtolicos in Provincia ſibi commiſſa, Pœnitentiarium ſummi Pontificis, Epiſcopos reſpectu ſuæ diæceſis: dummodò à Pontifice confirmati ſint; idem eſt de Archi-Epiſcopis etiam ante Pallii ſuſceptionem; idem de eorum Suffraganeis. Itèm penes Capitulum ſede vacante; penes Generales verò Epiſcoporum Vicarios non eſt niſi ſpecialiter ſit commiſſa. Eſt itèm penes Abbates Epiſcopali Jurisdictione gaudentes. Itèm penes Prælatos Epiſcopo inferiores,

Digitized by Google

ſi eam per præſcriptionem acquirant. Ità Suar. cit. c. 10. Sanch. cit. c. 38. cum aliis permultis, quos ibidem referunt.

253. 2dò: Poteſtas eadem etiam eſt penes Prælatos Regulares reſpectu ſuorum Religioſorum, quo nomine quoque intelliguntur Superiores Societatis JESU. Idque tum reſpectu Profeſſorum, tum non Profeſſorum, tum Novitiorum. Hæc namque poteſtas ratione muneris perpetuo eſt iis annexa. Suar. cit c. 10. n. 14. Sanch. cit. c. 39. n. 3. & 4. Sayr. Valentia &c. Cum ipſis verò Prælatis diſpenſare poteſt Prælatus ſuperior: cum Generali totus Ordo; quanquam & ipſi poteſtatem delegare poſſint ſuis Confeſſariis, imò & ſecum ipſis diſpenſare. Ità Sanch. l. 8. de Matr. à n. 5. cum aliis multis, quos ibidem refert contra Suarez, & alios, Ratio: quia hæc poteſtas non eſt contentioſa, quæ teſtium probationem, & partis citationem deſideret. Et ſi poteſtatem diſpenſandi gaudet cum tota communitate, ac cum illa diſpenſatione fruitur, cur non poſſit etiam diſpenſare ſecum ipſo, ut quà diſpenſans ſit ſuperior, quà diſpenſatus inferior. Nec pro tali jurisdictione requiritur alteritas perſonarum: ſicut in Jurisdictione, quâ Indulgentiæ conceduntur, non requiritur. Vide cit. Sanch. loco cit. ubi fusè hanc ſententiam propugnat. Abbatiſſæ tamen reſpectu Monialium diſpen-

ſpenſandi poteſtate non gaudent. Suar. cit. n. 15. Regin. l. 18. c. 22. n. 340.

3tiò : Inferior in votis reſervatis diſpenſare non poteſt, adeò ut nec Legatus à Latere ſine ſpeciali Privilegio in votis quinque ſoli Pontifici reſervatis diſpenſare poſſit, minùs Epiſcopus. Patet ex univerſali Eccleſiæ conſuetudine. Excipe votum continentiæ, ſi magnum adſit incontinentiæ periculum, nec facilis acceſſus ad Pontificem. Idem dicendum de votis aliis, ſi aliud magnum periculum immineat v. gr. infamiæ, ſcandali &c. Suar. c. 26. n. 13. Sanch. Sayr. Henriq. &c. 254.

4tò : Pro diſpenſatione valida juſta cauſa, & quidem major, quàm pro commutatione, quæ obſtet executioni voti requiritur. Eſt communis. Cauſæ verò juſtitia prudentis arbitrio eſt determinanda. In particulari Suar. c. 17. Sanch. c. 45. Sayr. in Clavi Regia l. 6. c. 12. cum aliis juſtas cauſas eſſe cenſent ſequentes. 1ma eſt metus incuſſus per injuriam ad extorquendum votum. Item metus mortis procedens ex aliquo periculo. 2da eſt : ætas impuberum, quâ votum eſt emiſſum. 3tia : dolus , quo votum emiſſum eſt. 4ta : error circa cauſam impulſivam. 5ta : major utilitas, majòrque ſpiritualis fructus in vovente ſperatus. 6ta : morale periculum ruinæ. 7ma : magna voti implendi difficultas. 8va : in voto continentiæ gravis neceſſitas domûs , vel familiæ. 255.

Quia tamen cauſæ hæ, & ſimiles rariùs ſufficiunt ad puram diſpenſationem, utiliter ei commutatio aliqua commiſcetur.

256. 5tò: Ad diſpenſandum (idem eſt de irritatione, & communitatione) non ſufficit quidem interna Superioris voluntas, non requiritur tamen etiam certa verborum forma; verùm ſatìs eſt eam ſubdito innoteſcere verbis quibuscunque aut aliis ſignis ſufficientibus; imò ſatìs eſt, ſi Superior potens contradicere taceat, nec contradicat. Ità cum Suar. cit. c. ult. Sanch. cit. c. 42. & 46. Hæc de diſpenſandi poteſtate *Ordinaria*, & ejus occaſione. De *Delegata*.

257. Q. 11. *Quibus delegata hæc poteſtas conveniat?* ℞. *Delegatam* poteſtatem habent 1mò Epiſcopi in votis Pontifici reſervatis, cùm illis conceditur Suar. c. 25. n. 1.

2dò Innoc. VIII. Religioſis Mendicantibus conceſſit poteſtatem diſpenſandi in votis, in quibus diſpenſare poſſunt Epiſcopi. Excipitur ab eo votum peregrinationis ultra duas dietas, ſeu viginti leucas. Manuel. in Bulla Cruciata §. 9. n. 141. Ampliavit hoc privilegium Martinus V. Religioſis Benedictinis, quo per communicationem gaudent Mendicantes, ùt conſtat ex Compend. Privil. Soc. JESU. v. Diſpenſatio §. 10. ubi clarè dicitur: *Per facultatem Benedictinis conceſſam à Martino V. poſſunt noſtri Confeſſores deputati diſpenſare etiam in votis Epiſcopo reſervatis.*

Proinde ſicut Epiſcopi poſſunt diſpen-

ſare in votis, quæ à ratione, & materia veri voti non deficiunt; ità etiam poſſunt Religioſi Mendicantes. Aliud eſt de veris votis Pontifici reſervatis, in quibus diſpenſandi poteſtas Epiſcopis delegatur. Idem èſt de votis juramento firmatis. Sanch. l. 259.
4. Mor. c. 48. n. 7. & 9.

3tiò: Privilegium hoc ſaltèm in Societate noſtra conceſſum eſt Superioribus, ſubditis verò ijs duntaxat, quibus illi commiſerint. Privilegium itèm diſpenſandi in petendo debito, à quo conjux ob votum caſtitatis non ſolemne impeditur: conceſſum eſt Provincialibus, & iis Confeſſariis juxta Tridentini normam approbatis, quibus ipſi vel per ſe, vel per alium conceſſerint, ùt rurſus habetur in compendio privilegiorum Soc. JEſu v. Diſpenſatio §. 9.

4tò: Delegata hæc poteſtas Mendicantibus non reſtringitur ad ſubditos ſolius 260. Diœceſis, in qua ſunt Religioſi, ſed extenditur ad quoscunque undecunque venientes, & quidem ut illâ uti poſſint etiam extra Confeſſionem. Ità Suarez, & Sanch. ſæpe cit. prior c. 16. n. 4. alter c. 43. n. 15. & 17. niſi reſtrictio fiat ad ſolum forum Pœnitentiæ, ùt excipit idem Suar. ibidem. Ratio 1. partis eſt: quia cùm diſpenſandi poteſtatem à ſummo Pontifice habeant, qui toti Chriſtiano orbi præeſt, non eſt, cur ea reſtringenda ſit ad ſubditos illius Diœceſis, in qua Religioſi inveniuntur. Ratio 2.

partis eſt: quia privilegium non reſtringitur niſi ad perſonam Confeſſarii, qui munus ſuum obire poteſt, non tantùm in foro Pœnitentiæ; ſed etiam conſcientiæ: ùt liquet in apertura literarum S. Pœnitentiariæ. quæ ab illa diſcreto Confeſſori committi ſolet, etiam pro ſolo conſcientiæ foro.

Quia verò, ùt ex dictis facilè liquet, ſeu pro commutatione votorum, ſeu pro diſpenſatione ad Sedem Pontificiam, ſive ad S. Pœnitentiariam recurrendum eſt, ut Confeſſarius, quæ hunc recurſum concernunt, debitè noverit, quem ſeu pœnitentem edoceat, ſeu quod ſæpe neceſſitatis aut charitatis ratio ad perplexitatem, anxietatem, & peccatorum pericula vel auferenda. vel impedienda, poſtulat, ea, quâ licet brevitate hic annecto.

§. III.

De praxi expetendi, & exequendi literas S. Pœnitentiariæ.

261. Q. 1. *Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitentem commutatione, vel diſpenſatione egere advertat?* R. Diligenter illi eſſe inquirendnm in casûs qualitatem, circumſtantias & commutationis, vel diſpenſationis cauſas: ut ſeu pœnitens, ſeu ipſe Confeſſarius pro pœnitente caſum cum his

his adjunctis exponat quocunque demum
idiomate : cùm Sacra Pœnitentiaria ex
quacunque regione Pœnitentiarios habeat.
In finê casûs debitè enarrati addendum
nomen, & cognomen, cui ſit à S. Pœni-
tentiaria reſcribendum, etiamſi ipſum no-
men ſit fictitium. His adjungendus mo-
dus, quo reſponſum ſecurè dirigi poſſit,
indicando vulgari nomine Religionem,
Oppidum, ſeu Civitatem. Demum ſpe-
cificandus eſt dies, & annus, quibus lite-
ræ petitoriæ ſunt datæ.

Q. 2. *Quis modus & quæ formula in lite-* 262
ris ſit adhibenda? ℞. Hæc, aut huic ſimi-
lis. Intus incipitur ſupplicatio : *Eminen-
tiſſime & Reverendiſſime Domine*, vel : *Emi-
nentiſſime & Reverendiſſime S. R. E. Cardina-
lis, Domine Domine Clementiſſime. N. Mulier
emiſit votum ſimplex caſtitatis : manet in pe-
riculo incontinentiæ, niſi nubat : ſupplicat ſibi
votum commutari ad effectum contrahendi
matrimonium.* Supplicatio verò finitur
hoc modo : *Dignetur Eminentia Veſtra re-
ſcribere ad NN.* (exprimitur Nomen, &
Cognomen ejus, cui eſt reſcribendum)
ad Civitatem NN (exprimitur nomen Ci-
vitatis) *per Oppidum N* (exprimitur vulga-
ri nomine oppidum) *& dirigere Breve, ſeu
gratiam ſimplici Confeſſario, ſive Confeſſario
Magiſtro in Theologia, ſive Decretorum Docto-
ri, ſive Parocho, cui pœnitens aperuit ſuam
Conſcientiam; nè ipſa pœnitens cogatur cir-*

cumire pro executione gratiæ S. Pœnitentiariæ. Quam Deus &c. ſubſcribitur modo epiſtolari: *Eminentiæ Veſtræ Devotiſſimus ad Deum exorator NN.* Datum N. (ſpecificatur locus) *die N.* (ſpecificatur dies) *anno N* (ſpecificatur annus) A foris ſcribendum in hunc modum: *Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino, Domino S. R. E. Cardinali Majori Pœnitentiario. Romæ.*

263. Q. 3. *Quæ Confeſſario ſcienda de executione literarum S. Pœnitentiariæ, ut circa hæc pœnitentem rectè dirigat?* ℞. Scienda, & obſervanda eſſe potiſſimùm ſequentia, & 1mò quidem literas S. Pœnitentiariæ ad petentem (qui Orator dici ſolet) directas ab eo non debere reſignari, verùm extradi debere tali Confeſſori, quali inſcribuntur, qui eis reſignatis, & lectis cum eodem ſecundùm commiſſionem diſpenſet. Ubi tamen notandum literas has effectu non carere, tametſi quocunque caſu ab alio reſerentur. Salas, Diana apud Buſenb. l. 1. tr. 2. c. 4. in append. Sanch. l. 4. de Matr. Diſp. 34. n. 12.

264. 2dò à Confeſſore, cui diſpenſandi poteſtas committitur requiri 1mò: ut ſit approbatus ab Ordinario territorii, ubi diſpenſaturus eſt. 2dò ut ſit Magiſter, vel Doctor Theologiæ, aut Juris Canonici promotus in Academia. Unde non ſatis eſt, ſi tantùm ſit Magiſter Ordinis, vel Doctor Juris Cæſarei, vel Profeſſor, aut Licentia-

tus

tus Theologiæ, aut Juris. Sanch. l. 8. de Matr. D. 34. à n. 4. Excipe Religioſos habentes ſpeciale privilegium, quale conceſſit Greg. XIII. Anno 1582. 3. Aprilis Confeſſariis Soc. JESU, quos Generalis, vel alius Superior de ejus licentia ad id deſignârit, quo privilegio per communicationem etiam gaudent alii Religioſi Mendicantes. Et hæc conditiones ità requiruntur, ut nisi adſint in Confeſſore, diſpenſatio ſit nulla. Ità Sanchez cit à n. 10. 3tiò debet ad erercitium diſpenſandi ab oratore eſſe electus. Cenſet tamen probabiliter Sanch. cit. D. 27. n. 40. non tantûm ubi ſemel pœnitens literas præſentavit cuidam Confeſſario, ſed etiam pòſtquam ab eo pronuntiatum fuit, diſpenſationem eſſe ſubreptitiam, poſſe adiri alium Confeſſarium, qui forte ſit in ea opinione, quod reſcriptum valeat, poſſéque eundem Confeſſarium re melius perſpecta diſpenſationem mutatâ ſententiâ exequi. Rationem dat: quia etiam in peccatorum confeſſione id ipſum conceditur. 4to ! Confeſſor ad diſpenſandum electus primùm ùt judex diſpicere debet: an cauſa; quæ in Brevi exigitur, ſubſiſtat? ìdque per diligens examen pœnitentis: nisì eam aliunde perſpectam habeat; teſtibus tamen opus non eſt, nec juramento, ſed credendum eſt pœnitenti cauſam allegantí. Sanchez l. 8. de Matr. D. 34. à. n. 19. Et conſtat tum ex verbis

clauſulæ: *Quatenus ſi ità eſſe &c. ſi ità eſſe per diligentem Oratoris examinationem, ac poſt monita, & conſilia opportuna illi præſtita inveneris;* tum ex praxi Confeſſionis, ubi ſufficit pœnitentis aſſertio, niſi de falſitate clarè conſtet. Causâ debitè perſpectâ manifeſtanda ſunt, & injungenda opera in Brevi præſcripta, quæ licèt moderari poſſit Confeſſarius, condonare tamen non poteſt. Addit Sanchez n. 40 in moderando ſpectari debere majorem pœnitentis fructum, qui ex operibus ejusdem fragilitati commenſuratis reſultet. 5tò. Licèt certa verborum forma in diſpenſandi exercitio non ſit de eſſentia, conveniens tamen eſt, ùt ſervetur in Rituali Romano præſcripta, vel alia conformis, qualis eſt: *Authoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata tibi votum v. gr. Religionis, vel caſtitatis, quod emiſiſti, ad effectum, ut matrimonium legitimè contrahere, & in eo debitum conjugale reddere, & exigere licitè poſſis, & valeas, in opera pietatis, quæ tibi præſcripſi, diſpenſando commuto. In nomine Patris &c.* Quæ formula formæ abſolutionis adjici conſultiùs poteſt. Probabiliter tamen etiam extra Confeſſionem valida eſt, ùt ſuprà ex Suar. & Sanch. indicatum eſt: tametſi Buſenb. cit. Fill; Eſcobar &c. cenſeant ſententiam hanc non ampliùs eſſe probabilem, niſi reſtrictio in literis exprimatur.

Q. 4. *Quid Diſpenſanti poſt diſpenſationem ſit obſervandum?* ℟. 1mò inſtruendum 265.
eſſe pœnitentem literas diſpenſatorias gratìs eſſe conceſſas, nec ſuſcipiendum, ſeu à ſe, ſeu à S. Pœnitentiaria, ſi quid etiam gratuitò pro gratia facta mitteretur. Imò ſi ipſe aliquid ſuſciperet, excommunicationem majorem incurreret, ùt liquet ex Declarat. Cardin. apud Dian. p. 8. t. 2. Reſ. 108. 2dò: ùt ex clauſula literarum conſtat, eas eſſe dilacerandas, præſertim ſigillum. Unde conſultum docet Sanch. cit. n. 42. eas dilaceratas etiam comburere. Ratio: quia non dilaceranti quandoque imponitur excommunicatio latæ ſententiæ. Hoc tamen requiſitum non eſt de eſſentia diſpenſationis; ſed eo tantùm fine demandatur, nè literæ ſerviant in foro externo. Ex quo ſequitur, eas pœnitenti neutiquam eſſe reddendas, imò nec de facta diſpenſatione teſtimonium eſſe dandum. Ratio data eſt: nè gratia pro foro conſcientiæ tantùm data, ſuffragetur in foro externo. Sequitur prætereà diſpenſationes iſtas ordinario non eſſe præſentandas. Nec obſtat Trident. quod diſpenſationes Ordinario non præſentatas Seſſ. 2. de Reform. c. 5. nullius ait fore momenti: hoc enim Decretum de ſolis conceſſis pro foro externo eſt intelligendum: ùt rectè docet Sà Sum. v. Diſpenſatio n. 5.

ARTICULUS IX.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis dies feſtivos inhonorantis.

§. I.

PRÆMITTENDA.

266. PRæmitto 1mò: Obligationem honorandi, & ſanctificandi feſta ex duplici Eccleſiaſtico præcepto oriri, quorum alterum eſt *negativum* prohibens integro die feſtivo opera ſervilia exerceri, cujus meminit Clemens l. 8. Conſtit. c. 39. Itèm præter alios Aug. Serm. 215. ubi ait: *Si infelices Judæi tanta devotione celebrant Sabbathum, ut in eo nulla opera terrena exerceant, quantò magis Chriſtiani in die Dominico ſoli Deo vacare debent.* Et Serm 251. *Sciendum eſt; ideò à Sanctis Patribus noſtris* (per quos infrà Apoſtolos intelligit) *conſtitutum eſt, & mandatum, ut in ſolennitatibus Sanctorum, & maximè in Dominicis diebus otium haberent. & à negotio terreno vacarent &c.* Per integrum verò diem intelligitur tempus à 12. noctis uſque ad noctis conſequentis dimidium, ſeu horam 12. Alterum eſt *affirmativum* præcipiens, ut omnes fideles uſum rationis habentes integram Miſſam cum attentione audiant. Sumitur ex eodem Clem. Rom. l. 7. Conſtit. c. 31. Itèm ex Auguſt. Serm. 251. cit. ubi textui cit. ſubjun-

jungit: *Nullus ſe à Sacra Miſſarum celebratione ſeparet.* Utrumque hoc præceptum confirmatur continua Eccleſiæ praxi. De priore

Præmitto 2dò cum D. Th. 2. 2. q. 122. 267.
a. 4. Suar. tom. 1. de Rel. tr. 2. l. 2. c. 17. à n. 6. Laym. Fill. & aliis paſſim *per opera ſervilia* negativo præcepto prohibita intelligi *ſola* opera *externa*, & *corporalia*, & quidem talia, ad quorum exercitium ſervos deputatos habemus, qualia ſunt arare, ſeminare, ſuere, & alia hujusmodi opera mechanica, quæ ſervis, ſeu iis, qui hominibus aliis inſerviunt, proprie conveniunt. Unde *liberalia*, quæ à liberis fiunt, & immediatè ad excolendam mentem pertinent, pauculis exceptis, non prohibentur; tametſi eorum quædam etiam corporis laborem requirant. Hujus claſſis ſunt: dare conſilium, ſtudere, docere, ſcribere, choreas agere, cantare, pulſare organum, & omnia, quæ ad artes liberales ſpectant. Nec refert: an illa ſinè lucro, hæc cum lucro, & mercede fiant: neque an illa bono fine, hæc malo fine: illa ſinè defatigatione, hæc cùm defatigatione exerceantur? Suar. cit. c. 24. n. 3. Stoz l. 1. p. 2. n. 264. Tamb. &c. Ex quo ſequitur diſcere memoriter regulas operis ſervilis v. g. artis mechanicæ, prohibitum non eſſe. Dixi: *exceptis pauculis*, qualia ſunt 1mò: *mercatus*, quo nomine veniunt nundinæ, etiam hebdomadariæ. Itèm actus

Digitized by Google

actus mercandi, ùt contractus emendi, & vendendi, locandi, permutandi &c. Suar. cit. c. 29. n. 2. Stoz. n. 266. Bonac. Tamb. &c. Addit tamen Suar. ibidem hanc limitationem: niſì propter levitatem materiæ, & communem uſum excuſentur. 2dò: *Placitum*, quo nomine intelliguntur tres actiones ad ſtrepitum judicialem pertinentes, videlicet *citatio*, *proceſſus* ipſe, ſive cognitio cauſæ examinando teſtes, exhibendo inſtrumenta &c. ac *ſententiæ prolatio*. Laym. l. 4. tr. 7. c. 2. n. 9. Navarr. Palaus. & teſte Suar. cit. c. 30. n. 1. id ipſum docent omnes. Excipit tamen idem Laym. n. 10. & ſeqq. caſum neceſſitatis, & pietatis, itèm ſententiam excommunicationis, & abſolutionis, informationem, Judicis, vel Advocati. 3tiò: *Juramentum Judiciale*, & *extra judiciale*, ſi fiat ſolenniter, ùt limitat Suar. n. 17. ad firmandos contractus præſertim mercatùs illiciti. Quo caſu dupliciter peccari cenſet Stoz cit. n. 268. contractu videlicet, & juramento.

268. Præmitto 3tiò: Teſte Laym. cit c. 6 n. 1. ex communi doctrina, præceptum de obſervatione feſtorum abſtinendo ab operibus ſervilibus hodiedum obligare ſub mortali. Ratio eſt: quia obligatio hæc ſecundum Religionis virtutem ad DEI cultum, & venerationem eſt inducta, adeòque ex genere gravis: tametſi ob materiæ levitatem venialis fieri poſſit, id eſt, ſi tem-

tempus laboris ſervilis ſit breve. In determinatione tamen: quodnam tempus breve cenſendum ſit, diſcrepant Authores. Nimis laxi breve tempus exiſtimant tertiam diei partem; nimis rigidi unam horam; medii benigni, ſi non impendantur integræ duæ horæ; mitiſſimi duas horas dummodò non excedantur. Et hanc ſententiam tutam cenſet Stoz. cit. n. 271. ſi de operibus ſervilibus loquamur, non itèm de judicialibus: in his enim quantitas materiæ non ex quantitate temporis, ſed quantitate operis eſt deſumenda.

Præmitto 4to: Cum D. Th. ſuprà cit. 269. Suar. cit. c. 32. & teſte Regin l. 9. c. 3. n. 48. cum aliis paſſim, qui materiam hanc tractant, cauſas quaspiam ab obligatione hac ſimpliciter excuſare. Harum 1ma eſt *neceſſitas* tum *publica* tum *privata*. Quâ excuſantur, qui die feſto reficiunt pontes, reparant fontes, parant requiſita ad Principis repentinum adventum, vel ad communem lætitiam &c. Fill. tr. 27. n. 211. Itèm ruſtici ex metu rationabili pluviæ colligentes fœnum, aut ſegetes, coctores laterum, & alii opus continuare neceſſitati, nè detrimentum grave emergat. Idem ibidem ex Suar. c. 32. n. 4. Item laborantes ad vitam ſuam, familiæ, aut proximi, quæ aliter conſervari non poſſet, conſervandam. Idem eſt de damnis aliis ſeu propriis, ſeu alienis avertendis; ſic, ſi domus proximi

accen-

accendatur, licitus eſt labor, quo ignis extinguatur. Sic licitus eſt labor pauperi, qui ſinè eo famem pati cogerètur; Sapienter tamen monet Suar. cit. n. 3. in hoc caſu exquirendum eſſe, & ſequendum Confeſſarii conſilium. 2da cauſa eſt *Pietas in Deum*, vel *proximum*. Quâ excuſantur parantes neceſſaria ad Sacrificium, & alios cultus Divinos *immediatè connexa*, quæ ante feſtum diem parari non potuerunt. Regin. cit. lòco cit. & alii communiter. Quòdſi quædam *remotè tantùm* ſint neceſſaria, ùt conficere calicem; ædificare Sacellum (nisì & hìc neceſſitas urgeat) arare agros Eccleſiæ fructificantes &c. obligatio non tollitur, ùt excipit idem Regin. ibidem. Excuſantur item præparantes defunctorum inſignia, tumbas, veſtes funebres, decidentes cauſas pauperum, viduarum, aliarúmque perſonarum miſerabilium, nè gravetur expenſis. Itèm laboriosè ſervientes infirmis, militantes pro Deo, & patria &c. 3tia eſt *conſuetudo à Prælatis cognita, & tolerata.* Sic nundinæ etiam ſolemnes diebus feſtis alicubi celebrantur licitè: ſic etiam locationes, permutationes, venditiones, & emptiones officinis præſertim clauſis factæ. Itèm agitationes, & deciſiones cauſarum inter ruſticos licitæ ſunt. Si licitum piſcari etiam lucri causâ. Si licitum eſt opificibus die feſto ad veſperam parare materiam pro labore diei ſequentis, ruſticis acuere fal-

falces &c. Stoz. cit. n. 272. Sic etiam licitum eſt œconomis convocare, familiam, villicos, operarios, rationes computare, mercedem ſolvere, hebdomadæ labores, & alia ordinare. Marchant Reſol. c. 3. n. 4. 4ta eſt *abſentia à loco, ubi feſtum celebratur:* nec obligatione ſtringitur abſtinendi ab opere ſervili tametſi quis exeat ad locum, ubi feſtum non eſt, animo ibi laborandi: quia jure ſuo utitur. Tamb. in Decal. l. 4. c. 3. §. 1. n. 20. cum aliis non paucis. 5ta eſt *Diſpenſatio* Papæ, Epiſcopi, vel ejus Vicarii, Prælati Regularis reſpectu ſuorum ſubditorum &c. Parochi verò cùm difficilis eſt acceſſus ad Epiſcopum, vel ejus Vicarium. Tamb. cit. n. 21. & 31. Subinde etiam ad Confeſſarium pertinet, ùt obſervat Stoz. cit. loco cit. non quidem diſpenſare, ſed declarare: an cauſa excuſationis ſit juſta? Hæc de præcepto negativo non laborandi; de præcepto affirmativo audiendi feſto die Miſſam.

Præmitto 5tò. cum Suar. cit. c. 15. n. 2. 270.
Laym. cit. tr. 7. c. 2. n. 1. Regin. Bonac. &c. Ad audiendam die feſto Miſſam obligari omnes Chriſtianos, cùm ad uſum rationis pervenerint; niſi habeant legitimam excuſationem. Ideóque non excuſantur pueri doli capaces ſeptennium egreſſi. Unde, bene monet Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. n. 244. conſulendum eſſe parentibus, ut, quàm primùm in eorum liberis ap-

paret uſus rationis, aſſuefaciant eos ſacra frequentare, etſi nondum obligentur; ut ubi obligationis tempus advenerit, tanto promptiùs obligationi ſatisfaciant; niſi fortaſſis pietatem aliorum potiùs turbaturi, quam res Divinas apprehenſuri judicarentur. Nec excuſantur Sacerdotes, ſi ipſi Miſſam non celebrent. Ut autem præcepto huic ſatisfiat requiritur 1mò *moralis præſentia*, pro qua, ùt docet Laym. cit. n. 2. cum Soto, Navarr. &c. abſolutè neceſſarium non eſt, ut ſacrificans videatur, vel audiatur; ſed ſufficit, ſi ex ſignis quibusdam colligi poſſit, quid à ſacrificante agatur. Requiritur 2dò: *intentio Miſſam audiendi*, ſaltem *implicita*, aut *virtualis*. Ratio eſt. quia lex data eſt hominibus, non brutis, idcóque humano modo eſt implenda; deeſt verò modus humanus, ſi deſit intentio, ſeu volitio faciendi id, quod præcipitur. Intentio tamen ſatisfaciendi præcepto non requiritur: hanc enim Legislator non exigit, ac ideò ſatisfaceret, qui neſciens eſſe diem feſtum Miſſam audiret. Regin cit. n. 22. Itèm qui audiret expreſsè nolens ſatisfacere. Leſs. l. 2. c. 7. dub. 10. Suar. Valent. &c. Requiritur 3tiò. *debita attentio* Cenſet autem Stoz. cit. n. 252. cum Tamb. cit. n. 19. & 20. eam etiam attentionem ſufficere, quâ quis cavet externas diſtractiones, quæ ex ſe natæ ſunt internam attentionem penitus impedire; licèt

licèt cæteroquin monte per aliena objecta divagetur. Unde Laym. cit. loco cit. exiſtimat aulicos & mercatores (idem eſt de aliis) qui jam attendunt, jam confabulantur, non ſtatim mortalis peccati eſſe condemnandos. Aliud foret, ſi toto Miſſæ tempore confabularentur, luderent &c. ut nec ad principales ejus partes adverterent: Requiritur 4tò: *ut audiatur Miſſa integra.* Ità communis. Unde qui partem aliquam Miſſæ ſinè cauſa juſta prætermittit, peccat, venialiter quidem, ſi pars ſit exigua, mòrtaliter ſi ſit notabilis. Conſentiunt autem propè omnes non eſſe partem notabilem, ſi quis à principio epiſtolæ usque ad finem Evangelii ultimi Miſſam audiat; alii cum Regin. n. 24. ſi à tractu Epiſtolæ; alii cum Henriquez l. 9. c. 25. n. 7. Si ab Evangelio; vel ab initio usque ad Communionem; nec Laym. cit. n. 3. licèt neutiquam probet, damnare audet peccati mortalis eos, qui ab offertorio usque ad finem Miſſam audiunt. Cæterùm non refert, in quo loco Miſſa audiatur; an in Parochia, nécne? ſi enim præceptum aliquod fuit audiendi in Parochia, nunc conſuetudine derogatum eſt. Nec refert; an Miſſa ſit de hoc, vel illo Sancto, ſolennis, vel privata. Itèm: an celebretur ab hoc, vel illo Sacerdote, bono, vel malo: nec enim etiam de his ulla exſtat lex.

271. Præmitto 6tò cum Laym. l. 4. tr. 7. c. 5. & aliis communiter cauſas ſequentes ab audienda Miſſa excuſare. 1ma eſt *impotentia ſpiritualis*, qualem affert excommunicatio, & interdictum. 2da eſt *impotentia corporalis*, eáque vel *ſimpliciter talis*, qualis eſt incarceratorum, ægrotorum lecto affixorum, per vim domi retentorum, in mari navigantium, de quibus notat idem Laym. tametſi privilegium haberent celebrandi in altari portali, ad id tamen non obligari: nemo enim Privilegio ſuo uti tenetur. Vel eſt *moraliter talis*, cùm videlicet Miſſa audiri non poteſt niſi cum magna difficultate, vel jactura bonorum animi, corporis, fortunæ. Proindè excuſantur, qui ſinè periculo ſcandali, vel ſpiritualis ruinæ, vel ſinè pudore ſuo, ac infamia domo exire non poſſunt, ùt contingeret, ſi mulier honeſta non honeſtè veſtita; itèm mulier ex occulta fornicatione prægnans domo exiret. Huc ſpectant infirmi, & iis inſervientes; itèm ob peſtis metum domi ſe continentes, Matres, & ancillæ infantibus domi aſſiſtentes, procul à loco, ubi Miſſa celebratur, diſtantes. In ultimis verò ratio habenda viæ, temporis, loci, conſvetudinis. In qua tamen viæ diſtantia, ut excuſet, variant Authores. Favorabilis, & quam quis ſinè ſcrupulo ſequi poteſt, ſententia eſt, quam tenet Stoz. n. 360.

Digitized by Google

360. cum Dicaſt. ſufficere duo circiter millia paſſuum, ſeu dimidium noſtrum milliare. A longitudine viæ conficiendæ etiam excuſat auræ aſperitas, aut itineris conficiendi incommoditas. Quòdſi commoditas pergendi adſit, rationabile eſt, aurâ non obſtante nequáquam excuſari. Excuſantur item, qui domum, vel gregem cuſtodire debent; qui alioquin viæ utilem comitem, vel tempus peregrinandi negligerent. Ubi notat Laym. cit. Si viator ſciret ſe alibi Miſſam audiendi copiam non habiturum, & ſinè detrimento audire poſſit ante diſceſſum, eum ad auditionem obligari. Hoc titulo præterea excuſantur, qui ratione officii, vel gravis negotii ab audiendo impediuntur juſta ex cauſa; nam ſi juſta cauſa frequenter abeſſet, oporteret, ſervitium opportunè deſerere. Huc quoque pertinent opifices, qui à Magiſtris ſuis laborare coguntur. Sed & hi, ſi frequentiùs eos impediri contingat, oblata opportunitate ſervitium deſerere debent. 3tia eſt *conſuetudo,* qualis alicubi eſt, in viduis maritum lugentibus. Porrò notandum, excuſatos quoſcunque ad alia pietatis opera præſtanda neutiquam obligari, tametſi ſalubriter ſit conſulendum. Imò & in rigore de audienda concione præceptum non eſt. Suar. ſuprà cit. c. 16. n. 6. & alii paſſim, nisi accidentaliter, ſi

 quis

quis aliunde neceſſaria ad ſalutem addiſcere ſe non poſſe animadverteret: tunc enim cauſam præberet ignorantiæ graviter culpabili.

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

272. Q. 1. *Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens genericè ſe accuſet quòd diem feſtum non ſanctificaverit?* ℞. Disquirendum eſſe ex illo: an non ſanctificârit eum laborando? an Miſſam negligendo? tametſi enim utrumque peccatum contra idem genericum præceptum ſit, ob diverſum tamen objectum, & modum tendendi ſpecie diverſo præcepto repugnat. Quòd ſi dicat feſto die ſe laborâſſe, percontanda ex ipſo eſt qualitas laboris: an videlicet ſerviliter laborârit? an non ſerviliter? & hoc cognito, quantitas temporis, & laborandi cauſa; ut ex notitia percepta rectum judicium formari poſſit: an graviter? an leviter? an ſimpliciter non peccârit? Si verò Miſſam à ſe neglectam dicat; ſpecialiter rurſus in cauſam inquiratur: eâ enim diſpectâ facilè ex regulis ſuprà datis colliget: an ad excuſandum ſufficientes ſint? an inſufficientes? Si dicat partem ſolùm Miſſæ à ſe neglectam; quæratur, quanta illa pars fuerit? & ſi notabilis eſt, quæ cauſa negligentiæ huic occaſionem præ-

præbuerit? ſæpe enim excuſantur ſubditi Parochiæ, præſertim longiùs diſſiti, tametſi tardiùs ad Sacrum veniant, eò quòd in menſurando Miſſæ tempore inculpabiliter errent. Si fateatur per ſacrum ſe cum aliis jocos, & confabulationes inſtituiſſe; examinetur: an inter hos ad principales Miſſæ partes adverterit, necné? ut videatur, an præſentiâ ſuâ præcepto ſatisfecerit? Hujus occaſione.

Q. 2. *Quid judicandum de iis, qui tempore Sacri libidinosè oculos ad perſonas oppoſiti ſexûs hinc inde jaciunt?* ℞. cum March. Reſol. Paſt. c. 3. n. 9. à talibus facilè tum præceptum Miſſæ violari eò, quòd cogitationibus ſic abſorpti, & immerſi ſint, ut, quid Sacerdos agat, neutiquam obſervent, & peccato huic peccatum libidinis adjungi. Unde primò in attentionem eſt inquirendum, ac deinde in libidinoſarum cogitationum qualitatem, ut ſpecies colligatur. Sacrilegium tamen non facilè adfuiſſe cenſebitur, niſi voluntas adverteretur opus carnale in templo exercendi; alioquin omne deſiderium & voluntas carnalis actûs extra locum ſacrum complendi in loco ſacro elicita ſacrilegium foret, quod paſſim DD. negant. Gravitas tamen magna libidinis peccato accedit, eò quòd in loco Sacro conſenſus præbeatur. 278.

274. Q. 3. *Quid judicandum de Patribus, & Matribusfamilias, qui confitentur ſæpius à ſe ſacrum eſſe intermiſſum eò, quòd domus cuſtodienda fuerit?* ℞. Ab illis quærendum eſſe: an una, vel plures perſonæ inſimul domi manſerint? Si una tantùm, à peccato excuſabitur; tametſi ſæpius eam domi manere contigiſſet. Si plures, rariùs excuſabuntur: cùm rariùs neceſſitas urgeat, ut plures domum cuſtodiant. Gravis ergo committitur incuria, quâ ad cuſtodiam non neceſſarii à templo retinentur. Similiter culpandi ſunt Patres, & Matresfamilias, qui proles minores doli capaces ad Miſſam audiendam non urgent, ſed luſibus potiùs, & circumcurſitationi indulgere ſinunt. Itèm qui familiam non adſtringunt, ut labores pecoribus impendendos ità ordinent, nè iis à Miſſa audienda præpediantur.

275. Q. 4. *An ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam, qui audit ſimul Miſſas duorum Sacerdotum, unius ab initio usque ad Conſecrationem, alterius à Conſecratione usque ad finem?* ℞. Negativè. Conſtat ex damnata prop. ab Innoc. XI. n. 53. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor ſimul à diverſis Sacerdotibus audit.* Illa tamen ſententia, quæ docet ſatisfieri præcepto, ſi audiantur ſucceſſivè duæ medietates Miſſæ à diverſis Sacerdotibus celebratæ, etiamnum in ſua probabilitate per-

perſeverat. Unde Gob. tr. 5. n. 143. vocat in praxi tutam. Venialiter tamen peccaret. qui ſinè cauſa eas ſic audiret, eò quòd à communi praxi fidelium ſinè juſta cauſa recederet. La Croix l. 3. p. 1. n. 612.

Q. 5. *An ſatisfaciat huic præcepto, qui ſub Miſſa per longum tempus confitetur?* Cum Gob. cit. n. 258. Regin. Eſcobar &c. Affirmativè contra March. Tamb. Pasqual. &c. dummodò intentionem habeat, & aliquomodò ſaltèm ad partes principales advertat. Ratio eſt: quia ſuppoſita intentione, & attentione adeſt corpore, aſſiſtit moraliter: cùm adſit modo humano, & religioſo, & dum fortè actu non attendit, occupatur actione pia, ſicut orantem ſub Sacro Breviarium, ſatisfacere plerique omnes affirmant. 276.

Q. 6. *Quid ſentiendum de iis nobilibus, qui tempus diei feſti notabile venando impendunt?* ℞. Cum Suar. tom. 1. de Rel. tr. 2. l. 2. c. 21. à n. 3. Venationem ex genere ſuo opus eſſe ſervile. Rationem dat 1mo: quia venatoria ars inter mechanicas computatur. 2dò: quia eſt opus corporale, laborioſum, ſiſtens omnino in materia, & affectu corporali. Unde quodammodò eſt opus commune cum beſtiis, quæ etiam venationi inſiſtunt. 3tiò: quia ſicut ſcindere arbores, colligere ligna ſervile opus eſt, ſic etiam laborare in mactandis animalibus, & illa mortua deferre, ſervile opus eſt. 277.

Addit verò n. 5. quia tamen difficile eſt damnare illos omnes, qui pomeridianum tempus venando inſumunt, ideò poteſt eſſe excuſatio ex conſuetudine; quæ videtur hac in parte prævaluiſſe ſcientibus, & tolerantibus Paſtoribus Eccleſiæ. Conſentit Laym. l. 4. tr. 6. c. 2. n. 6. adjuncta limitatione: ſi abſque multis operis, ac labore contingat; quam limitationem etiam alii paſſim adjungunt. Eadem applica piſcationi.

378. Q. 7. *Quid ſentiendum de ancillis, quæ ſe accuſant, quòd aliqua die feſto pro veſtitu ſibi paraverint, nendo v. g. texendo &c.* ℞. Cum Stoz l. 1. p. 3. q. 3. n. 272. & aliis, has neceſſitate privata excuſari; tametſi potiſſimum meridiem ſic laborando inſumant: cùm aliis diebus de veſtitu neceſſario proſpicere ſibi non poſſint. Idem eſt de iis mulieribus, quæ alieno labore per hebdomadam occupantur, omnibùsque aliis ſic occupatis. Tanner apud eundem cenſet licitum quoque eſſe acu pingere diſcendi cauſa, & ſe exercendi. Quod in ſimilibus omnino ex ratione eadem tolerandum videtur. Contrarium eſt de domicellis, ſi ad otium fallendum die feſto laborent: niſi alius modus (qui tamen rariſſimè deeſt) non ſuppeteret idipſum fallendi.

279. Q. 8. *Quid ſentiendum de ſutoribus, ſartoribus, ſimilibùsque opificibus, qui noctem totam, & matutinum tempus uſque ad Sacrum veſti-*

veſtibus conſtitutis perficiendis impendunt? Itèm de barbitonſoribus, qui manè per domos circumeunt, & jam huic, jam illi tonſuræ ſervitium exhibent? ℟. Ad 1mum cum Laym. cit. c. 4. n. 2. eos aliquando excuſari, tunc videlicet, quando, qui veſtitum conſtituerunt, ſolicitè urgent, & labor in illud tempus ob nimias occupationes differri debuit. Secus dicendum: ſi veſtitus non urgeatur, aut per incuriam, vel deſidiam, vel alios labores non ità neceſſarios eò dilatus ſit. Ad 2dum ℟. cum Suar. cit. c. 33. n. 14. eos vel *levitate materiæ*, ùt ſi paucos ſolùm, tondeant, vel *neceſſitate*, ùt cùm tondendus pridiè occaſionem non habuit, & illo die ratione decentiæ tonſurâ indiget, vel *conſuetudine* paſſim tolerata excuſari.

Q. 9. *Quid ſentiendum de Dominis, qui ipſi quidem non laborant, famulis tamen die feſto ſerviles labores imponunt?* ℟. Eos omnino pro laborum duratione gravi, vel levi graviter, vel leviter delinquere. Ratio eſt: quia quod quis facit per alium per ſe feciſſe cenſetur. Nec excuſantur, ſi famuli ſint hæretici: nam & hi utpote baptizati Eccleſiæ præcepto ſunt ſubjecti. La Croix l. 3. p. 1. n. 579. idipſum ſentiendum cenſet de infidelibus, & catechumenis. Rationem dat utrisque communem: quia mandans cenſetur per illos laborare tanquam per inſtrumenta. Cenſet itém n. 587. cum Arsdeckin peccare mortaliter Do- 280.

Dominum, qui mandat ſex e. g. famulis, ut ſimul laborent ſinguli unâ horâ. Ratio eſt: quia licèt labores reſpectu laborantium non coaleſcant; reſpectu tamen mandantis coaleſcere cenſentur; cùm per illos laboret velut per inſtrumenta ſex horis. Communior tamen eſt negativa oppoſita.

281. Q. 10. *An immoderatè ludendo, potando, ſaltando, aliìsque modis peccantes die feſto ſpecialem malitiam ſuis peccatis addant eò, quòd ſimilia peccata exerceant die feſto?* ℟. Cum Suar. cit. c. 15. n. 16. negativè; niſì peccata hæc directè fiant ex contemptu talis feſti: tunc enim dubium non eſt, quin ſit grave ſacrilegium, declarandum ſpecialiter in Confeſſione: quia ex intentione opponitur Divino cultui D. Th. q. 2. de Malo à 6. ad 2. & plerique cum eo. Cæterùm luſus, potus, ſaltus etiam die feſto non prohibetur: cùm opera non ſint ſervilia: imò etiam contra alia præcepta culpâ vacat; ſi moderarè fiat, tametſi diutius.

ARTICULUS X.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis peccatis contra pietatem in Parentes obnoxii.

§. I.

PRÆMITTENDA.

282. PRæmitto 1mò: cum Regin. l. 19. c. 1. n. 3. & communi: *Parentum* nomine primò, ac

ac principaliter hìc intelligi eos, ex quibus aliquis ſecundùm carnem eſt genitus. Deinde Eccleſiæ Præſides, & Paſtores. 3tiò: qui poteſtatem habent ſæcularem, & Rempublicam gubernant. 4tò: omnes illi, qui aliorum curam gerunt, cujusmodi ſunt Tutores, & Curatores, Domini, Magiſtri & Mariti quoad uxores. His proindè omnibus divino præcepto debita pietas à ſubjectis eſt tribuenda. Addit n. 5. quòd, licèt eodem præcepto; *explicitè* tantum præcipiatur pietas in Parentes, & qui hoc nomine intelliguntur; *implicitè* tamem præcipi etiam pietatem parentum in filios, & qui horum nomine comprehenduntur, ità ut præceptum hoc ultro, citroque ſit obligatorium. Quæ obligatio ut in particulari conſtet, reſpectu ſingulorum eſt declaranda. Unde

Præmitto 2dò cum Savro in Clavi Regia l. 7. c. 5. n. 1. cui alii paſſim conſentiunt, honorem, & pietatem Parentibus *propriè talibus* debitam conſiſtere in *amore*, *reverentia*, *obedientia*, & *ſuſtentatione* debitè exhibendis. Amor verò exhibendis duplex eſt; *internus*, qui omne odium excludat, & *externus*, qui ſignis externis exhibetur. Ex quo ſequitur graviter peccare filium, qui odio parentes proſequitur deſiderando eis aliquod grave damnum ſeu animæ, ſeu corporis e. g. deſiderando iis gravem ignominiam, perſecutiones, mortem, ut celeriùs 283.

adire

adire queat hæreditatem. Sequitur 2dò graviter peccare filium, qui internè quidem parentes diligit, eos tamen torvis oculis reſpicere ſolet, aut ità aſpere illos alloquitur, acſi videretur eos odio habere, quanquam ſigna talia communiter ex odio velut radice progenerentur.

284. *Reverentia* ſimiliter duplex eſt, *interna* videlicet, quâ recognoſcitur ſuperior cum aliquo reverentiali timore erga illum, & *externa*, quæ ſita eſt tum in verbis, tum ſignis externis, & communibus honoris, qualia ſunt: diſcooperire illis caput, aſſurgere, caput inclinare, damnum ab illis avertere. Ex quo ſequitur 1mò: graviter peccare filium, qui parentes verbis contumelioſis animo deliberato afficit, aut probris, & conviciis eorum famam lacerat, eos ad iracundiam gravem provocat. Ità idem Sayr. n. 2. & 3. cum Navarr. Toleto &c. Sequitur 2dò: graviter peccare filium, ſi parentes percutiat, etiamſi percuſſio ſit levis in ratione nocumenti, vel ſecundùm quosdam, ſi tantùm attollatur manus ad percutiendum, nec ſequatur percuſſio. Fill. tr. 28. c. 1. n. 17. cum Navarr. Excipe niſi filius id ageret ad ſe, vel patriam legitimè defendendam. Sequitur 3tiò: graviter peccare filium, ſi parentibus deliberatè, & ex animo maledicat. Itèm ſi alicujus criminis (præterquàm læſæ Majeſtatis Divinæ per hæreſim, & humanæ per con-

conjurationem, vel proditionem, antequam hæc fiant, non pòſtquàm jam facta ſunt) eos accuſet. Sylv. v. filius q. 24. Fill. cit. Toletus &c. Itèm ſi ità eos contemnat, & dedignetur, ut ſe exiſtimet abjectum, & inhonoratum, eò quòd pro illorum filio habeatur. Nav. in Manual. c. 14. n. 12. Lopez, Tolet. & alii apud Sayr. cit. n. 4. Dixi: *ſi contemnat*: nam ſi contemptus abſit, eóſque non recognoſcat ad vitandum aliquod grave malum, peccato excuſabitur, ut docet Filliu. cit. loco cit. cum reliquis cit.

Obedientia extendit ſe ad duo, 1mò ad ea, quæ pertinent ad gubernationem domûs. 2dò: quæ ſpectant ad bonos mores, & ſalutem animæ. Ex quo ſequitur 1mò: graviter peccare filium, ſi in materia gravi præſertim ex comtemptu, & obſtinatione circa bonum domûs regimen parentibus non obediat Fill. cit. n. 20. Navarr. Arragon &c. Secus dicendum, ſi materia ſit levis, nec contemptus, & pertinacia adſit, ſed fiat ſolum ex aliqua inadvertentia, aut ex ſenſualitate. Sayr. cit. n. 9. Sequitur 2dò graviter peccare filium non obediendo parentibus præcipientibus ut vitet peccandi occaſiones, converſationes noxias, ludos prohibitos, & vitia ſimilia. Huc revocat Fill. cit. loco cit. eos etiam filios qui contra voluntatem Parentum ducunt uxorem indignam, aut in familiæ neceſſitate nolunt ducere dignam. 285.

Suſten-

286. *Suſtentationis* nomine intelligitur auxilium non tantum in neceſſitate corporali, ſed etiam ſpirituali. Proindè maximè filiis curandum eſt, ut cùm parentes graviter, & periculosè ægrotant, Sacramentis debitè provideantur. Ex quo ſequitur 1mò: graviter peccare filium, qui per ſuam negligentiam Patrem, vel Matrem decedere ſinit absque confeſſione, & aliis pro bona morte requiſitis. Sequitur 2dò: graviter quoque peccare filium, qui Parentes impedit, nè teſtamentum faciant, vel animos eorum, nè reſtitutionem faciant, avertit; vel bona, quæ ab ipſis ſcit iniquè poſſeſſa, non reſtituit; vel ex negligentia, aut avaritia debita defunctorum, vel legata adimplere differt, vel funus juxta facultates ſuas iis facere, exequias cohoneſtare, ſacra anniverſaria curare negligit. Sequitur 3tio: graviter quoque peccare filium, qui parentibus in gravi neceſſitate, quantum poteſt, non ſubvenit, e. gr. infirmos non viſitat, curationi eorum non intendit, pauperibus de victu & veſtitu, habitatione, non proſpicit, incarceratis libertatem procurare non ſtudet. Colliguntur hæc ex D. Th. 2. 2. q. 101. a. 2. cui conſentiunt paſſim moraliſtæ. An verò filius ob indigentiam Parentum teneatur Religionem non ingredi, vel ſi ingreſſus eſt, eam deſerere dictum eſt ſuprà de voto §. 2.

Digitized by Google

Præmitto 3tiò: Sicut filio incumbit obligatio jure naturæ Parentes honorandi, ità Parentibus obligatio incumbit eodem jure prolibus ſuis proſpiciendi tum de iis, quæ neceſſaria ſunt corpori, tum quæ animæ. Proindè ſub mortali obligantur Parentes curare, ne filii malos mores imbibant, ſed bonis imbuantur. Obligantur itèm providere illis de ſuſtentatione neceſſaria, ídque tametſi ſpuriæ forent, & illegitimæ. Laym. tom. 2. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 5. & 8. Fill. tr. 28. c. 2. n. 30. Azor. &c. Quòdſi Pater, cui onus ſuſtentandi primariò incumbit, impotens ſit ad alendum, vel mortuus, tenetur vicem ſupplere avus paternus; in hujus defectu abavus; in horum verò defectu onus alendi ad matrem devolvitur. Ità cit. Laym. n. 7. & cum eo Sylveſt. Armilla &c. Matre demum deficiente ſubvenire tenentur aſcendentes Materni; Sicut liberi ſuos aſcendentes alere obligati ſunt. Porrò alimenta duplicis claſſis ſunt: alia, quæ *præcisè ad vitam conſervandam neceſſaria* ſunt; alia verò, quæ *ad honeſtam ſuſtentationem ſecundùm perſonæ qualitatem* requiruntur. Et de his etiam poſtremis intelligenda eſt obligatio tum filiorum erga Parentes, tum Parentum erga filios. Excipe: niſì filius crimen patrâſſet, ob quod exhæredari jure poſſit: tunc enim obligatio ad poſteriora non urgebit, ſed ad priora ſolùm, ùt idem Laym. notat. 287.

n. 8. Proinde tametſi filius excommunicatus foret, vel hæreticus, tenetur Pater illi de neceſſariis ad vitam ſuſtentandam providere.

288. Ex dictis ſequitur 1mò: graviter peccare parentes, qui filios fidei Catholicæ dogmata addiſcere, diſciplinis ſtatui competentibus vacare non faciunt; qui eos ad hæreticas ſcholas mittunt, prava conſortia non impediunt, peccantes non corrigunt; qui absque rationabili cauſa à magno bono ſpirituali eos revocant; qui absque juſta cauſa invitos filios matrimonio jungunt, aut dolis, vel minis, nisì in caſibus a jure permiſſis, ad Monaſterium compellunt; qui prolibus teneris quidlibet agendi licentiam præbent, nec per annos complures ad timorem DEI inflectere ſatagunt; qui filias amatoribus malo animo vacare permittunt; itèm qui rem domeſticam diſapidant potando, ludendo &c. ſic, ut filios congrua ſuſtentatione, & hæreditate privent. Peccare itèm graviter Matres, quæ proles natas ante templa, vel in plateas citra neceſſitatem gravem, qualis eſt criminis revelatio, gravis infamia, adhibita tamen debita cautione, nè proles frigore, &c. moriatur (ùt limitat Laym. t. 1. l. 3. tr. 3. c. 14. n. 3. Sayr. cit. l. 7. c. 7. n. 6. cum torrente) exponunt, aut eas proprio lacte nutrire valentes, lactàndas citra juſtam cauſam malis nutricibus com-

committunt. Cæterùm ſi à bonis nutricibus lactari ſinant, venialiter peccant, ſi cauſa juſta deſit; nullatenus verò, ſi cauſa juſta urgeat.

Præmitto 4tò: Maritus obligatur ad 289. exhibendum uxori *amorem* actibus tum internis, tum externis. *Amorem* quidem: quia tenetur amare proximum; uxor autem non tantùm proxima eſt, ſed inſuper cum marito in carne una. *Obedientiam* verò: quia hanc expetit mutua inter Conjuges obligatio, quâ alter alteri debitum conjugale petenti reddere tenetur. Similiter uxor eadem enumerata marito reddere tenetur. Præthereà vir tenetur alere uxorem. Sanchez. l. 9. de Matr. D. 4. n. 19. cum communi. Ratio eſt: quia id exigit arcta obligatio, & conjunctio, utì & dos allata, ab uxore. Imò ſi vir uxorem inopem ſinè dote duxiſſet, ad eadem alimenta teneretur. Ratio data eſt ex arcta conjunctione, aitque Sanch. cit. D. 5. n. 8. neminem à ſe inventum, qui tueretur oppoſitum. Aliud eſt, ſi uxor dives conſtituere dotem petenti marito recuſet. Molina Tom. 2. de Juſt. 425. p. 1130. Idem eſt, ſi dotem promiſſam non ſolvat, etiam ſecundùm partem. Ratio 1. p. eſt: quia dos quaſi in pretium datur, ut ex ejus fructibus vir onera matrimonij ſuſtineat, & uxorem alat. Ratio 2. p. eſt: quia cum uxor fidem non ſervet, nec

vir eam alendo ſervare tenetur. Idem etiam eſt, ſi uxor ſuâ culpâ receſſerit à viri cohabitatione Sanch. cit. D. 4. n. 21.

290. Ex dictis ſequitur Imò: graviter pecare virum, ſi uxorem ſuam absque cauſa impediat ab impletione Divinorum præceptorum, & Eccleſiæ. Navar: in Manual. c. 14. n. 19. Itèm ſi eam verberibus atrocibus, verbis contumelioſis, vel infamatorijs afficiat D. Th. 2. 2. q. 72. a. 2. Navar: cit: loco cit. Itèm ſi cum uxore cohabitare recuſet, aut per longum tempus absque juſta cauſa ſe abſentet Sayr: in Clavi Regia l. 7. c. 7. n. 9. Item ſi neget alimenta. Sequitur 2dò: Etiam uxorem graviter peccare, ſi marito notabiliter inobedientem ſe exhibeat in ijs, quæ ad bonos mores, ac familiæ regimen, & gubernationem pertinent. Navar. cit. n. 20. Toletus &c. Itèm quæ ſciens rixis, contentionibus, aut ſimili modo virum ad gravem iracundiam, plasphemias, maledicta &c. provocat. Fill. tr. 21. p. 2. c. 9. n. 145. Itèm, quæ virum aliò migrantem ſequi non vult, nisi vel pactum oppoſitum præceſſiſſet, aut vir tempore contractûs Matrimonii vagari non ſolitus divagetur, nisi & quoad hoc punctum uxor cum viro pepigerit, aut ſaltèm morem vagandi in marito non ignoràſſet. Sayr. cit. n. 10. Nav. cit. n. 20. Lopez. &c. Itèm quæ ſinè cauſa graviter ſuſpicatur de continentia mariti, aut debitum

tum illi reddere non vult. Medina l. 1. Inſtr. Confeſſ. c. 14. §. 14. cum communi. Idem intelligendum de viro.

Præmitto 5tò: Tutores, & Curatores 291. univerſaliter teneri ad gerendam debitam curam commiſſorum ſibi pupillorum. Ratio deſumitur ex officio, quod locò Parentum ſuſcipiunt. Tenentur itaque 1mò pupillum bonis moribus (ſi opus ſit) ſive per ſe, ſive per alium imbuere, ut piè, ac honeſtè educetur: hæc enim princeps cura incumbit parentibus, quorum vices Tutor, & Curator ſubit. 2dò tenentur debitam curam gerere de bonis temporalibus pupilli, eáque diligentiâ hæc adminiſtrare, qualem bonus Paterfamilias propriis bonis adhibere ſolet. Laym. tom. 1. l. 3. tr. 4. c. 2. n. 1. pro quo citat L. à Tutoribus ff. de adminiſtr. Tutorum.

Ex quibus ſequitur graviter peccare 292. Tutores, & Curatores, ſi vel nullos, vel malos morum, & vitæ Informatores pupillis conſtituant, ſi pecuniam notabilem pupillorum in ſuos uſus convertant; ſi cura eorum, bona, actiones &c. graviter negligant; ſi nimium pecuniæ ad uſus inutiles concedant; ſi magnas donationes præter debitè remuneratorias faciant, ac ideò etiam ad tantam reſtitutionem obligantur; quantum pupillis nocumenti intulerunt. E contrà pupillus, aut Minor tenetur Tutoribus, vel Curatoribus ea

præſtare, quæ Parentibus tenebatur, *reverentiam* videlicet, *amorem* & *obedientiam*. Ac ideò graviter peccant, ſi triplicem hanc obligationem graviter lædant e. g. contra Tutorum, vel Curatorum voluntatem de bonis diſponendo; eleemoſynas tamen elargiendo, licèt immoderatas, rarius mortaliter delinquunt, nec quæ donata ſunt reſtitui debent, donec repetantur. Moderatas autem donationes facere ſimpliciter non prohibentur. Laym. cit. c. 12. cum Molina, & Sà.

293\. Præmitto 6tò: Principes, alióſque Dominos, ac Superiores teneri pariter ad debitam curam gerendam ſuorum ſubditorum. Ratio eſt: quia ſunt ipſorum caput, & Parentum vices gerunt. Ex quo univerſali principio ſequitur graviter peccare Superiores tales, ſi notabiliter negligentes ſint circa ſubditorum conſcientiam, & ſalutem, ùt ſi peccatorum occaſiones ſibi notas foveant, ſcandala, qualia ex concubinis, & meretricibus paſſim oriri ſueverunt, non præpediant, præcepta DEI, & Eccleſiæ violari ſinant; tametſi facilè impediri poſſint, contenti ſi lucrum œconomicum, aut aliud commodum ab illis reportent. Quod eodem titulo dicendum de iis, qui à Sacro audiendo, jejunio ſervando, Confeſſione Paſchali obeunda &c. eos retrahunt. Peccant itèm graviter, ſi exceſſivè duriter ſubditos habeant,

beant, ſalaria illis nimis imminuant, vel ſubtrahant. Nec excuſandi videntur, qui cùm facilè æquè bonos ſervos Catholicos habere poſſunt frigidi Catholici hæreticos ſervos alunt, & fovent: excipe niſi id fiat animo eos ad veram Religionem per ſervitium alliciendi Sayr. ſuprà cit. n. 11. Navarr. cit. n. 21 Soto, & alii. E contrà ſubditi ſuis Superioribus præſtare tenentur reverentiam, amorem, & obedientiam. Ratio deſumitur ex dictis: quia, cùm Superiores Parentum vices gerant; parentibus autem tria enumerata exhibenda ſint, patet quòd eadem Superioribus exhiberi à ſubditis ſit neceſſe. Ex quo conſequitur: duplici malitiâ peccare eos, qui famam Principum, Magiſtratuum, Superiorùmque aliorum tum ſpiritualium, tum corporalium, graviter proſcindunt, iis maledicunt, & imprecantur, videlicet malitiâ detractionis, maledicti &c. & malitiâ contra pietatem. Peccare etiam eos graviter, qui in rebus notabilibus inobedientes ſe exhibent, dominis grave damnum inferunt, non fideliter laborant, aut ſerviunt, tenentúrque iſti ad debitam compenſationem.

Quòd de Superioribus, & ſubditis dictum applicandum eſt Parochis & Parochianis, Præceptoribus & Diſcipulis. Circa quos poſtremos obſervo, præceptorem triplici malitiâ delinquere, ſi exemplo malo diſcipulo Author ſit peccati, imò 294.

quidem peccat peccato, quod committit. 2do peccato ſcandali, ſeu peccato, in quod diſcipulum inducit: 3tiò peccat peccato contra juſtitiam, cui titulo ſolutionis, vel alimentationis reſpondere obligatur. Graviter quoque contra charitatem, & juſtitiam peccat, ſi peccata diſcipuli gravia, aut quæ via proxima ſunt ad peccata gravia, facilè corrigibilia vel impedibilia non corrigat, vel impediat. Patet ex obligatione correctionis fraternæ, & officii. Peccat itèm graviter contra juſtitiam, ſi notabilem compenſationem laboris percipiens diſcipulum in literis inſtruere diu, & notabiliter negligat. Ex quo ulteriùs ſequitur: quod præceptor, ſi ſolutionem capiat, nec tamen ſeu quoad mores bonos, ſeu quoad inſtructionem literariam officio ſuo ſatisfacere ſtudeat, pro damni ſecuti magnitudine ad reſtitutionem obligetur, eò quòd parentes, vel pupillum diſcipulum ſolutione defraudârit.

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

295. Q. I. *Quid agendum, & judicandum Confeſſario, ſi pænitens in genere ſe accuſet, quòd ſe Parentibus irreverentem, & inobedientem*

tem exhibuerit? ℟. Obſervandam eſſe ætatem, & indolem pœnitentis; nam ſi ætatis ſit exiguæ, quæ ætas maximè de ſimilibus, accuſare ſe ſuevit, ſupponere poterit Confeſſarius, eum irreverentiâ, vel inobedientiâ non graviter deliquiſſe. Si verò notabilem ætatem attigerit; itèm ſi audax indoles in eo appareat, interrogandus eſt de modo, quo irreverentiam exercuit, & de materia, quæ à parentibus imperata fuit. Hoc ſiquidem pacto reſciet: an e. g. graviter obmurmuraverit, craſſis dicteriis, ſubſannationibus indecoris, irriſionibus, contumeliis &c. reverentiam violaverit? Itèm: an materia gravis e. gr. fuga malæ converſationis, peccatorum, Sacri frequentatio, vel actio gubernationi domeſticæ valde utilis, & neceſſaria, aut è contrà aliud leve tantùm opus præceptum fuerit? Quo cognito de gravitate vel levitate, itèm de peccati ſpecie rectum judicium non difficulter formabit. Præprimis verò cura hæc adhibenda circa eos, qui matrimonio ſunt vicini, aut eodem jam devincti: experientiâ enim teſte tales longè maximas irreverentias & peccata amori oppoſita contra Parentes præſertim vetulos ſæpe ſæpius committunt. Nec contentabitur Confeſſarius reſciſſe peccati ſpeciem, gravitatem, & numerum, ſed accuratam inſimul curam eò referet, ut obligationem filialem cum pœna violationi, & mercede obſervationi

à Deo ipſo propoſita (declarato præſertim quarti præcepti additamento, *ut ſis longævus ſuper terram*) luculentè ob oculos ponat, inque memoriam revocet curas, ſudores, & labores à Parentibus impenſos, ut pœnitens talis à primordio ætatis ſuæ aleretur, educaretur, illíque in futurum ſalutariter proſpiceretur.

296. Q. 2. *Quid agendum Confeſſario, ſi à pœnitente ex adulterio, vel fornicatione filium progenitum in Confeſſione reſciat?* ℞. Inquirendum eſſe: an progenito de moderata ſaltèm alimentatione providerit? nec enim rari caſus ſunt, quibus adulteri, aut fornicantes exiſtimant ſe obligatione alendi prolem à ſe progenitam non obſtringi; aut ſi quid ad alendum conferant, id tantillum eſt, ut vix pro aliquot hebdomadis, aut menſibus ſufficiat; ubi tamen pro tota vita ùt veri Parentes proli ſuæ de alimentis providere tenentur. Laym. tom. 2. l. 5. tr. 10. c. 5. n. 4. Deſumitur hæc veritas ex jure naturali, quo omnibus liberis alimenta debentur. Itèm ex Canonico cap. *cùm haberet*, de eo qui duxit in matrimonium &c. Imò ſi Parens talis moriatur, hæredes prolem ſpuriam alere tenentur. La Croix l. 3. p. 1. n. 698. cum Gob. &c.

297. Ex quo ſequitur, ſi Mater nata prole mortua fuerit, vel prole deſerta profugerit à Parente ſuis ſumptibus de nutrice eſſe providendum. Non itèm ſi Mater lactare poſ-

poſſit, ad hoc enim ipſa pro triennio obſtringitur. Ità idem La Croix n. 697. cum Azor, Bonac &c. Sequitur 2dò: Si Parens Prolem nec per ſe, nec per hæredes alere queat, curam alendi incumbere avo, vel abavo, & in horum defectu Matri etiam poſt decurſum à nativitate triennium. ùt ex ſuprà dictis conſtat. Quòd ſi tamen Pater peculio, licet ad plenam alimentationem non ſufficiente, Matri oblato, ut onus prolem alendi in ſe ſuſcipiat, ab ea conſenſum obtineat, arbitror eum ab alendi obligatione ſolvi, nisì & Mater peculio conſumpto eò redigeretur, ut prolem alere non poſſit: tunc enim rurſus patria obligatio reviviſcet jure naturæ alimentum proli expetente. Quòd verò Parens opulentùs obligationi ſuæ ſatisfaciat, ſi prolem ad hoſpitale promoveat, minimè cenſeo cum Filli. tr. 28. p. 2. c. 2. n. 21. Navarr. Bonac. &c. Excipitur caſus neceſſitatis extremæ, vel gravis; quo caſu tamen monet Fill. cit. obſervandum eſſe tempus, locum, & alia, quibus conſulatur Saluti infantis. Obligabitur nihilominùs parens opulentus ad ſumptus ab hoſpitali in prolem talem factos, integre ſaltèm ſecreto compenſandos. March. Reſol. Paſtor. c. 4. n. 7. Ratio eſt: quia hoſpitalia (paucis demptis) pro prolibus divitum non ſunt inſtituta.

Q. 3.

Digitized by Google

298. Q. 3. *Sed quid ſi pœnitens oſtenſa obligatione cum veritate ſe excuſet Matrem duos, vel plures ad coitum admiſiſſe, per conſequens dubium remanere, cuinam proles ſit adſcribenda?* ℞. Variam de hoc caſu eſſe Moraliſtarum ſententiam: communior eſt, quam refert Lugo de juſt. D. 13. n. 19. ſingulos admiſſos ad partem alimentorum obligari. Ratio eſt: quia cum certum ſit unum ex iis verum eſſe Patrem, unus alere tenetur; ergo cum æquale dubium ſit de omnibus æqualiter quoque ſuſtinere debent alendi onus. Sicut (quæ Molinæ eſt inſtantia) ſi duo ſagittam conjiciant in bovem alterius, & dubium ſit, cujus ſagittâ ſit convixus, uterque ad ſolvendum bovem contribuere tenetur. Probabilis tamen etiam eſt oppoſita, quam ſequitur Lugo cit. cum. Leſſ. Fill. &c. nullum videlicet ad alendum obligari. Ratio eſt: quia ſinguli ſunt in poſſeſſione contra prolem exigentem alimenta, & cùm ipſi ſint Rei; proles autem ſit Actor, huic probatio incumbit.

299. Q. 4. *Quid conſulendum pœnitenti, qui poſtquam filium ſpurium cum legitimis enutrivit, anxius eſt de hæreditate per teſtamentum juſtè diſpertienda?* ℞. Cùm filii ſpurii ex coitu damnato progeniti incapaces ſint ſucceſſionis in bonis paternis, ac maternis, aliorúmque aſcendentium tam ab inteſtato, quàm ex teſtamento, fidei commiſſaria ſubſtitutione &c. ùt liquet ex Authen. ex

com-

complexu C. de inceſtis nuptiis, cui communis conſentit, certum eſt, filium ſpurium cum legitimis citra injuriam hæredem inſtitui minimè poſſe. Suadendum proindè: ut quàmdiu Pater vivit, ei de ſufficiente alimentatione ſeu per matrimoninm, ſeu officium procuratum, ſeu Religionis ingreſſum, ſeu alio modo proſpiciat; aut ſi practicabile cenſet, proles reliquas eò diſponat, ut in aliquam bonorum partem filio ſpurio cedendam conſentiant: qualiter nobilis illa matrona feciſſe fertur, quæ in ſimilibus anguſtiis conſtituta filiis legitimis, & ſpurio convocatis propoſuit unum ex ipſis hæreditatis eſſe incapacem; cùm verò nullus eorum certitudinem de capacitate ſua habeat, ſuaſit, conſentirent, ut quisquis eorum incapax foret, pari bonorum portione ùt cæteri gauderet; quod & impetravit.

Q. 5. *Qualiter peccâſſe cenſebit Confeſſa* 300. *rius filium ſe accuſantem, quòd parentibus res diverſas abſtulerit?* ℟. Suppoſitâ malitiâ furti ex materia gravi, vel levi, etiam graviter peccâſſe judicabitur contra pietatem Parentibus debitam, ſi prævidit Patrem, vel Matrem cognitâ malitiâ graviter ac rationabiliter contriſtandam; aut ſi ab illis aliàs monitus, eíque prohibitum fuit, nè ultrà furti peccato ſe commaculet. Patet ex dictis ſuprà: ſi enim univerſim quocunque modo illicito Parentes graviter contriſtan-

Digitized by Google

ſtando, iisque à peccato dehortantibus non obediendo graviter delinquunt filii; etiam dicto modo particulari eos contriſtando, & non obediendo, deliquiſſe meritò cenſebuntur.

301. Q. 6. *Quid agendum Confeſſario, ſi uxor pœnitens in genere dicat debitum conjugale marito à ſe fuiſſe denegatum?* ℞. Diſpiciendam eſſe cauſam, quâ denegavit: ſæpe enim juſtæ cauſæ ſunt; quæ à reddendo excuſant ùt ſi conjux ſciatur fuiſſe adulter. Colligitur, ex c. 3. & 19. Matth. Licèt adulter id petere non prohibeatur. Sanch. de Matr. l. 1. D. 64. n. 4. Coninck. Nav. &c. Itèm ſi uxor reddendo moraliter certa ſit imminere ſibi grave periculum ſalutis corporalis e. g. ſciens maritum peſte, febri hectica, leprâ, aut alio infectivo morbo laborare S. Th. in 4. d. 32. q. un. a. 1. Sotus, Cajet. &c. quo caſu nec lege charitatis ad reddendum obligari probabilius cenſet Laym. tom 2. l. 5. tr. 10. c. 1. n. 5. quamvís laudabiliter exerceri non neget. Idem eſt, ſi medicorum judicio, vel antecedentis partùs experientiâ in probabili mortis periculo ſe conſtituendam exiſtimet, ſi concipiat, & pariat. Ità idem Laym. ibidem. 3tiò: ſi petatur à prægnante cum periculo prolis. Aliud foret, ſi ſciret prolem vivam nunquam à ſe edi poſſe. Sanch. cit. l. 7. D. 102. n. 8. Coninck &c. 4tò: ſi petatur a marito ebrio, furente, vel amente. Sà v. debitum n. 16.

Na-

Navarr. 5tò: Si votum nec petendi, nec reddendi ex parte utraque mutuo conſenſu eſt editum. Laym. à n. 10. 6tò: Si conjux petens jure petendi ob inceſtum privatus ſit. Sanch. cit. l. 9. D. 6. n. 8. Ubi tamen bene notat Laym. n. 14. & 15. tunc ſolùm impediri debiti petitionem per inceſtum, quando commiſſus eſt advertenter, ſinè violentía, nec obtenta eſt diſpenſatio, vel quando uxori, eò quòd vir inceſtuoſus nunquam petat, matrimonium non redditur oneroſum, nec periculum incontinentiæ imminet. 7mò: Licet Soto in 4. diſt. 32. q. un. a. 1. Sà v. debitum n. 18. Sanchez, & alii probabiliter cenſeant metu multiplicandarum prolium ſecluſo incontinentiæ periculo debitum negare ſaltèm mortale non eſſe; probabilius tamen cenſet Laym. n. 16. eſſe mortale ex ſola hac cauſa id negare. Excipe; niſì vel pactum præceſſerit, vel ex prolium multiplicatione extrema penuria ſeu parentibus, ſeu prolibus immineret; quod tamen inter Chriſtianos rarum exiſtimat: cùm in piorum hominum, multóque magis Dei auxilio, qui Cœli volatilia paſcit Matth. 6. confidere oporteat.

Q. 7. *Quid ſentiendum de Religioſis Superioribus, qui leves defectus ſubditorum diſſimulant?* 302.
℞. Diſtinguendum eſſe inter defectus diſſimulatos: nam ſi tales ſint, ut non multum conferant, vel ad diſciplinam, vel ad orna-

namentum domûs Religioſæ, vel ad ſpiritualem profectum ſubditorum, non graviter delinquere cenſebuntur. La Croix l. 3. p. 1. n. 707. Si verò multum ad diſciplinam, & ornamentum conferant, licèt de ſe nec venialis peccati malitiam attingant, graviter peccare poſſunt: Lugo de Juſt. D. 9. n. 21. Ratio eſt: quia notabile malum eſt, ſi in communitate Religioſa, cujus perfectioni vi muneris ſui intendere Superior graviter obſtringitur, invaleſcat conſuetudo ſeu venialiter peccandi, ſeu defectus decorem, ædificationem, & utilitatem talis communitatis, licèt citra culpam venialem notabiliter imminuentes committendi. Quod quidem damnum, ùt notat La Croix cit. gravius peccatum arguit, quàm ſi in bonis temporalibus Superior idem gravem committeret negligentiam,

303. Q. 8. *Cujus peccati reum cenſebit Confeſſarius eum pœnitentem, qui ſe de alimentis famulo ægrotanti negatis, uti & de negato ſtipendio pro ægritudinis tempore accuſat?* ℟. In rigore loquendo, cùm famulus morbi tempore famulatum non præſtet, titulo juſtitiæ ſive ad alimenta, ſive ad ſtipendium Dominus non obligari reputabitur, ùt ex communi docet *Fill.* tr. 28. p. 2. c. 5. n. 84. & 85. Quod tamen limitandum videtur, ſi notabili tempore ægrotet. Modica ſiquidem ægritudinis mora pro nihilo eſt reputanda. Peccaret tamen contra charita-

ritatem, ſi modicas expenſas, quas ſinè notabili incommodo facere in alimenta poſſet in egenum, nec aliis mediis proviſum famulum facere negligeret; imò etiam graves, ſi in extrema neceſſitate conſtitutum videret. Regin. l. 20. c. 5. n. 60. Cæterùm nec contra juſtitiam, nec contra chariratem peccatur, ſi citra Domini conſenſum poſt anni dimidium recedenti famulo medietas ſtipendii denegetur. March. Reſol. Paſtor: c. 4. n. 14. Unde tunc tantum detrahi poteſt ex hac medietate, quantum damni, vel lucri ceſſantis Dominus ex famuli receſſu patitur, quod arbitrio prudentis eſt determinandum, ùt idem March. docet ibidem cum Regin. cit. n. 61. Sylv. & aliis. Quòdſi minorum mercedem Dominus det, quàm arbitrio prudentis juſtitia requirat, nec famulus aliter debitum convenienter accipere poſſit, licitum eſt damnum ſibi occultè compenſare. Colligitur ex eodem Regin. loco cit. & ratio eſt: quia compenſatio univerſaliter licet, ubi alio convenientiore modo debitum acquiri nequit. Rariùs tamen excuſandi ſunt famuli, & ancillæ dicentes: quòd eò occultam compenſationem exercuerint, quòd ſalarium nimìs parvum accipiant: ordinariè enim de tali ſalario non coacti paciſcuntur, per conſequens plus exigere nequeunt, quàm pactum plenè voluntarium admittat. Unde meritò Inn.

XI. damnavit propoſitionem ſequentem n. 37. *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.*

304. Q. 9. *An famuli, & ancillæ duplicis, contra juſtitiam nimirùm & fidelitatem, malitiæ condemnandæ ſint, qui res ad Dominum pertinentes furto ſubducunt?* ℟. Res Domino à famulitio auferibiles dupliciter conſiderari: aliæ enim ſunt, quæ ſingulari curæ, atque cuſtodiæ famulis commendantur, ità ut cura hæc & cuſtodia ſeu explicitè, ſeu implicitè in contractum includatur; tales ſunt equi, vaccæ, vineæ, ſylvæ, vivaria piſcium &c. pro quibus curandis, & cuſtodiendis famuli certi, & ancillæ conſtituuntur; aliæ verò ſunt, quæ famulitio cuſtodiendæ committi non ſolent. Tales ſunt pecunia, ſupellex pretioſa &c. quibus Domini & Dominæ ordinariè ipſi invigilant. Si proinde res primæ claſſis à famulatu furto auferantur, facilè liquet peccari inſimul *contra juſtitiam* quemadmodum peccaret quivis alius eas auferendo, & *contra fidelitatem* ſeu explicitè, ſeu implicitè in contractu appromiſſam. Contrarium ſentiendum, ſi res ſecundæ claſſis furto ſurripiantur: tunc enim peccatur ſolùm contra juſtitiam graviter, vel leviter pro materiæ ſublatæ gravitate, vel levitate. Quòd ſi famulorum in curiâ res Domini ab aliis aufe-

auferantur vel deſtruantur, cenſet Laym. tom. 1. l. 3. tr. 2. c. 5. n. 7. fermè ſolùm peccari contra charitatem. Addit tamen probabilem Navarri l. 3. c. 1. n. 224. ſententiam, quâ docet, omnibus famulis hoc ipſo quòd domeſtici ſint, cuſtodiam domûs aliquomodo incumbere, ſaltèm ut ab extraneorum injuria defendat. Ex quibus ſequitur famulos eos, qui res Domini curæ, & cuſtodiæ ſuæ commiſſas habent, ac incuriâ ſuâ eas auferri, vel deſtrui ſinunt ad reſtitutionem obligari, non itèm alios.

Cæterùm hic annecto 1mò famulos, & 305. ancillas clàm ſurripientes quædam ex ordinariis ad comedendum, & bibendum, quæ ipſi conſumunt, rariùs peccare mortaliter, ſeu contra juſtitiam, ſeu contra fidelitatem: quia hæc ſciuntur fieri, & Domini patiuntur. Aliud eſt, ſi res non ordinarias ùt cibos raros, & pretioſos, aut vinum in notabili quantitate (pro qua tamen, ut ad mortale ſufficiat, in iis etiam plus requiritur, quàm in aliis) abſumant, vel ſi ordinaria in magna quantitate aliis ſeu vendant, ſeu donent: tunc enim Domini cenſentur rationabiliter inviti March. cit. n. 12. Ex quo n. 17. Noto 2dò: famulos, quibus equi, aliáque jumenta commiſſa ſunt, graviter poſſe peccare, ſi clàm frumentum ſurripiant, ut (quo ſe paſſim excuſant) eadem vegeta, & pin-

guia conſervent. Requiritur tamen ad hoc, ut peccatum mortale evadat, valde magna quantitas. Ratio autem, cur à peccato ordinariè non excuſentur, eſt: quia cùm Domini ſint adminiſtratores rerum ſuarum, ſupponendum eſt, quòd jumentis aſſignata portione debitè provideant. Dixi: *ordinariè*: quia ſi famulus certò videat portionem eſſe inſufficientem (quod tamen non ex ſuo cerebro, ſed arbitrio bonorum œconomorum, aut conſuetudine probata determinare convenit) excuſabitur, ſi tantum ſurripiat, quantum ad debitam portionem deficit. De reliquo id, quod ultrà ſurripit, licèt peccet, reſtituere nihilominùs non tenetur, ſi à jumentis abſumptum eſt non ſuperfluè nimìs, neque eſt divenditum, neque donatum. Ratio eſt: tum quia nihil exinde famulus lucri accipit; tum quia totum in Domini fructum ceſſit.

306. Q. 10. *Quæ regulæ adhibendæ, ſi famulum vel ancillam pœnitentem dirigere oporteat: in quibus Dominis obedire debeat? & in quibus non?* ℞. Ad hoc ſervire poſſe maximè regulas ſequentes ex Cardena ſuper prop. 51. Fill. tr. 28. c. 3. n. 64. Azor, Sayr. & aliis deſumptas. 1ma eſt: ſi jubeatur *res indifferens in ſe*, licèt Dominus prava intentione jubeat, poteſt obedire, dummodò opus, quod exequitur, ignarus, quòd Dominus habeat pravam intentionem, exequatur.

Et

Et ſic ancilla poteſt ornare Dominam, licèt Domina ornatu velit allicere adulterum; poteſt itèm adultero jubente Domina portam aperire, ſternere lectum, dummodò neſciat in eo peccatum committendum; famulus ſimiliter ignarus poteſt comitari herum ad locum peccati committendi, aut illum eò devehere &c. Attendendum itaque eſt: an actiones præceptæ maneant indifferentes? an verò, quia cooperativæ noſcuntur, efficiantur malæ? 2da regula eſt: ſi opus præceptum ſit intrinſecè malum, obedire non poteſt, nec proximè cooperari. Et ſic non poteſt famulus ſcripto, vel verbis invitare v. g. meretricem ad peccandum cum Domino: quia hoc eſt intrinſecè malum: eſt enim proximè cooperari ad malum; quod idem probabiliter dicendum de literarum invitatoriarum delatione. 3tia eſt: ſi Dominus præcipiat aliquid, quod obſtat præceptis Eccleſiæ, & conſiliis Evangelicis, non tenetur obedire. Et ſic Domino jubente non tenetur carnes comedere die jejunii, nec vocationem ad ſtatum Religioſum deſerere &c.

Q. 11. *An peccâſſe cenſebitur pœnitens con-* 307.
tra juſtitiam, vel fidelitatem non ſolvendo gabellas Principi; ℞ In utramque partem validam eſſe & rationem, & authoritatem. Qui affirmativam tenent, viâ quidem tutiore incedunt, negantes tamen etiam citra

offenſionem procedunt; neque docti, & experti Confeſſarij facilè peccati condemnent eos, qui gabellas, & vectigalia non exſolvunt. Ratio communiter affertur: quia lex gabellas imponens, & vectigalia pœnalis ſolùm eſt, quod ex adjecta confiſcationis pœna, aut mulcta deſumitur. Vide Leſſ. l. 2. c. 33. dub. 8. March. cit. n. 16. Fill. cit. à n. 113. qui tamen excipit cum aliis: niſi gabellæ impoſitæ forent ſuper rebus causâ negotiationis. Sed cum etiam lex has gabellas imponens, ſæpe ſaltèm, appoſitam habeat pœnam, dicendum & hic videtur etiam tales leges merè eſſe pœnales.

ARTICULUS XI.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis homicidæ.

§. I.

PRÆMITTENDA.

308. PRæmitto 1mò: Homicidium prohibitum, ùt colligitur ex D. Th. 2. 2. q. 64. cui conſentiunt paſſim DD. nihil aliud eſſe, quàm *injuſtam hominis occiſionem.* Occiſio verò dupliciter injuſta eſſe poteſt, *injuſtitiâ* nimirum *generali*, quâ peccat occidens ſe ipſum, & *injuſtitiâ ſpeciali*, quâ peccat occidens proximum, ùt bene concordat D. Th. & DD. ab eo diſſidentes Sayr. in Clavi

Reg.

Reg. l. 7. c. 9. n. 2. Ad occiſionem injuſtam utroque modo revocatur injuſta mutilatio, & quæcunque ſeu directa, ſeu indirecta læſio. Ordinatè igitur procedendo.

Præmitto 2dò: *Occiſionem ſui ipſius* ſem- 309.
per eſſe illicitam, nisì accedat Divina authoritas. Eſt communis, & deſumitur ex præcepto 5. Decal. *non occides*, quo univerſaliter prohibetur omnis occiſio rectæ rationi repugnans. Itèm ex Concil. Brachar. I. can. 34. ubi idipſum clarè definit. Itèm ex Aug. l. 1. de Civ. Dei c. 17. &c. Ex quo ſequitur 1mò: non eſſe licitam ſui occiſionem ob peccatum commiſſum, ùt ſenſerunt Donatiſtæ: tum quia potiùs expedit vivere ad peccata per pœnitentiam delenda; tum quia nemo idoneus judex eſt in propria cauſa. 2dò: non eſſe licitam hanc occiſionem ad peccatum ſeu proprium, ſeu alienum vitandum, & vitam beatam conſequendam: quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. 3tiò: non eſſe licitam ad vitandas quascunque vitæ ærumnas: quia ultimum malorum, & maximè terribile hujus vitæ eſt mors juxta Philoſophum 3. Ethic. c. 6. Proindè inordinatum eſt majus malum ad minus evadendum aſſumere. Nec obſtat: quod tum in Sacra ſcriptura, tum in aliis ſacris hiſtoriis legamus Sanctorum aliquos mortem violentam ſibi intuliſſe: hi enim ſe occidendo ideò non peccârunt,

namentum domûs Religioſæ, vel ad ſpiritualem profectum ſubditorum, non graviter delinquere cenſebuntur. La Croix l. 3. p. 1. n. 707. Si verò multum ad diſciplinam, & ornamentum conferant, licèt de ſe nec venialis peccati malitiam attingant, graviter peccare poſſunt: Lugo de Juſt. D. 9. n. 21. Ratio eſt: quia notabile malum eſt, ſi in communitate Religioſa, cujus perfectioni vi muneris ſui intendere Superior graviter obſtringitur, invaleſcat conſuetudo ſeu venialiter peccandi, ſeu defectus decorem, ædificationem, & utilitatem talis communitatis, licèt citra culpam venialem notabiliter imminuentes committendi. Quod quidem damnum, ùt notat La Croix cit. gravius peccatum arguit, quàm ſi in bonis temporalibus Superior idem gravem committeret negligentiam,

503. Q. 8. *Cujus peccati reum cenſebit Confeſſarius eum pœnitentem, qui ſe de alimentis famulo ægrotanti negatis, uti & de negato ſtipendio pro ægritudinis tempore accuſat?* ℞. In rigore loquendo, cùm famulus morbi tempore famulatum non præſtet, titulo juſtitiæ ſive ad alimenta, ſive ad ſtipendium Dominus non obligari reputabitur, ùt ex communi docet *Fill.* tr. 28. p. 2. c. 5. n. 84. & 85. Quod tamen limitandum videtur, ſi notabili tempore ægrotet. Modica ſiquidem ægritudinis mora pro nihilo eſt reputanda. Peccaret tamen contra charita-

ritatem, ſi modicas expenſas, quas ſinè notabili incommodo facere in alimenta poſſet in egenum, nec aliis mediis proviſum famulum facere negligeret; imò etiam graves, ſi in extrema neceſſitate conſtitutum videret. Regin. l. 20. c. 5. n. 60. Cæterùm nec contra juſtitiam, nec contra chariratem peccatur, ſi citra Domini conſenſum poſt anni dimidium recedenti famulo medietas ſtipendii denegetur. March. Reſol. Paſtor: c. 4. n. 14. Unde tunc tantum detrahi poteſt ex hac medietate, quantum damni, vel lucri ceſſantis Dominus ex famuli receſſu patitur, quod arbitrio prudentis eſt determinandum, ùt idem March. docet ibidem cum Regin. cit. n.61. Sylv. & aliis. Quòdſi minorum mercedem Dominus det, quàm arbitrio prudentis juſtitia requirat, nec famulus aliter debitum convenienter accipere poſſit, licitum eſt damnum ſibi occultè compenſare. Colligitur ex eodem Regin. loco cit. & ratio eſt: quia compenſatio univerſaliter licet, ubi alio convenientiore modo debitum acquiri nequit. Rariùs tamen excuſandi ſunt famuli, & ancillæ dicentes: quòd eò occultam compenſationem exercuerint, quòd ſalarium nimis parvum accipiant: ordinariè enim de tali ſalario non coacti paciſcuntur, per conſequens plus exigere nequeunt, quàm pactum plenè voluntarium admittat. Unde meritò Inn.

auferantur vel deſtruantur, cenſet Laym. tom. 1. l. 3. tr. 2. c. 5. n. 7. fermè ſolùm peccari contra charitatem. Addit tamen probabilem Navarri l. 3. c. 1. n. 224. ſententiam, quâ docet, omnibus famulis hoc ipſo quòd domeſtici ſint, cuſtodiam domûs aliquomodo incumbere, ſaltèm ut ab extraneorum injuria defendat. Ex quibus ſequitur famulos eos, qui res Domini curæ, & cuſtodiæ ſuæ commiſſas habent, ac incuriâ ſuâ eas auferri, vel deſtrui ſinunt ad reſtitutionem obligari, non itèm alios.

Cæterùm hic annecto 1mò famulos, & ancillas clàm ſurripientes quædam ex ordinariis ad comedendum, & bibendum, quæ ipſi conſumunt, rariùs peccare mortaliter, ſeu contra juſtitiam, ſeu contra fidelitatem: quia hæc ſciuntur fieri, & Domini patiuntur. Aliud eſt, ſi res non ordinarias ùt cibos raros, & pretioſos, aut vinum in notabili quantitate (pro qua tamen, ut ad mortale ſufficiat, in iis etiam plus requiritur, quàm in aliis) abſumant, vel ſi ordinaria in magna quantitate aliis ſeu vendant, ſeu donent: tunc enim Domini cenſentur rationabiliter inviti March. cit. n. 12. Ex quo n. 17. Noto 2dò: famulos, quibus equi, aliáque jumenta commiſſa ſunt, graviter poſſe peccare, ſi clàm frumentum ſurripiant, ut (quo ſe paſſim excuſant) eadem vegeta, & pin- 305.

guia conſervent. Requiritur tamen ad hoc, ut peccatum mortale evadat, valde magna quantitas. Ratio autem, cur à peccato ordinariè non excuſentur, eſt: quia cùm Domini ſint adminiſtratores rerum ſuarum, ſupponendum eſt, quòd jumentis aſſignata portione debitè provideant. Dixi: *ordinariè*: quia ſi famulus certò videat portionem eſſe inſufficientem (quod tamen non ex ſuo cerebro, ſed arbitrio bonorum œconomorum, aut conſuetudine probata determinare convenit) excuſabitur, ſi tantum ſurripiat, quantum ad debitam portionem deficit. De reliquo id, quod ultrà ſurripit, licèt peccet, reſtituere nihilominùs non tenetur, ſi à jumentis abſumptum eſt non ſuperfluè nimìs, neque eſt divenditum, neque donatum. Ratio eſt: tum quia nihil exinde famulus lucri accipit; tum quia totum in Domini fructum ceſſit.

306. Q. 10. *Quæ regulæ adhibendæ, ſi famulum vel ancillam pœnitentem dirigere oporteat: in quibus Dominis obedire debeat? & in quibus non?* ℟. Ad hoc ſervire poſſe maximè regulas ſequentes ex Cardena ſuper prop. 51. Fill. tr. 28. c. 3. n. 64. Azor, Sayr. & aliis deſumptas. 1ma eſt: ſi jubeatur *res indifferens in ſe*, licèt Dominus prava intentione jubeat, poteſt obedire, dummodò opus, quod exequitur, ignarus, quòd Dominus habeat pravam intentionem, exequatur.

Et

Et ſic ancilla poteſt ornare Dominam, licèt Domina ornatu velit allicere adulterum; poteſt itèm adultero jubente Domina portam aperire, ſternere lectum, dummodò neſciat in eo peccatum committendum; famulus ſimiliter ignarus poteſt comitari herum ad locum peccati committendi, aut illum eò devehere &c. Attendendum itaque eſt: an actiones præceptæ maneant indifferentes? an verò, quia cooperativæ noſcuntur, efficiantur malæ? 2da regula eſt: ſi opus præceptum ſit intrinſecè malum, obedire non poteſt, nec proximè cooperari. Et ſic non poteſt famulus ſcripto, vel verbis invitare v. g. meretricem ad peccandum cum Domino: quia hoc eſt intrinſecè malum: eſt enim proximè cooperari ad malum; quod idem probabiliter dicendum de literarum invitatoriarum delatione. 3tia eſt: ſi Dominus præcipiat aliquid, quod obſtat præceptis Eccleſiæ, & conſiliis Evangelicis, non tenetur obedire. Et ſic Domino jubente non tenetur carnes comedere die jejunii, nec vocationem ad ſtatum Religioſum deſerere &c.

Q. 11. *An peccâſſe cenſebitur pœnitens contra juſtitiam, vel fidelitatem non ſolvendo gabellas Principi;* ℞ In utramque partem validam eſſe & rationem, & authoritatem. 307.
Qui affirmativam tenent, viâ quidem tutiore incedunt, negantes tamen etiam citra

 offen-

offenſionem procedunt; neque docti, & experti Confeſſarij facilè peccati condemnent eos, qui gabellas, & vectigalia non exſolvunt. Ratio communiter affertur: quia lex gabellas imponens, & vectigalia pœnalis ſolùm eſt, quod ex adjecta confiſcationis pœna, aut mulcta deſumitur. Vide Leſſ. l. 2. c. 33. dub. 8. March. cit. n. 16. Fill. cit. à n. 113. qui tamen excipit cum aliis: niſì gabellæ impoſitæ forent ſuper rebus causâ negotiationis. Sed cum etiam lex has gabellas imponens, ſæpe ſaltèm, appoſitam habeat pœnam, dicendum & hic videtur etiam tales leges merè eſſe pœnales.

ARTICULUS XI.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis homicidæ.

§. I.

PRÆMITTENDA.

208. PRæmitto 1mò: Homicidium prohibitum, ùt colligitur ex D. Th. 2. 2. q. 64. cui conſentiunt paſſim DD. nihil aliud eſſe, quàm *injuſtam hominis occiſionem.* Occiſio verò dupliciter injuſta eſſe poteſt, *injuſtitiâ* nimirum *generali*, quâ peccat occidens ſe ipſum, & *injuſtitiâ ſpeciali*, quâ peccat occidens proximum, ùt bene concordat D. Th. & DD. ab eo diſſidentes Sayr. in Clavi

Reg.

Reg. l. 7. c. 9. n. 2. Ad occiſionem injuſtam utroque modo revocatur injuſta mutilatio, & quæcunque ſeu directa, ſeu indirecta læſio. Ordinatè igitur procedendo.

Præmitto 2dò: *Occiſionem ſui ipſius* ſem- 309.
per eſſe illicitam, niſi accedat Divina authoritas. Eſt communis, & deſumitur ex præcepto 5. Decal. *non occides*, quo univerſaliter prohibetur omnis occiſio rectæ rationi repugnans. Itèm ex Concil. Brachar. I. can. 34. ubi idipſum clarè definit. Itèm ex Aug. l. 1. de Civ. Dei c. 17. &c. Ex quo ſequitur 1mò: non eſſe licitam ſui occiſionem ob peccatum commiſſum, ùt ſenſerunt Donatiſtæ: tum quia potiùs expedit vivere ad peccata per pœnitentiam delenda; tum quia nemo idoneus judex eſt in propria cauſa. 2dò: non eſſe licitam hanc occiſionem ad peccatum ſeu proprium, ſeu alienum vitandum, & vitam beatam conſequendam: quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. 3tiò: non eſſe licitam ad vitandas quaſcunque vitæ ærumnas: quia ultimum malorum, & maximè terribile hujus vitæ eſt mors juxta Philoſophum 3. Ethic. c. 6. Proindè inordinatum eſt majus malum ad minus evadendum aſſumere. Nec obſtat: quod tum in Sacra ſcriptura, tum in aliis ſacris hiſtoriis legamus Sanctorum aliquos mortem violentam ſibi intuliſſe: hi enim ſe occidendo ideò non peccârunt,

quia vel proceſſerunt ex erroneo dictamine, vel ut meliùs exponit S. Auguſt. cit. c. 23. & 26. Itèm D. Th. 2. 2. q. 64. a. 5. ad 4. cum aliis: quia id egerunt ex ſpeciali inſtinctu, & inſpiratione Dei.

310. Præmitto 3tiò: Neque ſemper licitum eſſe *occidere ſe negativè*, ſeu offerre ſe morti, non faciendo videlicet, quo vita conſervari poſſet; ſed in certis caſibus duntaxat, quales ſunt 1mò: ſi amicus æqualis conditionis vitâ periclitetur. S. Th. cit. 2. 2. q. 26. a. 4. ad 3. & a. 5. ad 3. Sà v. homicidium, Valentia &c. Excipe cum Sayro in Clavi Regia l. 7. c. 9. n. 14. niſi vitam ablaturus utilior eſſet Reipublicæ, quàm periclitans, aut familiam haberet, & filios, qui eo defuncto educari, & enutriri non poſſent. Ratio autem, cur hoc caſu licitum ſit vitam exponere, eſt: quia licitè eligitur majus bonum præ minore; ergo etiam licitè eligitur actus virtutis, qui eſt majus bonum præ vita corporali, quæ eſt minus bonum. 2dò: ſi morte corporali ſalus, & vita ſpiritualis proximi certò poſſit conſervari. Itèm ſi ex morte pro Chriſti fide tolerata ſperandum eſt magnum animarum lucrum. Deſumitur ex 1. Joan. 3. *Et nos debemus pro Fratribus animas ponere.* Item ex Auguſt. l. de Mendacio c. 6. *Temporalem vitam ſuam pro æterna vita proximi non dubitabit Chriſtianus amittere.* 3tiò: ſi vita offerenda ſit pro Chriſto, aut fidei

fidei Chriſtianæ defenſione : dummodò offeratur diſcretè. Navarr. in Manual. c. 15. n. 109. Sylv. &c cum communi. *Diſcretè* verò offertur, quando finis eſt, & motivum Dei honor, & offerens Eccleſiæ non eſt ſpecialiter neceſſarius ; nam ſi neceſſarius ſit, neque neceſſitas offerendi urgeat, eſt illicitum, quia indiſcretum.

Præmitto 4tò : *Permiſſivè* etiam ſe habere licitum eſt ad ſui occiſionem 1mò : nè alter moriatur in peccato. Victoria Relect. de homicidio n. 24. Tolet. Sylv. &c. Ratio ſuprà data eſt ad caſum primum. 2dò : Si duo in eadem neceſſitate ſint conſtituti, ità tamen ut unus medium evadendi habeat, poteſt illud alteri cedere, licèt prævideat ſe moriturum. Sic ſi duo in extrema neceſſitate conſtituti ſint ; unus verò panem habeat ad ſe ſuſtentandum, poteſt illum alteri cedere. Victoria cit. n. 25. Sà v. homicidium &c. Rationem dat Sayr. ſuprà cit. n. 21. quia hæc permiſſiva occiſio non eſt ex ſe mala, ſed ex fine poteſt eſſe bona, & honeſta, ac virtutis opus. Ex qua etiam ratione ad mortem damnatus habens occaſionem fugiendi, poteſt non fugere, damnatus ut fame pereat ; poteſt cibum oblatum non ſumere. Navarr. l. 2. de Juſt. c. 3. n. 75. &c. Licèt D. Th. 2. 2. q. 69. n. 4. ad 2. oppoſitum adſtruat. Ex eadem ratione licitum eſt laboranti morbo infectivo cum vitæ periculo inſervire. Sà v. 311

homicidium. Itèm cum vitæ periculo bellare juſtè pro bono communi, aut pro bello exercitiis periculoſis ſe exercere. Victoria cit. n. 3. Navar. &c.

312. Præmitto 5tò: Licèt homini obligatio incumbat vitam ſibi non abrumpendi, non tenetur tamen omnia media licita, & exquiſita quærere, ut vitam prolonget; ideòque non tenetur cibis optimis, & delicatioribus uti, etiamſi poſſit; neque conſilio medici bibere v. g. vinum ad vitam prolongandam. *Sayr.* l. 7. c. 9. n 28. cum Victoria. Ex quo ſequitur, quòd etiam Carthuſianus ægrotans non teneatur comedere carnes, ſèd licitè cibis ordini conſuetis uti poſſit. Idem n. 30. E contrà illicitum eſt indiſcreto jejunio, aut alia afflictatione corporis immoderata; itèm cibis nocivis uti; quibus judicaretur vita brevì abrumpenda. Victoria cit. Relect. de temporantia n. 12. & de Homicidio n. 34. Nav. Tolet. &c. Cæterùm abſtinentiæ, vigiliæ, aliæque corporis macerationes, utpote à viris diſcretis, & Sanctis inſtitutæ, & à Pontificibus approbatæ ſi conformiter regulis exerceantur, indiſcretæ non cenſentur, ac ideò licitus eſt, & ſanctus earum uſus.

313. Præmitto 6tò: Mutilare ſe ipſum graviter communiter eſſe mortaliter illicitum. Ità communis. Et ratio eſt: quia nemo corporis ſui eſt dominus. Dixi autem

com-

communiter: nam ſi aliter vita conſervari non poſſit, mutilatio licita eſt. Sic licita eſt mutilatio, ſi membrum aliquod ità affectum ſit, ut periculum vitæ toti corpori adferat. Itèm ſi quis vinctus, nè incenſa domo vel carcere concremetur, manum, vel pedem ſibi abſcindat. Itèm ſi aliter *injuſtè* vinctus, & de vita periclitans manum, vel pedem ſibi amputet. Ità DD. paſſim cum Regin. l. 21. c. 4. n. 44. Ubi ex D. Th. 2. 2. q. 65. a. 1. ad 3. addit id è contra non licere ad evitandum peccatum. Ratio eſt: quia peccatum alio modo ſemper vitari poteſt. Cæterùm ad talem mutilationem ſeu ſibi inferendam, ſeu ab alio perferendam pro conſervatione vitæ nemo obligatur, út rectè notant Sotus Toletus, Valentia apud Sayr. cit. n. 36. Quia præceptum conſervandi vitam non obligat cum tanta difficultate. Quæ etiam ratio eſt: quòd ad mortem innocenter à Judice condemnatus, metuens torturam, ſi ſe innocenter damnatum profiteatur, licitè mortem conformiter ſententiæ ſubire poſſit.

Præmitto 7mò: Ob vitæ propriæ defenſionem licitum eſſe occidere alterum. Eſt communis. Ratio autem eſt: quia Jus naturale dictat licitum eſſe unicuique conſervare vitam propriam omni modo licito; & neceſſario, etiamſi alter ſit occidendus: dictet enim, ut, ſi alterutrum mori neceſſe ſit, inferens potiùs, quàm injuriam patiens moria- 314.

moriatur. Requiritur tamen occiſio hæc, ut licita cenſeatur, juxta Regin. l. 21. c. 5. n. 57. Sylveſt. v. bellum Navarr. Soto. Molina, & alios paſſim conditiones quatuor. 1ma eſt: ut aggreſſio & invaſio ſit vera, & per vim facta, non verò dubia. 2da eſt: ut ſit vera, & actualis defenſio, & propulſatio violentiæ illatæ. 3tia eſt: ut occiſio fiat in ipſo actu defenſionis, non autem pòſtquàm jam ceſſavit aggreſſio. 4ta eſt: ùt fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ; ſeu ut ſit moderata, qualis tunc eſſe cenſetur, quando aliquis, ùt loquitur Laym. tom. 1. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 1. conſideratis circumſtantiis loci, temporis, perſonarum &c. contra aggreſſorem, modo faciliore, & benigniore defendere ſe non poſſe rationabiliter judicat, quàm ità ipſi reſiſtendo, vel præveniendo. Quapropter ſi aggreſſio evadi poſſit, ſeu fugiendo, citra gravem ignominiam, ſeu citra occiſionem vulnerando, ſeu arma rapiendo, occiſio illicita erit. Ratio eſt: quia alioquin occiſioni deeſt moderamen inculpatæ tutelæ.

315. Porrò quæ dicta ſunt de aggreſſore, intelligenda etiam 1mò veniunt de inſidiatore. Laym. cit. loco cit. cum communi. 2dò de invaſore etiam innocente e. g. pùero, ebrio, amente. Regin. cit. cum Navarro &c. 3tiò etiam de invaſore hominis flagitio vacantis. Itaque adulter in adulterio deprehenſus invaſorem licitè occi-

occidit. Quam ſententiam Regin cit. n. 59. cenſet tutam in praxi. Molina tr. de Jure & juſt. D. 15. ſimpliciter tenendam. 4tò intelligenda ſunt de invaſore, cujuscunque ſit ſtatûs, & conditionis. Sayr. in Clavi Regia l. 7. c. 10. n. 22. ita ut etiam Clericus contra Laicum, & viciſſim, ſe ſic defendere poſſit absque eo, quòd excommunicatio, aut irregularitas incurratur. de irregularitate habetur Clem. un. De excommunicatione patet: quia excommunicatio non incurritur, niſi verò peccato? talis autem defenſio immunis eſt à peccato, etiam tunc, cùm per eam occiſio intenditur tanquam medium mortem evadendi, licêt aliqui id controvertant. Ratio eſt: quia defenſio talis eſt actus humanus; ergo neceſſariò fit cum intentione finis. Cæterùm invaſo liberum eſt ſe non defendere ex charitate in inimicum; niſi & ipſe putaret ſe in peccato mortali moriturum. Patet ex dictis ſuprà de charitate; ſi verò invaſor ſit Rex, vel Dux, vel alia perſona Reipublicæ valde neceſſaria, invaſus verò minùs utilis, tenetur ſe non defendere, & è contrà ſi invaſus ſit valde neceſſarius, non itèm invadens tenetur ſe defendere ùt ex ibidem dictis conſtat. Demum ſicut licitum eſt pro defenſione vitæ propriæ occidere invaſorem, ſic etiam licitum eſt pro defenſione vitæ proximi. Navarr. l. 2. de reſtit. c. 3. n. 419. Sà v. homicidium &c.

Ratio

Ratio eſt: quia jure naturæ licitum eſt quoſcunque defendere, quando actu per vim invaduntur.

816. Præmitto 8vò: Duellum, ſeu duorum inter ſe bellum, abſolutè loquendo illicitum eſſe, ità ut à Trid. Seſſ. 25. c. 19. de Reformat. ſtatuta ſit pœna excommunicationis latæ ſententiæ tum in locorum dominos, qui duellum illicitum ſua auctoritate permittunt; tum in ipſos duello concertantes, eorúmque Patrinos, auxiliatores, ſpectatores inſuper, ut qui in tali conflictu deceſſerunt Eccleſiaſticâ ſepulturâ careant. Quo tamen loco de publicis duntaxat duellis, & cum ſolennitate inſtitutis Concilium loquitur. Greg. verò XIII. motu proprio *Ad tollendum* & Clem. VIII. in Bulla: *illius vices* has ipſas pœnas etiam ad privata duella extenderunt, & Sedi Apoſtolicæ reſervârunt. Cenſet tamen Laym. cit. c. 5. n. 4. Germanos, alióſque ſeptentrionales ſeu ob ignorantiam, ſeu quia conſtitutiones illæ ſecundùm hunc ſenſum promulgatæ, & in uſum deductæ non ſunt, à cenſura excuſatos videri. Dixi: *abſolutè loquendo*: ad evitandandam enim injuſtam mortem licitum eſt illud acceptare.

§. II

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

Q. 1. *Quod judicium ferendum à Confeſſa-* 317.
rio: ſi pœnitens confiteatur; quòd ſibi mortem optaverit, aut imprecatus ſit? ℟. Hic inquirendum eſſe in cauſam, quâ ſibi mortem exoptavit. ſi enim cauſa, & finis bonus eſt v. g. ſi mortem ſibi exoptavit, ut liberaretur ab ærumnis morti æqualibus, grandi v. g. infamia, vehemente paupertate, gravibus morbis, aut ut periculo peccandi eximatur, peccati excuſabitur, ùt docet Tamb. l. 5. c. 1. §. 3. n. 34. & alii paſſim. Si verò ad leve malum, & morte judìcio prudentûm inferius evitandum eam ſibi optavit, non excuſabitur à magno peccato; niſì votum hoc ex ſufficiente advertentia proceſſerit. Ratio eſt: quia gravis inordinatio eſt malum reſpectivè modicum malo gravi, quale eſt mors anteponere.

Q. 2. *An deliquiſſe judicabit Virginem,* 318.
quæ mortem alioquin incurſura, ſe violari paſſa eſt? ℟. Si conſenſum præſtitit, citra dubium graviter deliquiſſe. cenſenda eſt: quia præſtat millies mori quàm in peccatum conſentiendo, Deum etiam leviſſimè offendere. E contrà ſi negativè tantùm ſe habuerit immota manens, & ſinè conſenſu violentiam paſſa eſt, peccato excuſabitur. Unde etiam ſi probabiliter videat ſe non con-

conſenſuram, poteſt ſe negativè hoc pacto habere, & violentiam perpeti, ùt docet Navarr. in Manuali c. 16. n. 1. Tolet. Soto &c. Quia tamen periculum conſensûs ob vehementem naturæ inclinationem, & delectationem vix evitabile eſt, id omnino eſt diſuadendum.

319. Q. 3. *Quid judicium formabit Confeſſarius circumforanei, qui fatetur ſe ad efficaciam ſui remedii exhibendam ſumpſiſſe venenum, vel à vipera ſe morderi permiſiſſe cum valetudinis diminutione?* ℞ Ut judicium rectum formetur diſquirendum ex tali eſſe: an valetudinem lædendam præviderit? Si ità; diſquirendum porrò: an graviter, vel leviter lædendam præviderit? ac ita de gravitate, vel levitate peccati facilè judicabit. Si verò ſe lædendam non prævidit, ſed poſt frequentia experimenta citra læſionem facta caſu aliquo læſio conſecuta eſt, peccato immunem cenſebit. Sayr. cit. c. 9. n. 27. Navarr. Tamb. &c. Ratio eſt: quia periculum vitæ, aut gravis læſionis excuſatur per remedium moraliter certum. Idem dicendum de funambulonibus, & ſimilibus, qui joco utuntur cum vitæ periculo. Ità rurſus Mart. Navarr. in Manual c. 15. n. 8. cum Petro Navarro l. 2. de reſtit. c. 3. n. 8. & aliis paſſim. Ratio eſt: quia in his prudentûm arbitrio arte acquiſita periculo obviatur. Et licet quandoque

doque ſeu mors, ſeu gravis læſio eveniat; hæc tamen omninò ſunt tantùm accidentalia.

Q. 4. *Quid de illis judicandum, qui, nè militiæ adſcribantur, articulis pedum, vel manuum ſe ſe mutilant?* ℞. Hos peccato gravi non excuſari; niſi ex ignorantia id faciant. Ratio eſt: quia uſurpant ſibi Jus, quod ſolus Deus in membra habet. Neque periculum vitæ in militia amittendæ in excuſationem poteſt ſervire: cùm admodùm ſit remotum, & incertum. Idem potiori Jure dicendum de iis, qui etiam amore virtutis ſe ipſos caſtrant. S. Th. 2. 2. q. 65. a. 1. Leſs. Molina &c. ac ideò ſimiliter peccant parentes, qui filios, ut cantui utiliores evadant, licèt conſentientes caſtrant. Laym. l. 3. de Juſt. tr. 2. p. 3. c. 1. n. 1. & 2. Ratio eſt eadem: quia nec qui ſeipſos caſtrant, nec parentes, qui filios caſtrant, jus in corpus habent. 320.

Q. 5. *Quid judicandum de militibus, qui navem, quâ vehuntur, aut turrim, in qua morantur, pulvere pyrio ſuccendentes ſe unà vitâ privant, nè navis in hoſtium manus deveniat?* ℞. cum Lugone de Juſt. D. 10. n. 51. Licitè id ab illis fieri boni publici causâ: licitè enim, & juri naturali conformiter pars incolumitatem ſuam exponit pro toto. Unde etiam ſi hoſtis innocentem civem expetat, alioquin urbem certò everſurus, licitè talis, imò cum obligatione ſe hoſti ex- 321.

tradit, & ſi jubente communitate id facere recuſet, ùt nocens, & contumax occidi poteſt. Laym. cit. n. 4. Leſs. Nav. & alii paſſim. E contrà illicitum exiſtimo id eo solùm fine exercere, nè in manus hoſtium veniant, & ab iis occidantur: nemini enim licet in occiſionis periculo ſeipſum vitâ privare. Ratio data eſt: quia nemo eſt vitæ ſuæ Dominus.

322. Q. 6. *An reum gravis peccati cenſebit maritum, qui uxorem in adulterio depræhenſam occidit?* ℞. Affirmativè. Ità D. Th. 2. 2. q. 60. a. 1. Navarr. Mol. Sà &c. Ratio eſt: quia jure Divino naturali prohibetur à Deo vindicare ſe occidendo authoritate privata. Unde leges civiles, quæ aliquando talem occiſionem impunè fieri permiſerunt, meritò ſunt correctæ. Idem applica Patri in ſimili caſu filium occidenti. Ratio ulterior eſt: quia licèt maritus in uxorem, Pater in filium aliquo jure gaudeant, jure tamen in vitam, quod uni Deo competit, minimè gaudent. Proindè ad occiſionem juſtam authoritas publica à Deo participata neceſſariò requiritur. Hinc meritò ab Alex. VII. damnata eſt ſequens propoſitio n. 19. *Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehenſam.*

323. Q. 7. *An peccato excuſabit Confeſſarius pœnitentem, qui ad defenſionem honoris cum moderamine inculpatæ tutelæ aggreſſorem occidit?* ℞. Affirmativè. Unde ſi nobilis vir aut miles

miles invaſus ſit ab altero, qui fugiendo rixam vitare, & vitæ periculum evadere poteſt, ſed tamen propter fugam magnam incurreret ignominiam, non tenetur fugere. Eſt communiſſima ſententia Moraliſtarum quorum 96. recenſet vindex Gobati prop. 11. plures vindex Tabernæ ad prop. 7. & 8. Ratio eſt: quia talis habet jus perſiſtendi in loco, nè incurrat tam grave incommodum. Excipiuntur tamen Clerici, & Religioſi, utpote quorum humilitati, & manſvetudini exemplo Chriſti conformandæ fuga magis congruit, nec facilè illis indecora eſſe poteſt. Dixi autem: *aggreſſorem:* nam ſi quis ſolam famam, & honorem invadat, eum occidere non licet. Rationem dat La Croix l.3. p.1. n. 800. quia occiſio infamatoria non eſt certum medium conſervandi famam, imò ſæpe plus eam inficit. 2dò: quia talis defenſio famæ eſſet in certam & maximam perniciem Reipublicæ: plurimæ enim ex hac licentia occiſiones paſſim ſequerentur. Cenſet tamen Card. in Criſi 2. c. 2. a. 4. ſi honor impetatur non verbo tantùm, ſed etiam facto, ùt ſi maritus ſciret adulterum certâ horâ velle ad uxorem ingredi, licere tunc honorem armis tueri, ac tali gladium opponere, licèt ex defenſione reciproca adulterium machinantis occiſio conſequatur. Ad firmandum Reſponſum attexo propoſitiones damnatas ab Alex. VII. vi-

Digitized by Google

delicet n. 17. *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.* n. 18. *Licèt interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ viâ non poteſt innocens damnum evitare.* Innocent. itèm XI. hanc n. 30. damnavit: *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel fuſtis ictum fugiat.* Ex quibus liquet ſententiam oppoſitam March. Reſol. Paſtor. c. 5. q. 3. n. 2. aliorúmque non paucorum omnem jam probabilitatem amiſiſſe.

324. Q. 8. *An peccati condemnabit Confeſſarius pœnitentem, qui dicit furem ad tuendam rem familiarem à ſe occiſum?* ℞. Negativè, ſi res defenſa non levis, ſed magni fuit momenti, ſuppoſito, quòd aliter ſervari non potuerit. Card. in 2. Criſi d. 21. n. 76. cum torrente DD. quorum plures, quàm centum adducit Vindex Tabernæ ad prop. 8. Contrarium dicendum ſi res ſit parvi momenti. Magnitudo autem, & parvitas alia eſt *abſoluta*, alia *reſpectiva*; *abſoluta* eſt

eſt juxta eundem Carden. reſpectu omnium ſumma 40. Imperialium, quòd verò infrà eſt, cenſet eſſe parvi momenti. Sed hoc non ſimpliciter eſt accipiendum: nam reſpectu minùs habentium minor etiam quantitas e. g. unus, vel alter aureus, magni momenti eſt; imò minus etiam reſpectu extremè pauperis. Unde huc reſpiciendum Confeſſario, ut rectum de occiſione tali judicium formet. Porrò res illa, pro qua tuenda licitum eſt alterum occidere ſicut magni, ſaltem reſpectivè, momenti eſſe debet, ſic debet actu poſſideri, & à fure, vel raptore actu invaſionem, ſaltèm per proximas inſidias pati. Unde ſolum jus inchoatum non ſufficit. Quæ omnia bene declarant tres ſequentes propoſitiones ab Innoc. XI. damnatæ, quarum prima eſt n. 31. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.* 2da eſt n. 32. *Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* 3tia eſt n. 33. *Licitum eſt tam hæredi, quàm legetario contra injuſtè impedientem, nè vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.* Cæterùm quæ de licita defenſione dicta ſunt, applicari etiam Clericis poſſunt, ùt docet. T. 6. D. 3. qu. 2. n. 17. Moya. cum

 aliis

aliis bene multis. Intelligi etiam poſſunt de caſu, quo fur cum rebus ſurreptis fugit, ſi eædem res aliter recuperari non poſſint, ùt idem Moya ibidem cum Diana, & aliis tradit. An verò quis contra invaſorem ad extorquendum unum aureum, vel aliam rem momenti non magni ſe ità defendere poſſit, variant Authores. Cardenas, Lugo, Molina Leſs. &c. tenent affirmativam; in negativam La Croix l.3. p.1. n.817. cum aliis propendere videtur. Ratio eſt: quia nemo magìs æſtimare debet rem momenti non magni quàm vitam invadentis. Unde ſi occiſio prævideatur, oportet rem talem potiùs amittere, quam vitam invadentis periculo prævifo exponere. Applicari 3tiò poſſunt defendenti res proximi Domino abſente, aut defendere non volente; occidere tamen hic non tenetur, ſicut nec tenetur Dominus rei, quæ invaſionem patitur.

325. Q.9. *Quid cenſendum de Matre, quæ nè ipſa moriatur animatum fœtum velut invaſorem occidit? & abortum procurat?* R. cum Sanchez l.9. de Matr. D. 20. n.14. Si id directa intentione faciat, cenſendam eſſe graviter delinquere. Ratio eſt: quia directè operatur ad occiſionem innocentis, quod intrinſecè malum eſt. Unde mulier talis non poteſt licitè medicinis uti directè ad fœtûs occiſionem ordinatis. Nec obſtat:

quòd

quòd fœtus ſit aggreſſor vitæ maternæ: licèt enim aggreſſor ſit, præterquàm tamen quòd innocens ſit, & non injuſtus, ſalus ipſius per Baptiſmum acquirenda vitæ temporali matris eſt præferenda. Poteſt tamen talibus medicinis uti, quæ directè ad morbos, malignos humores pellendos, & valetudinem reſtaurandam diriguntur; tametſi per accidens fœtûs occiſio ſubſequatur. Cujus ratio eſt: quia actiones humanæ bonitatem, & malitiam deſumunt ex intentione, non autem ex effectu per accidens, & præter intentionem ſecuto. Quod idem dicendum de Medico, & Obſtetricibus medicinas applicantibus. Excipe cum Sanch. cit. n. 17. niſi judicio Medicorum probaliſſima ſpes eſſet Matre mortua fœtum ſupervicturum, ut baptizari poſſit. Huc pertinet duplex propoſitio ab Innoc. XI. damnata n. 34. & 35. Prioris verba ſunt: *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, nè puella gravida deprahenſa occidatur, aut infametur.* Alterius tenor eſt: *Videtur probabile omnem fœtum, quàmdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eam habere, cùm paritur, ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* Ex quibus liquet etiam procurationem abortûs fœtûs inanimati (excepto caſu dictæ Matris vita periclitantis) graviter illicitam eſſe.

826. Q. 10. *An vir nobilis in Aula Regia, vel militaris in caſtris provocatus ſiſtens ſe meræ defenſionis gratiâ cum ſpe prævalendi, alioquin ob ſuſpicionem ignaviæ privandus dignitate, officio, vel Principis favore cenſendus ſit mortaliter deliquiſſe?* ℞. Pro negativa à Buſenb. l. 2. c. 1. dub. 5. a. 1. citari quidem Hurtad. Nav. Leſſ. Fill. Affirmativa tamen ſpectata Pontificia damnatione propoſitionis ſuprà adductæ omnino videtur tuenda, ſi honor quantumcunque demùm unicè fuit periclitatus. Idem dicendum videtur, ſi cum honore etiam bona fortunæ periclitata ſunt e. g. ſi cum officio ſalarium fuit amittendum. Rationem dat Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5. n. 2. quia talis acceptatio res plena eſt ſcandali, & peſſimi exempli, ob quæ duella privata tum à poteſtate Eccleſiaſticâ, tum civili tam graviter ſunt prohibita. Nec facilè omnis occaſio deeſſe poteſt, quâ bona ſeu famæ, ſeu fortunarum vir talis conſervet, præſertim ſi ad has ipſas prohibitiones ſe ſe revocet, dicátque provocanti, ùt loquitur Buſenb. cit. ſe eum non æſtimare dignum, cum quo congrediatur contra leges Divinas, & humanas. Interim iturum ſe indies libere ſuas vias, paratúmque ſemper fore, & nunc eſſe contra quemvis invaſorem ſe tueri. Cæterùm obſerva ad duellum legibus prohibitum requiri, ut tam locus, quàm tempus copulativè à congredi, &

armis

Digitized by Google

armis decertare volentibus determinentur; in defectu proindé talis deſignationis non duellum eſt, ſed rixa tantùm. De hac

Q. 11. *Quandonam Confeſſarius pœnitentem rixoſum cenſere debeat mortaliter deliquiſſe?* ℟. Pro hoc inquirendum eſſe: an qui rixam confitetur invadens fuerit, vel invaſus? Si invadens fuit, & graviter percutere voluit, ſeu reipſa percuſſit, graviter deliquiſſe cenſebitur. E contrà ſi invaſus fuit, & cum moderamine ſe ſolùm defendit, id eſt, animo illatam injuriam duntaxat avertendi, peccato ſimpliciter excuſabitur; reus verò venialis cenſebitur, ſi moderamen leviter exceſſit; gravis etiam, ſi vindictà inflammatus gravem læſionem ſeu intulit, ſeu inferre voluit March. Reſol. Paſt. c. 5. n. 18. cum aliis paſſim. Rixæ verò puerorum ordinariè veniale non excedunt, eò quòd ordinariè ex parvo odio proficiſcantur. 327.

Q. 12. *An duellantes authoritate privata à quolibet Confeſſario abſolvi poſſint?* ℟. Si unus, vel ambo in mortis articulo deprehenduntur, à quolibet etiam ſimplici ſacerdote talem, vel talès abſolvi poſſe, quantum ad forum internum. Juxta Laym. tamen cit. n. 4. abſolvere duellantes, eorúmque ſocios, & fautores poſſunt Confeſſarii Ordinum Mendicantium vi ſuorum privilegiorum, ſicut ab aliis cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis ex declaratione Clement. 328.

VIII. Excipiuntur ſoli Confeſſarii in Italia extra Urbem, quibus hæc facultas per decretum Congreg. Card. ex mandato ejusdem Clem. VIII. editum, eſt denegata.

329. Q. 13. *Ad qualem reſtitutionem Confeſſarius obligabit eum, qui ſeu homicidium intulit, ſeu alterum læſit?* ℟. Huc ſervire regulan de injuſta damnificatione, juxta quam ad damna omnia compenſanda, quæcunque, & quibuscunque illata ſunt, inferens obligabitur. Ex quo ſequitur: ſi læſus non illicito mortuus eſt, lædentem teneri ad expenſas factas in curationem, 2dò ad lucrum ceſſans, quod læſus incurrit, & judicio prudentûm æſtimari debet, 3tiò ſi læſus mortuus eſt, tenetur ad ſatisfaciendum uxori, & prolibus occiſi. Itèm juxta Laym cit c. 6. n. 4. Molinam, Leſſ. &c. Creditoribus, qui à ſolutione impediti ſunt, & per hoc damnum paſſi. Non tenetur tamen ad expenſas funeris: quia hæ etiam ob mortem naturalem faciendæ fuerunt. Animæ quoque occiſi nihil reſtituere tenetur ex juſtitia. Ex conſilio verò imponendæ ipſi ſunt orationes frequentes, Miſſæ, eleemoſynæ, cum media ſuppetunt, pro anima defuncti perſolvendæ.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS XII.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis Luxurioſi.

§. I.

PRÆMITTENDA.

PRæmitto 1mò: *Luxuriam*, quæ eſt vi- 330.
tium oppoſitum caſtitati, paſſim definiri ſic: *eſt inordinatus appetitus vel uſus venereorum.* vel: *eſt amor concupiſcentiæ inordinatus circa voluptates venereas.* Conſiſtit autem inordinatio in hoc: quòd ſeu amor, ſeu appetitus, ſeu uſus non ordinetur ad finem à natura præfixum, qui eſt prolis generatio, ùt contingit in pollutione; vel quod fiat modo indebito, & inconveniente, ùt evenit extra matrimonium, & in matrimonio, ſi non ſervetur debitus concumbendi modus. Dividitur *in non conſummatam*, & *conſummatam. Non conſummata* eſt, quæ actu venereo non completur, ſed vel in cogitatione, vel aſpectu, vel auditu, vel tactu, vel loquelâ, vel motu carnali ſiſtit. *Conſummata* eſt, quæ opere venereo completur. Dividitúrque in ſeptem ſpecies, videlicet *in fornicationem, adulterium, inceſtum, ſtuprum, raptum, ſacrilegium, & peccatum contra naturam.* De ſingulis ſingillatim:

Priùs tamen obſervo, quod alias innui; 331.
omne peccatum luxuriæ caſtitati repugnans

etiam

etiam cogitatione ſola cum plena advertentia, & conſenſu commiſſum grave eſſe, atque mortale. Ratio eſt: quia omnis etiam modica delectatio juncta eſt periculo majoris; cùm ob vehementem naturæ noſtræ in hoc vitium inclinationem, quam in poteſtate non habemus, ſtatui non poſſit terminus oblectationi; nec dicere poſſimus: hucusque, & tanta ſolùm oblectatione me delectabo; ſicut volens injicere ſcintillam in pulverem pyrium dicere prudenter non poteſt: hucusque ſolùm pulverem ſuſcendere paro. Unde licèt quis levem delectationem quærere vellet, meritò dubitare deberet, nè levi gravior ſccedat. Ex quo ulteriùs ſequitur periculum grandis corruptionis in genere humano: cum enim venialia peccata paſſim exiguè curentur, paſſim quoque vitio huic, & longè ampliùs, quàm aliis, iudulgeretur, ſub hoc prætextu: quòd veniale non excedat; cùm tamen actibus frequentatis ignis ſemper magis, & magis creſceret, & communitates integras paſſim inflammaret. Quam proindè ſententiam Clemeus VIII. & Paulus V. non tantùm approbârunt, ſed etiam præceperunt denutiari eos Inquiſitoribus, qui docerent amplexus, & oſcula libidinoſa non eſſe mortalia. Alexander etiam VII. damnavit ſequentem propoſitionem n. 40. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit tantùm eſſe veniale oſculum habitum ob delecta-*

tio-

tionem carnalem, quæ ex oſculo oritur ſecluſo periculo conſenſûs. & pollutionis.

Præmitto 2dò: Luxuriæ vitium initium 332 ſuum ſumere *à ſimplici complacentia* de objecto venereo, ſeu ad generationem ordinato, quæ complacentia etiam *delectatio moroſa* dici ſolet, non quidem à mora temporis longiore, ſed à mora, quæ ſufficit ad peccandum. Unde tametſi quis de objecto venereo modiciſſimo etiam tempuſculo ſibi complaceat, dummodò plenè ad objectum hoc advertat, & plenè conſentiat, mortaliter peccat. Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. n. 166. cum Diana & aliis communiter. Dixi, *de objecto venereo:* nam de cogitatione ſolùm, licèt hæc circa rem malam e. g. fornicationem occupetur, delectari per ſe malum non eſt: alioquin quivis in notitia vitiorum Luxuriæ ſibi comparata ſpectata ſecundum ſe, & ſecluſo malo fine ſibi complacendo malè ageret & peccaret. Laym. tom 1. l. 1. tr. 3. c. 6. n. 1. cum D. Th. 2. 2. q. 74. a. 8. & aliis paſſim. Sic etiam malum non eſt delectari de modo ingenioſo, vel lepido ſecundùm ſe ſpectato, quo quis objectum etiam venereum proſequitur v. g. exercendo raptum. Azor. l. 4. c. 6. p. 1. &c. Requiritur itaque ad delectationem peccaminoſam, ut ſit *de ipſo objecto malo.* Id tamen intelligendum eſt de iis, qui extra matrimonium ſunt conſtituti, quales ſunt cælibes, & vidui, atque viduæ: nam

nam conjux oblectans ſe de copula maritali licita cum uxore propria ſeu habita, ſeu habenda, non peccat ſaltèm mortaliter. Sanch. l. 9. de Matr. D. 44. n. 22. Palud. Medina &c. veniale tamen cenſet Cajet. cujus ratio eſt: quia nec pietas, nec neceſſitas ſuadet hanc mentis occupationem. Ex quibus ſequitur: licèt ſponſis liceant oſcula, & amplexus in ſignum affectûs; delectari tamen de impudicis eſſe ſub mortali illicitum. Sanch. cit. D. 46. n. 47. Gob. tr. 10. n. 670. cum communi.

333. Præmitto 3tiò: Delectationem moroſam ſæpe conjungi cum motibus venereis, ſeu motibus partium generationi deſtinatarum, quos non repellere, eò quòd placeat res cogitata, & hinc exorti motus, mortale docet Laym. cit. n. 7. cum D. Th. de veritate q. 15. a. 4. ad 10. Navarr. Tolet. &c. Ratio eſt: quia non repellendo, indirectè, & interpretativè in carnalem motum conſentitur. An vero mortale ſit eos non reprimere: quia negligens eos reprimere novit conſtantiam ſuam in non conſentiendo probabilis eſt in utramque partem DD. ſententia; cenſet tamen idem cit. Laym. n. 8. exerceri tunc oportere actum formalis diſplicentiæ, animùmque ad alia objecta convertere, ut hoc pacto periculum conſenſûs à mala naturæ noſtræ inclinatione oboriri ſolitum evitetur, ùt c. *etſi Judæos.* De Judæis, dicitur: *mus in pera, ignis in*

in ſinu, ſerpens in gremio, malè ſuos remunerant hoſpites. Et hæc etiam motibus venereis conjugatorum ex conjugis abſentis apprehenſione ſubortis applicanda eſſe cenſent nonnulli; probabilior tamen eſt oppoſita, quam tenet Sanch. cit. D. 44. n. 3. tales conjugatos his moribus etiam voluntariè admiſſis mortaliter non peccare dummodò periculum pollutionis abſit. Ratio eſt ex D. Th. q. 15. de malo a. 2. ad 17. quia cum actus venereus, itèm aſpectu uxoris oblectari, apud illos mortale non ſit, nec erit mortale delectari tali commotione. A veniali tamen non excuſantur, ſi delectatio hæc ad debitum finem, qui eſt bonum prolis, non referatur, ùt idem Sanch. notat n. 5. cum Vaſq. Palud. &c.

Præmitto 4tò: *Oſcula, & amplexus* inter ſolutos, ſi non intendatur delectatio venerea, ſed ex honeſto fine fiant v.g. ex amicitia, patrio more, vel ad fovendum amorem in ordine ad matrimonium, ut fit inter ſponſos, peccato carere, quamvìs per accidens oriretur motus venereus. Similiter ſi placeat tactus corporis ob ſolam ſproportionem, ſeu connaturalitatem cum organo tactus, peccatum non eſt, per ſe loquendo, quia tactus rei blandæ, ſicuti & viſus rei pulchræ, organa ſenſuum naturaliter delectat, Si verò ex levitate, joco, curioſitate exerceantur, peccata ſunt, ſed venialia tantùm. In qua triplici doctrina 334.

paſſim

paſſim Authores conveniunt. E contrà ſi finis ſit venereus, vel objectum valde turpe, quale ſunt verenda, mortalia ſunt, niſi neceſſitas excuſet, aut animi inadvertentia. Sporer in Tyroc. Sacram P. 4. n. 345. Idem ordinariè dicendum de aſpectibus, oſculis, tactibus, quæ cum ardore aut cum longiore mora fiunt. Ratio eſt morale periculum conſenſûs in delectationem veneream. Talia ſunt, quæ fiunt in ore diu replicatâ linguâ unius ore alterius exceptâ, ùt idem Sporer bene annotat n. 346. Aſpicere, & tangere animalia etiam in genitalibus eſt veniale tantùm de ſe, uti & prolicere ſemen. Communiter tamen non caret periculo: cùm ordinariè motus, aut delectatio venerea ſoleat ſuboriri. Diana p. 2. tr. 17. Reſol. 37. Tamb. &c.

355. Præmitto 5tò: *Turpiloquium*, ſicut aſpectus, oſcula, amplexus, ſi ex bono fine v. g. ſtudii causâ fiat peccato non ſubjacere; ſi verò fiat ex fine venereo, ex genere ſuo mortale eſt, ſicut venerea delectatio. Leſſ. l. 4. c. 3. d. 8. n. 53. Fill. Tamb. & alii communiter. Excuſari tamen poteſt obſcænos ſermo, ſi inſtituatur *præcisè* ob voluptatem, quæ capitur ex ipſa narratione, aut lepore narrationis, ùt iidem Authores cum aliis tradunt. 2dò: Si inſtituatur *præcisè* ad vanum amorem conciliandum. Sanch. l. 9. de Matrim. D. 46. n. 37. 3tiò ob vanum ſolatium ex poëſi, vel artificio ſermonis

monis capiendum, ùt idem Sanch. tradit n. 35. 4tò: Si *præcisè* fiat ad fallendum tempus, ùt fieri ſolet à junioribus opificibus, & ancillis ad colum. Tamb. in Decal. l. 7. c. 8. §. 4. n. 1. 5tò: Si præcisè fiant ex joco, ùt fit inter juvenes ruſticanos. Leſs. l. 4. c. 4. d. 13. n. 97. 6tò: Si inſtituatur inter conjugatos. Fill. n. 208. Sanch. n. 36. ubi etiam monet cavendum in his caſibus eſſe ſcandalum, & eò quidem magis, quò debiliores ſpiritu ſunt audientes. Addendum prætereà eſt, hæc turpiloquia, licèt *præcisè ut in ſe ſpectata* venialia tantùm cenſeri poſſint; non ideò tamen magno periculo carere, nè ea inſtituens ideo: quia venialia ſunt, in turpem delectationem ex iis moveatur, & deſideria peccandi exoriantur. Ratio eſt: quia longè aptiſſimus fomes ſunt ad turpes ignes concipiendos ſpeciebus in phantaſia ùt ſuaviter, ſic fixè radicatis. Idem concionibus applica.

Præmitto 6tò: *Fornicationem* (quæ eſt naturalis concubitus perſonæ ſolutæ cum ſoluta, ſeu quæ non eſt obſtricta voto, vel matrimonio ligata) ex conſenſu mutuo, mortaliter eſſe illicitam. D. Th. 2. 2. q. 154. a. 2. Valent. Navarr. Tolet. & alii communiter. Idque non tantum: quia jure Divino prohibita eſt, ſed etiam: quia jure naturali inhibetur: cùm ratio naturalis dictet, ut proles non ſolùm educetur, & nu- 336.

triatur quoad corpus, ſed etiam quoad animam, ut inſtruatur, & defendatur, cui repugnat vagus fornicantium concubitus. Hinc meritò damnata eſt ab Innoc. XI. ſequens propoſitio n. 48. *Tam clarum eſt fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam: quia interdicta; ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.* Ex his cenſet Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. n. 544. cum Diana inter Chriſtianos in hoc vitio ignorantiam invincibilem non dari. Fornicatio committitur etiam cum vidua Navarr. in Manuali c. 23. n. 62. Sayr. &c. Ratio eſt: quia vidua verè eſt ſoluta. Sic etiam: Si meretrix, & concubina ſolutæ ſint, peccantes cum ſoluto puram fornicationem committunt. Eſt autem *meretrix*, quæ indifferenter ſe exponit omnibus; *concubina* verò eſt, quæ uni ſi continuatè ſe exhibet, ut ſit velut cohabitatio quædam, acſi matrimonio eſſet juncta.

337. Præmitto 7mò: *Adulterium* (quod eſt acceſſus ad alienum thorum, ſeu alterius thori violatio juxta S. Th. 2. 2. q. 154. a. 8.) præter mortalem malitiam fornicationis etiam dicere mortalem malitiam contra juſtitiam, ſimplicem quidem ſi una tantùm pars ſit matrimonio ligata; duplicem ſeu mutuam, ſi utraque pars matrimonio ſit obſtricta. Ratio eſt: quia graviter læditur jus conjugis non peccantis. Cui non obſtat,

obſtat, quòd conjux conſentiat: quia jus non tam alligatum eſt perſonæ, quam ipſi matrimonio. Juſtè proinde damnata eſt ab eodem Innoc. XI. prop. n. 50. *Copula cùm conjugata conſentiente marito non eſt adulterium, adeóque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.*

Præmitto 8vò: *Inceſtum* communiter 338.
definiri ſic: eſt illicitus concubitus cum perſona conſanguinea, vel affini intrà gradus prohibitos. Eſt pariter mortale contra jus naturale, quo homo debet reverentiam parentibus, & per conſequens conſanguineis; de quo tractat D. Th. cit. cit. q. a. 9. Addit itaque etiam inceſtus fornicationi novam malitiam hujus irreverentiæ. Sunt autem in conſanguinitate, & affinitate ex copula matrimoniali prohibiti gradus quatuor, ùt colligitur ex cap. *non debet*. de conſanguinitate, ubi dicitur: *Prohibitio copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum - - - non excedat.* In affinitate verò ex copula fornicaria primi duo gradus ùt deſumitur ex Trident. Seſs. 24. c. 4. de Reform. Ob gradum tamen viciniorem ex probabiliore ſententia nova ſpecies non contrahitur. Inceſtus etiam committitur in cognatione legali. Stoz. l. 3. p. 3. q. 3. n. 547. Committitur item in cognatione ſpirituali ratione Baptiſmi, & Confirmationis; non tamen inter deſcendentes, ſicut nec inter de-

deſcendentes cognatio contrahitur. Porrò inceſtus conjunctus eſt cum privatione juris petendi debitum conjugale. Excipit Sanch. l. 9. D. 29. n. 7. inceſtum cum propriis conſanguineis, ob quem cenſet inceſtuoſum jure petendi debitum non privari.

839. Præmitto 9nò: *Stuprum* eſſe violentam Virginis deflorationem, ob quam violentiam ſpecie differt à ſimplici fornicatione. Tamb. Meth. Conf. l. 2. c. 7. §. 8. n. 56. cum S. Th. cit. a. 6. Valent. Navarr. & communi.

840. *Raptus* verò eſt actus peccaminoſus luxurioſus, quo perſona aliqua honeſta cum violentia abducitur ad turpem actum, ſeu libidinis causâ, ùt rurſus tradit D. Th. cit. a. 7. cum communi. Nec refert: an perſona ſoluta ſit? an ligata? Differt à ſtupro: quia præter violentiam dicit abductionem causâ libidinis exercendæ. Itèm quod raptus eſſe poſſit etiam reſpectu non Virginis. Stoz. cit. n. 545. Ex quibus conſtat requiri ad verum Raptum 1mò: Violentiam. 2dò: Ut fiat libidinis inhoneſtæ causâ. 3tiò: ut fiat de loco in locum abductio, licèt ad terminum non perveniatur. 4tò: ut perſona abducta ſit honeſta. Porrò violentia eſt, ſi perſona talis rapiatur ex poteſtate Parenrum, vel Tutorum, licèt illa conſentiente. Itèm ſi illi conſentiant, perſona verò non conſentiat. Excipe: niſi prius ſponſalia contracta eſſent.

Sacri-

Digitized by Google

Sacrilegium eſt violatio rei Sacræ per actum venereum. D. Th. cit. a. 10. cum communi. Addit fornicationi ſpeciem malitiæ contra Religionem, poteſtque conjungi aliis etiam luxuriæ ſpeciebus, ùt adulterio, ſtupro, inceſtui &c. Dixi : *Rei Sacræ,* quia non committitur ſolùm violando perſonam ſacram, ſed etiam violando locum ſacrum. Dicitur autem hic *perſona Sacra* non tantùm perſona voto ſolemni caſtitatis, ſed etiam voto ſimplici obſtricta, ùt tenet communis. Unde etiam votorum horum diverſitas novam ſpeciem non addit Fill. tr. 30. c. 7. n. 124. cum aliis. Quòdſi utraque perſona voto ligata ſit, duplex numero malitia contrahitur. Ità idem Fill. n. 125. 341.

Præmitto 12mò : *Peccatum contra naturam* eſſe actum, quo ſemen humanum ſinè ſpe ſecuturæ generationis prodigitur. Dividitur in tres ſpecies, videlicet in *mollitiem*, ſeu *pollutionem*, *ſodomiam*, & *beſtialitatem*. *Mollities* eſt voluntaria ſeminis effuſio absque copula causâ libidinis venereæ explendæ. Eſt ex communi, & recepta ſententia peccatum mortale. Specie tamen una ab altera non differt, nisi per accidens ratione perſonarum, quarum congreſſum aliquis dum ſe polluit cogitat, vel deſiderat. Stoz. cit. n. 549. & alii paſſim. Huc ſpectat damnata ab Innoc. XI. prop. n. 49. *Mollities jure naturæ prohibita non eſt. Unde* 342.

ſi Deus eum non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali. Poteſt autem pollutio contingere tum in ſomno, tum in vigilia, tum partim in ſomno, partim in vigilia, ſeu in ſemi-dormientibus. Illa, quæ in ſomno evênit, in ſe peccatum non eſt defectu usûs rationis; quæ verò ſemi-dormientibus evenit, veniale non excedit defectu pleni usûs rationis; quæ demum plenè vigilantibus voluntariè evenit ſola in ſe eſt peccatum mortale: in his enim ſolùm plenus rationis uſus ad mortale requiſitus non deficit. Regin. l.22. S. 9. n. 41. cum communi. Ubi tamen advertendum: quòd illæ pollutiones, quæ in ſe malitiam mortalem non attingunt, eam habere poſſint *in cauſa*, quæ cum præviſione pollutionis plenè deliberatè eſt volita. Item mortalem fieri poſſe ex complacentia pollutionem conſecuta, ut ſi quis pollutionem in ſomno paſſus plenè ab eo excitatus in ſordida hac voluptate ſibi complaceat. Navarr. in Enchir c. 17. n. 7. & 8.

343. Cæterùm ut pollutio in cauſa mortalis ſit, ex communi Doctorum ſententia hæc ſtatui poteſt regula: ſi cauſa pollutionis ſit peccatum mortale in genere luxuriæ, & ipſa quoque pollutio indè ſecuta mortalis erit; ſi autem cauſa fuerit ſolùm venialis, etiam pollutio venialis erit. Venialiter etiam contra caſtitatem peccari cenſet

Spo-

Sporer in Tyroc. Sacram. p. 3. n. 335. Si cauſa ſit peccatum mortale, non tamen in genere luxuriæ. Talis cauſa eſſet, ſi quis ex comeſtione carnium die Veneris, vel ex ebrietate prævideret ſecuturam pollutionem; quam tamen de ſe non intenderet. Sed rectiùs docet La Croix l. 3. p. 1. n. 924. licèt tali caſu peccetur contra temperantiam, pollutione tamen nullatenus peccari contra caſtitatem. Si denique cauſa nullam culpam in ſe habeat, neque pollutio habebit. Ad videndum itaque, an pollutio in cauſa peccatum ſit? & quale? diſpicienda eſt cauſa. Ac itàt ſi quis poſt deſideria obſcæna, turpiloquia, aſpectus, tactus impudicos mortaliter malos in ſomno paſſus eſſet pollutionem ex phantaſiæ eorundem deſideriorum &c. repræſentatione, cùm cauſa mortalis ſit, etiam pollutio mortalis erit. Si verò paſsûs eſſet poſt aſpectus, vel tactus curoſios ſolùm, cùm cauſa tantùm venialis ſit, etiam pollutio tantùm venialis erit. E contrà ſi paſſus eſſet poſt licitam æquitationem, decentem menſam, ſtudium, auditas confeſſiones ſecluſo conſenſu, aut complacentiâ deliberatâ, nullatenus culpabilis erit; imò, ſi virtuosè reſiſtatur, vi hujus reſiſtentiæ meritoria evadet. Excipe: niſì priùs per actionem de ſe licitam intenta fuiſſet: intentio enim, & deſiderium efficax pollutionis, etiam causâ valetudi-

tudinis habendæ, ſemper eſt mortale. Sayr. in Clavi Regia l. 8. c. 5. n. 7. Tolet. & alii paſſim. Excipe 2dò: cum Regin. l. 17. S. 9. n. 42. niſi ex cauſa licita ſæpius proveniret pollutio cum conſenſu: tunc enim obligatio foret talem cauſam intermittendi.

344. Huc ſpectat *diſtillatio*, de qua Sanchez. l. 9. de Matr. D. 45. in principio ait: Ex membro pudendo præter urinam, & ſemen procedere aliquando tertium quendam humorem medium, qui ſemini eſt ſimilis in colore, & infectione, carníſque commotione, quæ ipſum aliquando comitatur; diſſimilis autem in eo, quòd non ſit ità mordax, & craſſus, faciliúſque fluat, nec cum tanta carnis commotione, & in minore copia, atque aliquando imperceptibiliter, & ſinè carnis motu. Solet autem appellari *diſtillati*, de qua, niſi eam rebellio carnis comitaretur, non eſſet magis curandum, quàm de ſudore. De hac tractans Regin. cit. n. 45. tradit, quantum ad cauſas eo ferè modo diſcurrendam eſſe, quo de pollutione. Rationem dat: quia diſtillatio eſt quædam inchoata pollutio.

345. *Sodomia* eſt congreſſus cum ſexu indebito ùt maris cum mare, fœmina cum fœmina; vel cum ſexu quidem debito, ſed non ſervato vaſe, & modo debito. Prior *perfecta* eſt, poſterior *imperfecta*, differtque una ſpecie ab altera. Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. n. 550. Tamb.

Sayr.

Digitized by Google

Sayr. Navarr. Fill. & alii communiter. Requiritur ergo ad omnem ſodomiam, ùt notat Regin. l. 22. c. 3. S. 10. n. 49. corporum commixtio. Unde non eſt ſodomia, ſi mares ſe mutuò complexi, vel manu tangentes ſemen ſibi proliciant. Eſt peccatum gravius pollutione.

Beſtialitas eſt concubitus, & commixtio 346. cum beſtia, ſeu animali ab homine ſpecie diſtincto. Fill. tr. 30. c. 8. n. 161. Superat malitiâ ſodomiam, utpotè quæ ſodomiæ malitiam in congreſſu indebito conſiſtentem includit. Ad beſtialitatem ſpectat concubitus cum dæmone in aſſumpto corpore, ſive aſſumat beſtiæ corpus, ſive hominis; quia quantum eſt ex parte concubitûs ſemper eſt eadem ratio formalis, ſive motivum; quamvis ex alia ratione etiam à beſtialitate differat ſpecie, videlicet ratione ſuperſtitionis, quæ eſt in commercio cum dæmone.

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

Q. 1. *Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens præcisè confiteatur turpes cogitationes?* 347.

℞. Cognitâ advertentiâ, & pleno conſenſu (ſine quibus altèm mortales non ſunt, ùt dictum ſuprà) inquirat in numerum, ſi pœnitens eum non addat, ſicut permulti non addunt; & ſi hunc difficile

ſit reſcire, utatur regulis p. 1. c. 2. a. 2. §. 7. à q. 5. propoſitis. Numero perſpecto prudenter, & caute indaget: an non aliquâ perſonâ ſolutâ, vel conjugatâ, vel conſanguineâ ſit delectatus? Licèt enim cogitationes, & delectationes moroſæ ſecundùm ſe ſpecie non differant; ſi tamen à perſonæ ſtatu non præſcindant, ab hoc diverſam ſpeciem ſortiuntur in confeſſione explicandam. Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. n. 166. 167. Ubi addit cum Bonacin. nec excipiendos eſſe conjuges, ſi moroſè delectentur circa perſonam ſibi matrimonio non junctam. A delectatione cum pari prudentia, & cautela deſcendet ad inquirenda deſideria, & ad quod objectum fuerint directa? reſcito enim numero facilè etiam ex objecto cognoſcet eorum ſpeciem, quam ab objectis deſumunt. Laym. tom. 1. l. 1. tr. 3. c. 6. n. 15. Sanch. l. 9. de Matr. D. 46. n. 18. Deſideriis cognitis percontetur porrò: an nihil mali deſideria ſit conſecutum, ùt conſequi ſolent turpes motus, pollutio, & ipſi etiam actus? ſi pœnitens nihil conſecutum aſſerat, ultrà Confeſſarius non inveſtiget. Si verò quædam ſubſecuta fateatur, de iis juxta dicta §. præcedente judicium formet. Pro planiore tamen notitia.

348. Q. 2. *Quod judicium ferendum Confeſſario, ſi pœnitens dicat ſe deſiderâſſe pollutionem honeſto fine, qualis eſt valetudo, vel immuni-*

munitas à tentatione? ℟. Ut rectum formetur judicium, diſpiciendum priùs eſt: an affectu efficaci? an inefficaci tantùm pollutionem deſideraverit? ſi enim affectu efficaci media ad illam directè ponendo, aut ponere volendo deſideravit, dubium non eſt eum mortaliter deliquiſſe; ſi verò affectu ſimplici, & inefficaci, ut merè naturaliter, & involuntariè eveniret, admodùm multorum, inter quos Navarr. in Manual. c. 16. n. 9. Sanch. l. 1. Mor. c. 2. a. 1. n. 18. Sà v. Luxuria, Leſſ. Tolet. ſenſus eſt, deſiderium tale non eſſe illicitum. Idem dicendum de gaudio. & complacentia ex eo præcisè, quòd naturaliter, & involuntariè cum emolumento v. gr. valetudinis evenerit. Ratio horum eſt: quia complacentia, deſiderium hoc, & gaudium verſantur circa objectum, quod malum non eſt. Nec obſtat: quòd juxta prop. n. 13. ab. Innoc. XI. damnatam illicitum ſit de morte alterius gaudere, aut illam inefficaci affectu petere, & deſiderare ob aliquod temporale emolumentum. Inter gaudium enim de morte, aut deſiderium illius inefficax, & inter gaudium de involuntaria pollutione, aut ejus inefficax deſiderium, diſparitas eſt: quia mors eſt ſaltèm grave malum phyſicum, quod alteri deſiderare, vel de eo gaudere charitas prohibet; involuntaria autem pollutio ità non eſt malum phyſicum, ut etiam bonum phy-

phyſicum eſſe poſſit, ùt docet Sanch. l. 9. de Matr. D. 45. n. 14. Accedit, quòd gaudium poſt pollutionem ſit potiùs gaudium de effectu valetudinis præcisè ſumpto, quàm de cauſa. Unde ſicut licitum eſt gaudere de hæreditate poſt mortem adepta, ſic etiam licitum erit gaudere de valetudine v. g. pollutionem ſecuta. Bene tamen híc notat Sayr. cit. n. 15. ex Soto periculoſius eſſe deſiderium præcedens pollutionem, quàm ſit complacentia ſubſequens: cùm deſiderium præcedens facilè poſſit eſſe cauſa pollutionis.

849. Q. 3. *Quid judicandum de eo, qui pollutionem involuntariè paſſus eam non repreſſit; item de eo, qui involuntariè inceptam protrudendo reliquias ultimas promovit?* ℞. Ad 1. cum Sanch. l. 9. de Matr. D. 17. n. 16. Sà v. Luxuria & aliis paſſim, talem culpâ vacare. Rationem dat idem Sanch. quia id non eſt procurare, ſed pati emiſſionem ſeminis, quæ non impeditur, nè corruptus ille humor noceat. Addit communiter expedire tunc ſigno crucis ſe munire, ac dein manibus immotis Deum deprecari: nè lapſum in delectationem admittat. Quod idem dicendum de eo, qui culpâ ſuâ eam patitur, ſi pœnitendo culpam retractavit. ℞. ad 2. id omnino eſſe mortale. Ratio eſt oppoſita: quia talis promotio eſt vera fluxûs procuratio, quæ intrinſece eſt mala, ac ideò etiam ob evitandam invaletudinem, imò

imò vitam ipſam, nunquam reddi poteſt licita. Rationem dat Sanch. n. 15. primò à priori: quia ſi in ullo caſu eſſet licita talis procuratio, evidentiſſimum eſſet periculum, ut homo à paſſionis libidine excitatus paſſim ſibi perſuaderet cauſam procurandi juſtam adeſſe, ac ità ſemen prodigeret. Alteram dat à poſteriori: quia fornicari in nullo caſu eſt licitum; ergo nec procurare pollutionem, quæ gravius eſt malum, videlicèt contra naturam, quàm fornicatio.

Q. 4. *Quod remedium Confeſſarius præſcribet in vitio pollutionis habituato?* ℞. Inter omnia media ſaluberrimum conſuluerit, vel pro pœnitentia injunxerit, frequentem uſum Pœnitentiæ Sacramenti apud eundem Confeſſarium etiam juxta Toletum in Summa l. 5. c. 13. ter in hebdomade, ſi fieri poſſit, obeundi: hoc enim maximum eſt frœnum, ùt Sapientiſſimus Doctor loquitur, & qui hoc non utitur, non ſibi promittat emendationem, niſì per miraculum à Deo factum, vel rariſſimum privilegium. Huic remedio Gob. tr. 7. n. 550. addit ſequentia. Jò pro pœnitentia injungere, ut pœnitens quotidie manè, & veſſperi per tres, vel quatuor hebdomadas emittat votum caſtitatis ſervandæ pro eo die, & nocte, quo votum emittendum eſt, præſertim in honorem Sancti, cui idem pœnitens ſpecialiter afficitur. 2dò: ut manus ſuas ante aram Caſtiſſimæ Virginis eidem offerat cum 350.

firmiſſimo propoſito eas ad illicita tot, & tot hebdomadis non extendendi. 3tiò: imponere illi, ut initio mox tentationis invocet eandem immaculatam Virginem, quod fieri poteſt notâ oratiunculâ: *Per Sanctam Virginitatem, & immaculatam Conceptionem tuam puriſſima Virgo emunda cor, & carnem meam in nomine Patris &c.* 4tò: imponere, ut pœnitens votum ad tempus emittat determinatâ non levi pœnitentiâ poſt ſingulos relapſos ſe caſtigandi. Addit tamen idem Gob. graves macerationes, licèt efficax medium ſint, minus fructuosè ſuaderi. Ratio eſt: quia cuticulæ nimiùm deditis difficillimè perſuadebuntur.

351. Q. 5. *Quomodo procedendum Confeſſario cum pœnitente, qui coram aliis verbo vel facto contra caſtitatem ſe peccâſſe fatetur?* ℟. Cognitâ peccati libidinoſi natura inveſtigandum eſſe in ſcandalum: an videlicet ei inciderit; quòd ex verbis his, vel factis anſam alii ſimiliter peccandi atripere poſſent? itèm an non reipſa aliqui ad peccandum inducti ſint? ut hoc pacto dignoſcatur: an ſcandalum conjunctum fuerit? & exindè an ad reparationem ſcandali ſit obligandus? Quæ obligatio urgebit, tametſi ſcandalum non præviderit, dummodò revera ſciatur ſecutum. Præterea diſpiciendum: quot audientes, vel ſpectantes fuerint, qui ſcandalizari potuerunt, aut reipſa ſcandalizati ſunt? ut exinde numerica multitudo ſcandali

Digitized by Google

dali deſumatur. Conveniet inſimul talibus ob oculos ponere ſcandali, quod huic vitio facillimè annectitur, gravitatem, & difficillimam reparationem, quam nimia in hoc vitium ineſcatio præſertim in ætate teneriore, parere conſuevit. Ac licet ſcandalizans pænitentiâ ſyncerâ cor ſuum pravum in purum, ac mundum convertat; ùt tamen id ipſum à ſcandalizato impetret, hoc opus hic labor eſt. Meritò proinde væ! graviſſimum interminavit Divina veritas homini per quem ſcandalum venit, ut longè maximè venire ſolet per luxurioſos, quibus ùt S. Chriſtianæ Virgini oſtendit Chriſtus, totus mundus & infernus eſt repletus.

Q. 6. *Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens actum venereum ſeu copulam terminis involutis, ac ignotis confiteatur v. g.* Ich habe eine bedienet / ich bin krebſen gegangen ꝛc. ℟. Quærendum præprimis eſſe ex pœnitente: quid vocibus his intelligat? & ubi verbis congruis actum venereum explicat (quod idem etiam faciendum, niſi aliud dictent circumſtantiæ, dum clarè hunc actum illico manifeſtat) inquirendum porrò in pœnitentis, ſi ignotus eſt, & perſonæ cum qua peccavit ſtatum, ut ſpecies luxuriæ dignoſcatur. Ab hoc deſcendendum in numeri inveſtigationem. Ad particulares tamen modos, & circumſtantias nequaquam citra neceſſitatem deſcendatur: nè 352.

forte

fortè pœnitens plura addiſcat, quàm ſciat; ac ideò in generalibus interrogationibus modeſtis ſiſtendum, quàmdiu pœnitens occaſionem ulterioris interrogationis non præbet. Excipiendi tamen videntur rudes, & ruſtici, qui præter peccata operum vix aliquid agnoſcunt eſſe peccatum: hi enim rationabiliter de loquelis, tactibus impudicis, oſculis, & deſideriis interrogari poſſunt. Neque interrogandum facilè de circumſtantiis, quæ pœnitentem magno rubore afficiunt, ſi aliunde conjici, aut aliis verbis citra ruborem reſciri poſſint. Hinc puella non interroganda eſt de circumſtantia virginitatis. Cautela præſertim adhibenda circa adoleſcentes. Unde ſi tales confiteantur e. g. impudicus tactus, non inquirendum in pollutionem: nisì aliunde huic dediti noſcantur. Poteſt tamen addi interrogatio generica: an tactus nihil aliud ſit ſubſecutum, quod conſcientiam remordeat? Cæterùm cûm in inveſtigando in vitia difficillimum ſit medium tangere, & prout loquitur Regin. l. 2. n. 34. periculoſiſſimum ſit tam Confeſſario, quam pœnitenti diu immorari in examine hujus materie, ſervire poteſt Confeſſario anxio pro praxi ſequens regula ab eodem Reginaldo tradita: videlicet ſe non teneri interrogare, nisì quæ certò novit omitti à pœnitente: nec teneri interrogare, niſi conſueta hujus conditionis hominibus, & communiter nota.

Q. 7.

Digitized by Google

Q. 7. *Quid ad facilitandum laborem Confeſſarii circa hoc vitium præſtandum ſit pœnitenti?* ℞. Multùm difficultatem alleviaverit pœnitens 1mò: ſi cogitatione ſeu complacentiâ ſolâ deliquit, expreſſo numero dicat, nullum aliud peccatum fuiſſe ſubſecutum; vel è contra. 2dò: ſi deſiderio ſolò deliquit, præter numerum explicatum dicat in cujus ſtatûs perſonam, vel quale objectum deſiderium hoc fuerit directum, executione non ſubſecuta, nec alio peccato concomitante, vel è contrà. 3tiò: ſi tactibus, aſpectibus, aut turpiloquio peccavit, unà exprimat quo fine? quâ advertentiâ? quo ſcandalo? & quibus peccatorum ſequelis? 4tò: ſi opere peccavit, exponat imprimis, quâ ſpecie luxuriæ, & quo numero e.g. ſi actum venereum exercuit, an cum ſoluta? an ligata? &c. an, ſi concubuit una nocte, ſæpius actum perfecerit? ſic enim modeſtè, ac honeſtè explicatâ peccatorum naturâ parùm Confeſſario reſtabit, de quo interroget. Cæterùm juxta Navarrum in Manuali c. 6. n. 15. meretricibus expoſitis promiſcuè ſæpe ſatis eſt ſinè aliquo numero ſuum ſtatum manifeſtare ſufficienter, & dicere tanto, vel tanto tempore in hoc ſtatu fui. Sed oppoſita, quam tenet Tanner to. 4. D. 6. q. 7. dub. 3. longè eſt certior, quâ docet etiam tales teneri exprimere numerum peccatorum externorum, & ſpecies, ſaltèm principaliores, quo- 353.

ad poſſunt. Idem dicendum de Concubinario, idem de paſſim obvias concupiſcente; idem de paſſim turpiloquis ſinè delectu ſociorum, & materiæ. Gob. tr. 6. n. 400. cum Lugone, Stoz &c.

354. Q. 8. *Quid agendum Confeſſario cum pœnitente concubinario?* ℞. Reſcita ſpecie, & numero, quoad fieri poteſt, peccatorum concubinatu commiſſorum, obligandum eſſe ad eam ejiciendam, tametſi ipſi valde utilis foret ad oblectamentum, nec famula alia facilè inveniri poſſit. Deſumitur ex 41. prop. ab Alex. VII. damnata, cujus verba: *Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgò Regalo, dum deficiente illo nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.* Cui concordant prop. 62. & 63. ab Innoc. XI. damnatæ. Unde ſi eam ejicere nollet, abſolvendus minimè foret. Ratio eſt: quia nolens dimittere occaſionem proximam, manet in actuali affectu ad peccatum, per conſequens incapax eſt abſolutionis. Liquent hæc ex prop. 61. ab Eodem Innoc. XI. damnata, cujus tenor: *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere; quinimò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.* Quòd ſi tamen non reſpectivè leve, quale eſt oblectamenti ex concubina privatio, aut ancillæ alius defectus, ſed detri-

trimentum grave ſeu honoris, ſeu fortunarum immineret concubinario, ob quod ſaltèm moraliter impoſſibilis ejectio redderetur, poſſet abſolvi, dummodò ex occaſione proxima remotam facere, & media præſcripta adhibere paratum ſe exhibeat. Tale detrimentum cenſet Mendo in Epit. v. Occaſio, ſi cæteroquin in extrema neceſſitate conſtitueretur 200. aureis concubinæ mutuò datis per ejectionem amittendis. P.Dominicus Viva verò ſuper dicta prop. n. 8. cenſet detrimentum requiri, quod morti, aut gravi admodùm miſeriæ ſit æquale. Excipit tamen n. 9. niſi moraliter certus ſit concubinarius ſe rurſus peccaturum: tunc enim etiam vita potiùs amittenda foret, quàm ſalus animæ exponenda. Mendo cit. cum Gob. tr. 7. n. 526. exiſtimat ſufficere, ſi probabilitas adſit de lapſu non iterando; ſed meritò contradicit Cardenas. Rationem dat 1mò: quia ipſum tale periculum quod certò exiſtit, licèt ipſa futuritio ſit tantùm probabilis, eſt grave animæ malum, quod non licet ſubire, ſicut grave corporis malum eſt ſubire periculum probabile amittendi vitam. 2dò: quia homo non tantùm tenetur non peccare, ſed etiam moraliter ſe reddere ſecurum à ſummo malo. Aliqui cenſent concubinarium bis, aut ter abſolvi poſſe, antequam concubinam ejiciat, ſi poſſit dummodò promittat, aut juret ſe

eam ejecturum, aut non ampliùs peccaturum; plures tamen ſunt ab eodem Cardena citati, quia ajunt abſolvi non poſſe periculo durante. Ratio eſt 1mò: quia retinens periculum eſt voluntariè in ſtatu peccati mortalis. 2dò: quia præceptum de non retinenda occaſione proxima eſt negativum obligans ſemper pro ſemper. 3tiò: quia talis pœnitens exponit ſe periculo proximo; cùm in eo perſiſtat. Ex quibus ſequitur propoſitum adeſſe oportere ad ejiciendam concubinam ſtatim. Si verò in aliis confeſſionibus obſervaretur non eſſe impletum, 2da aut 3tia vice abſolutionem eſſe negandam. Ratio eſt: quia apparet propoſitum non fuiſſe ſyncerum, adeóque periculum peccandi adhuc adamari, aut ſaltèm prudens dubium Confeſſario relinquitur: an qui fefellit priùs, iterum non fallat? niſi circumſtantiæ præſentes rationabiliter dubium auferrent, & rationabilem ſpem facerent de effectu ſtatim poſt confeſſionem ſecuturo.

855. Q. 9. *Quid circa peccatum Sodomiæ Confeſſario ſit obſervandum?* ℞. Diſpiciendum ipſi eſſe: qualis nam Sodomia fuerit? an videlicet perfecta? an imperfecta? Cæterùm ſi pœnitens fateatur concubitum ſuum cum fœmina, præſumere poteſt, id factum modo naturali; ità enim ordinariè fieri ſolet. Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. n. 550. Si fateatur ſe debitum quidem ſexum, non tamen debitum

tum modum ſervâſſe, modeſtè inquirendum eſt: in quo modus debitus intermiſſus ſit? nam ſi maritus pœnitens dicat ſe non cognoviſſe uxorem in vaſe naturali, gravis peccati reus cenſebitur: cùm manifeſtum ſit talem modum repugnare graviter naturæ. Si verò dicat ſe v. gr. ſuccubuiſſe, vel ſtando, ſedendo copulam exercuiſſe, cenſebitur peccâſſe leviter, ſi id ipſum factum eſt citra neceſſitatem libidinis ſolius causâ; nullatenus verò deliquiſſe, ſi neceſſitas, aut cauſa rationabilis ſvaſit; ſervato tamen debito vaſe, in quo ſequi potuerit generatio, & fine copulæ matrimoniali præfixo. Sayr. in Clavi Regia l. 8. c. 5. n. 17. cum D. Th. Toleto, Palud. Sà &c.

Q. 10. *An Confeſſarium audientem à pœnitente beſtialitatis peccatum inquirere oporteat: cum quali beſtia ſit commiſſum?* ℟. cum cit. Sayr. n. 18. & aliis communiter Negativè. Ratio eſt: quia cum quacunque beſtia committatur unum ſemper eſt ſpecie motivum, nimirum venerea delectatio cum re diverſæ ſpeciei. Si tamen reſciret cum dæmone eſſe commiſſum, oporteret in alias etiam ſpecies peccatorum inquirere, quæ ſuperſtitioni ſolent eſſe conjuncta; ùt dictum in materia de ſuperſtitione. Cæterùm pœnitens talis graviter à tam gravi vitio eſt dehortandus, propoſitâ illi inter motiva cætera etiam civili pœnâ, quâ be-

356

ſtialitas morte, & combuſtione punitur.

357. Q. 11. *Quibus remediis peccatum luxuriæ univerſim ſit curandum?* ℞. Huc imprimis ſervire media indicata hìc Q. 4. Præter illa multum quoque conferent ad vitandum poſthac periculoſum, & viſcoſum hoc vitium ſequentia, paſſim à prudentibus Confeſſariis præſcribi ſolita. 1mum eſt fugere conſpectum, ac præſertim familiaritatem eam, quæ ad libidinem movet: nam qui vitat ignem, non comburetur. 2dum: corpus non delicatè nutrire, ſed abſtinere, aut valde moderatè uti cibo, & potu delicatiore, & ſpiritus incendente. 3tium: aliquas caſtigationes corporis cilicio, jejunio &c. aſſumere. 4tum: diligenter cuſtodire ſenſus. 5tum: initio tentationis mox præſentem Deum ſibi repræſentare, & heroicè tentationi reſiſtere. 6tum: noviſſima per tempuſcula determinata collectè meditari. 7mum: otium, & liberiorem converſationem fugere. 8vum: legere frequenter pios libellos ad amorem, & timorem Dei excitandum idoneos. Cæterùm ùt bene notat Segneri in Inſtruct. Confeſſarii c. 11. Confeſſario incumbet exquirere tempus, ex quo pœnitens ſe cœpit tradere his immunditiis, & quàm frequenter? ut debitè poſſit applicare medicinam.

ARTICULUS XIII.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis ad reſtitutionem obligati.

§. I.

Præmittenda de furto, & damnificatione.

PRæmitto 1mò: Furtum ſic rectè definiri juxta S. Th. 2. 2. q. 66. a. 3. & Theologos communiter: *Eſt occulta. ſeu doloſa uſurpatio, vel acceptio rei alienæ invito Domino.* Dicitur verò furtum potiùs *uſurpatio*: quia ùt bene obſervat Molina de Jure & Juſt. tr. 2. D. 181. n. 7. poteſt etiam exerceri furtum, ſi creditor utatur pignore; aut depoſitarius re depoſita, invito Domino. Requiritur itaque ad omne verum furtum, ut ſit *occulta*, & *doloſa* uſurpatio: quia jocoſa, & officioſa ad Dominum cautiorem reddendum furtum non eſt. 2dò: ut ſit *rei alienæ*: ſuam namque rem nemo furari dicitur. Requiritur 3tio: ut fiat *invito Domino*: nam ſi Dominus in uſurpationem rei, vel acceptionem conſentiat, furtum pariter non erit: quia volenti, & conſentienti non fit injuria, quam omne verum furtum importat. Differt *à rapina* juxta eundem S. Th. a. 4. per hoc; quòd rapina ſit quidem etiam rei alienæ injuſta ac- 358.

acceptio, non ſit tamen occulta, ſed Domino ſciente contingat. 2dò: quia rapina eſt acceptio rei alienæ *cum violentia*. Dividitur furtum *in ſimplex*, & *qualificatum*. Laym. tom. 1. l. 3. tr. 3. c. 1. n. 2. cum communi. *Simplex* eſt, ſi res privata privato Domino auferatur. *Qualificatum* eſt, ſi res Reipublicæ auferatur, & dicitur *peculatus*: Itèm ſi ex Grege diſperſo, & dicitur *abiegatus*: Itèm ſi ſervus alienus in ſervitutem abducatur, & dicitur *plagium*. Denique ſi res ſacra de loco ſacro, aut res ſacra de non ſacro, aut res non ſacra cuſtodiæ loci ſacri tradita, vel per modum pignoris, depoſiti, mutui in ejus poteſtate locata auferatur, & dicitur *Sacrilegium*.

359. Præmitto 2dò: cum cit. S. Th. a. 4. cui ſinè contraverſia Authores conſentiunt, furtum ſemper eſſe peccatum. Ratio eſt: quia ſemper adverſatur juſtitiæ, quæ ſuum unicuique tribuit. Itèm quia fit cum dolo. Ex quo apparet idem ſentiendum eſſe de rapina, quia hæc pariter, & quidem cum violentia, ob quam à furto ſpecie diſtinguitur, juſtitiæ adverſatur. Apparet 2dò quòd furtum & rapina non tantùm mala ſint, quia ſunt prohibita, ſed ideò prohibeantur, quia mala ſunt, adeòque intrinſecè eſſe mala. Nec obſtat, quòd filii Iſraël Ægyptios ſpoliantes non peccaverint: quia id fecerunt authoritate Dei, qui rerum omnium Dominus eſt, iiſque hæc in mercedem

cedem graviſſimorum laborum Ægyptiis impenſorum tanquam Judex ſupremus attribuit, ùt idem S. Th. a. 6. ad. 1. annotat. Eſt verò peccatum hoc ex genere ſuo mortale, de quo, ùt ait Regin. l. 23. c. 1. q. 3. a. 14. nemo eſt, qui dubitet, cùm per illud charitas, & juſtitia violetur; & pax, ac Reipublicæ tranquillitas perturbetur. Ex defectu tamen plenæ deliberationis, aut materiæ parvitate fieri poteſt veniale, ùt unanimiter docetur. Excipe: nisì, cùm res modica ſurripitur, adſit inſimul animus rem in valore notabili ſurripiendi, aut ſenſim, & ſucceſſivè modicum ſurripiendi, ut tandem res creſcat in magnam quantitatem. Navarr. in Ench. c. 17. c. 114. Ratio eſt: quia cum hoc animo adeſt conſenſus in furtum rei magnæ. 2dò: nisì res modica in ſe notabilis ſit reſpectu ſubjecti valde rei illius indigi, ùt in communi exemplo eſſet acus ſurrepta, quâ pauper ſartor unicè ſe alere poſſet.

Præmitto 3tiò: Quod quantitatem ad mortalem malitiam furti ſufficientem attinet, conveniunt plerique certam regulam pro ea deſignanda ſtatui non poſſe; nisì deſignatio fiat in ordine ad perſonam damnificatam. Videndum itaque eſt: an res ablata valde neceſſaria fuerit perſonæ, cui ablata eſt, & quanti eadem rationabiliter eam æſtimaverit. Hinc enim de injuria rectum judicium feretur. Regin. cit. q. 4. 360.

 n. 18.

n. 18. Nè tamen quantitas hæc ſimpliciter indeterminata maneat, ſecurè procedi poteſt juxta regulam probabilem, quam ſtatuit Laym. ſuprà cit. n. 3. quem alii paſſim jam ſequuntur, videlicet hanc eſſe notabilem furti quantitatem, ac peccati mortalis materiam, quæ in unum diem ſufficiat ad victum ejus hominis, cui furti injuria eſt illata. Et ſic ait mortale eſſe mercatori valde diviti auferre duos, vel tres noſtrates florenos; à cive mediocriter divite duodecim, vel quindecim pazios, ſeu unum circiter florenum; ab operario tres, vel quatuor pazios, ſeu quinque circiter Bohemicos, à mendico paucùlos nummos, quibus uno die utcunque ſuam perſonam aluiſſet. Ratio eſt: quia hæc quantitas communi judicio cenſetur eſſe notabilis. Reſpectu verò perſonæ etiam Regis communis eodem teſte eſt aſſertio, ſufficere duos, vel tres aureos. Ratio eſt: quia hæc eſt communis perſuaſio, duos, vel tres aureos notabilem eſſe quantitatem, ità ut etiam potentes opibus talem injuriam ægre ferant. Pro pleniore tamen horum notitia

361. Præmitto 4tò: Gravitatem materiæ furti non æqualiter ſumendam eſſe in rebus omnibus: ſunt enim res aliquæ, quæ à Dominis pluris æſtimari ſolent, quàm ex rei natura valeant, aut ex uſu, aut permiſſione Dominorum valore cæteris inferiores ſunt, ità ut ſi hæ auferantur, Domini aut

mi-

minùs, aut nullatenus inviti ſint. Tales ſunt res periculo expoſitæ, aut parvo labore acquiſitæ, ùt fructus arborum locis publicis expoſitæ; non itèm quæ magno labore naſcuntur, ùt ſunt uvæ, & fruges camporum. Unde in prioribus major quantitas ad mortale requiritur, quàm in poſterioribus. Res ſimiles etiam ſunt eſculenta, & poculenta, quæ à ſervis, & ancillis, menſæ deſervientibus, abſumuntur; dummodò non vendantur, aut aliis non diſtribuantur; unde non facilè ab iis peccatur mortaliter; niſì pretioſiora in magna quantitate ſurripiantur. Ratio eſt: quia præterquàm quòd res tales paſſim ſint periculo expoſitæ, Domini non ſolent eſſe rationabiliter graviter inviti. Sayr. in Clavi Reg. l. 9. c. 15. Laym. Nav. &c. Unde quoad dijudicanda furta domeſticorum, & amicorum, uxoris itèm, & filiorum ſingulariter eſt attendenda regula: an reſpectu furtorum Dominus rationabiliter fuerit graviter invitus? de hoc tamen

Præmitto adhuc 5tò: Dominum minùs eſſe invitum, ſi uxor, quàm ſi filii ipſo inſcio aliquid accipiant; minus etiam, ſi accipiant filii, quàm propinqui: minùs itèm ſi propinqui in familia ſua habitantes, quàm ſi famuli; minùs denique ſi famuli, quàm extranei furtum committant. Ex quo ſequitur ad malitiam mortalem majorem quantitatem requiri in uxore, quàm filio; 362.

majo-

majorem in filio, quàm propinquo, & ſic deinceps. Ut autem circa hos omnes quantitas prudenter determinetur, cenſet Lugo D. 16. n. 64. conſiderandum eſſe: an res furto ablata ſit pecunia? an eſculenta? an multùm ſimul? an parum ſucceſſivè ſit ablatum? itèm: an ad proprios uſus? an ad vendendum, vel aliis dandum? Prætereà; an Dominus ſit dives, vel pauper? an liberalis, vel parcus? an benè? an malè affectus in furantem &c. His enim perpenſis rectè judicium formabitur: an dominus cenſendus ſit graviter invitus *quoad ſubſtantiam*. Prætereà in ablatione rerum ab uxore ablatarum ſpectanda ſunt bona, è quibus res ablata eſt: an videlicet ſint *bona dotalia*, quæ uxor affert marito ad ſuſtinenda onera matrimonii, quorum dominium licèt ad uxorem ſpectet, uſus fructus tamen pertinet ad maritum; vel an ſint bona *antidotalia*, vel *antiphernalia*, quæ maritus uxori in compenſationem dotis aſſignat, quorum dominium, & uſusfructus ad maritum ſpectat; vel an ſint bona *paraphernalia*, ſeu *præter dotalia*, quæ uxor vel præter dotem affert, vel propriâ induſtriâ acquirit? an denique ſint propria mariti? an propria uxoris? an utrique communia? Denique attendendum eſt, in quem finem uxor marito, & viciſſim res auferat? an videlicet ad alendam familiam,

&

& proviſionem decentem domui ? an ad alios fines non neceſſarios ? Nam etiam ex his perpenſis prudenter colligetur: an ? & quomodo is, cui auferuntur, invitus eſſe ſit cenſendus ? De filiis demum ſimiliter

Præmitto 6tò: Etiam in iis obſervan- 363.
dum eſſe, ex qualibus bonis quædam ſurripuerint ? videlicet: an *bona* ſint *caſtrenſia*, quæ filius pubes ſibi per militiam, vel famulatum Regis, aut Principis &c. comparavit; quorum Dominium, & adminiſtratio manet filio ? vel: an fuerint *quaſi caſtrenſia*, quæ ex diſpoſitione Juris habentur velut caſtrenſia; ſunt autem ea, quæ filius comparat arte, vel munere publico, beneficio Eccleſiaſtico &c. Et hæc ſimiliter plenè ad filium ſpectant. Quæ auferendo furtum à filio ſimpliciter non committitur. An ſint *bona adventitia*, quæ filio adhuc in patria poteſtate conſtituto adveniunt e. g. per donationem, quorum dominium eſt penes filium, uſusfructus penes patrem ? Vel: an ſint *bona profectitia*, quæ filio in patris poteſtate adhuc conſtituto dantur à Patre vel ejusdem Patris intuitu ab alio, quorum dominium, & uſus manet apud Patrem ? Vel denique: an ſint ſimpliciter patris propria ? Cæterùm in determinanda quantitate ad mortale furtum filiorum ſufficiente tam variæ ſunt Authorum ſententiæ, ut ex illis certa regula deſumi non poſſit. Unicè ergo conſiderandæ ſunt circum-

ſtantiæ,

ſtantiæ, & ex illis deſumendum; quantum cenſendus ſit parens rationabiliter invitus? ùt prænot. præc. dictum.

364. Porrò quæ de furto hactenus dicta ſunt, applicanda ſimiliter veniunt voluntariæ injuſtæ damnificationi; tametſi damnificans nullum ex damnificatione lucrum, & fructum reportet, ùt ſi mactet Domino pecus, peſſumdet res domeſticas &c. Ratio enim injuſtitiæ, quæ urget pro furto, etiam urget pro dicta damnificatione. Unde ſicut fur obligatur ad reſtitutionem, ſeu reparandam injuriam; ità ſimiliter ad eam obſtringitur injuſtus damnificator. Et de hac reſtitutione ſit

§. II.

Præmittenda de reſtitutione.

365. PRæmitto 1mò: Reſtitutionem cum Laym. Tom. 1. l. 3. tr. 2. c. 5. n. 1. bene definiri ſic: *eſt damni injuſtè dati ſecundùm arithmeticam æqualitatem reſtauratio.* Poteſt verò damnum duplici modo injuſtè dari, vel inferri, *materialiter* nimirum, & *formaliter. Materialiter* infertur, quando quis rem alienam vel accipit, vel detinet, vel deſtruit *bona fide*, id eſt probabiliter exiſtimans eſſe ſuam, vel jus accipiendi, detinendi vel deſtruendi ſe habere; cùm reipſa adſit oppoſitum. *Formaliter* infertur, quando

do quis rem alienam vel accipit, vel detinet, vel deſtruit *mala fide*, quòd ſciat, aut ſcire debeat eam non eſſe ſuam, vel jus accipiendi, detinendi, vel deſtruendi ipſi non competere. Hinc facilè colliges, quis dici ſoleat *poſſeſſor bonæ fidei?* quis è contrà *poſſeſſor malæ fidei? Poſſeſſor* nempe *bonæ fidei* dicitur ille, qui rem poſſidet probabiliter exiſtimans rem eſſe ſuam, vel jus poſſidendi ſibi competere; *malæ* verò *fidei poſſeſſor* dicitur ille, qui ſcit, vel ſcire debet, rem poſſeſſam non eſſe ſuam, nec jus poſſidendi ad ſe ſpectare. Porrò per *reſtaurationem ſecundùm arithmeticam æqualitatem* intelligitur reparatio damni tanta perfectè, quantum eſt damnum illatum, ſeu quâ redditur tam multum, quàm multum eſt ablatum, prout nempe exigit ſtricta juſtitia commutativa. Pro quo

Præmitto 2dò: Res ablatas, ſi extent 366.
eædem numero, reſtitui debere easdem numero. Si verò eædem numero non extent, reſtitui debent ſecundùm ſpeciem. Sic ſi triticum ablatum abſumptum eſt, debet reſtitui triticum aliud in bonitate, & menſura æquali. Si demum una ſimilis in ſpecie ſubſtitui nequeat pro re ablata, debet fieri compenſatio in pecunia: & ſi in hac fieri non poſſit, in alia re æquivalente juxta viri boni arbitrium. Ita DD. communiter. Ratio deſumitur ex dicta arithmetica æqualitate, quam à reſtituente juſtitia commutativa requirit.

Præ-

367. Præmitto 3tiò: *Radices reſtitutionis*, ſeu cauſas, ob quas facienda eſt reſtitutio, paſſim aſſignari has duas, videlicet, *rem acceptam*, & *injuſtam acceptionem*, ſeu quod idem eſt, *injuriam materialiter*, *ac bona fide*, & *injuriam formaliter*, *ac mala fide illatam*. Ratio eſt: quia quandocunque reſtitutio facienda eſt, vel ideò facienda eſt: quia injuria bona fide, vel quia mala fide eſt illata, ſive jam injuria illata ſit rem accipiendo, ſive eam retinendo, ſive deſtruendo. Unde liquet radicem injuſtæ damnificationis, per quam nihil accipitur, vel retinetur, uti & radicem contractus & legis poſitivæ, quæ velut diverſæ radices à quibusdam adduntur, illis duabus contineri: quia etiam ob damnificationem & contractus violationem, itèm ob legem poſitivam, quæ reſtitutionem imperat, ſatisfieri debet pro injuria materialiter, vel formaliter illata. Proindè radices hæ additæ duntaxat duas priores fundamentales declarant, & velut extendunt.

368. Præmitto 4tò: *Poſſeſſorem malæ fidei*, ſive qui rem alienam mala fide accepit, vel retinet, obligari primò ad reſtituendam *rem ipſam*, quam abſtulit, vel ſi periit, rem in bonitate, & quantitate ſimilem, aut ſaltèm perfectè æquivalentem. Excipe cum Laym. cit. c. 3. n. 2. niſi res alioquin etiam apud Dominum certò peritura erat, tunc enim ad nihil reſtituendum obligatur.

2dò

2dò obligatur reſtituere id, *quo* per rem injuſtè ablatam *factus eſt locupletior*; niſi iniquus hic poſſeſſor *purâ ſuâ induſtriâ* per eam lucrum acquiſiviſſet. Unde etiam rem apud ſe melioratam, deductis tamen expenſis, reddere obligatur. 3tiò obligatur compenſare *lucrum ceſſans*, & *damnum emergens*, ſeu tenetur tantum reſtituere, quantum ex re ablata Dominus lucri percepiſſet, & præter hoc tantum, quantum ex re ablata damnum eidem eſt ſubſecutum. Ità communiter Moraliſtæ. Ratio eſt: quia in caſu injuſtæ damnificationis Dominus omnino indemnis ſervari debet; nec titulus ullus juſtitiæ iniquo poſſeſſori accedit, quo ſibi aliquid ex re, vel fructu rei præterquam *purè induſtriali*, qualem Dominus non habuiſſet, retinere poſſet; aut quo à damno, quod Domino ex re ablata ſecutum eſt, excuſaretur. Similiter *injuſtus damnificator*, qui nihil accipit, vel retinet, tenetur reſtituere *rem in ſpecie æqualem* & compenſare, tum *lucrum ceſſans* tum *damnum emergens*.

Bonæ fidei poſſeſſor autem intelligens rem 369. eſſe alienam ſolùm obligatur ad reſtituendum id, quod poſſidet. D. Th. 2. 2. q. 62. a. 6. cum communi. Ex quo ſequitur: ſi nihil de re poſſidet, vel partem tantùm, vel rem deterioratam, ad plus non teneri, quàm poſſideat. Antequam verò ſciat non eſſe ſuam, ad nihil tenetur. In dubio:

an ſua ſit, & ſi facta diligenti inquiſitione nihil certi cognoſcere poſſit, licite pariter rèm poſſeſſam retinet. 2dò: tenetur reſtituere *fructus perceptos* rei *merè naturales* & *mixtos* v. g. ſegetes in agro, ſi extant, deductis tamen expenſis in eos factis, & laboris æſtimatione. Idem eſt de *fructibus percipiendis*. Leſs. l. 2. c. 14. dub. 2. Azor. Vasq. &c. Quòd ſi poſſeſſor hic fructus tales abſumpſiſſet, reſtituere debet *quatenus* eſt *factus locupletior*. Ità Leſs. cit. l. cit. Valentia Tom. 3. D. 5. q. 6. p. 3. Concl. 5. & alii paſſim. Ratio horum eſt: quia talis poſſeſſor nec àd rem, nec ad fructus rei jus ullum habet: totum enim jus eſt penes Dominum. Si verò aliquid periit, non periit per injuriam; cùm bona fides injuſtitiam excuſaverit. *Fructus* demum *purâ induſtriâ acquiſitos* reſtituere non tenetur, ſicut malæ fidei poſſeſſor. Nav. l. 3. c. 7. n. 25. Leſs. cit. n. 111. Mol. &c. Ratio eſt: quia fructus induſtriæ pertinet ad illum, qui induſtriam adhibuit. Cùm ergò Dominus rei eam non adhibuerit, nec ad ipſum pertinebit.

370. Præmitto 5tò: Si plures ad damnum illatum ut concauſæ, ſint cooperati: omnes ad reſtitutionem obligari. Patet: quia omnes damnificando injuriam Domino inferunt; ergo hoc ipſo etiam obligationem reſarciendi damnum contrahunt. Hæ concauſæ apud Scotum in 4. diſt. 15.

q. 2.

q.2. a. 4. & alios verſibus ſequentibus proponuntur:

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Nomine *juſſio* autem intelligitur is, qui præcipit damnum fieri. Per *conſilium* intelligitur, qui dat conſilium. Per *conſenſum* intelligitur *conſentiens*, e. gr. Senator, vel Conſiliarius conſentiens reliquis, & conſenſu ſuo efficaciter influens in pœnam accuſati iniquam. Per ly *palpo* intelligitur approbans, & laudans, atque hoc pacto inducens malefactorem ad damnum proximo inferendum. Per *recurſum*, qui præbet refugium, vel ſecuritatem, furem *ut talem* recipiendo, Secus ſi titulo amicitiæ, vel puri hoſpitii recipiat. Per *participantem* quiſcunque ſocius, vel adjutor criminis, e. gr. ſubminiſtrans furi claves, ſcalas &c. Per *mutum* tacens, qui tenetur loqui ex juſtitia, & non tacere. Per *non obſtantem*, qui non obſtat, aut non impedit, dum tenetur ex juſtitia obſtare, & impedire e. gr. Princeps, Magiſtratus, &c. non obſtans malo ſubditorum. Per *non manifeſtantem* qui non manifeſtat, dum ex juſtitia tenetur manifeſtare e. gr. famuli, quibus ex officio res certæ traduntur cuſtodiendæ.

371. Circa has autem cauſas obſervandum eſt: quòd aliquando dicant ordinem ad invicem ob conſenſum, & pactum; aliquando ſeorſim ſinè tali ordine partes ſuas agant. 2dò cauſas, quæ ordinem ad ſe invicem dicunt, aliquas eſſe *principales*, aliquas *acceſſorias* & *concauſas*. Sic mandans reſpectu executoris eſt cauſa principalis, executor eſt acceſſoria. Executor reſpectu cauſarum cooperantium eſt cauſa principalis, cooperantes ſunt cauſæ acceſſoriæ. Si nullum ordinem ad invicem dicant, tenentur ſingulæ ad partem illam, in qua damnificârunt. Præter authoritatem communem. Ratio eſt: quia non ſunt cauſa damni ab altera parte illati. Si verò ordinem ad invicem dicant eò, quòd ſeu conſenſerint, ſeu pacti ſint, tenentur non ſolùm de damno ab ipſis illato, ſed etiam de eo, quod alii intulerunt.Ità S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7. cum communi. Et ratio eſt: quia tales cauſæ influunt in damnum totum. Præthereà in his cauſis ſi aliqua eſt principalis, tenetur illa in ſolidum, ſeu ad totum: cùm illi *principaliter* attribuatur actio. Proindè ſi hæc damnum compenſavit, vel ſi debitum illi condonatum eſt, reliquæ ad nihil tenentur. In defectu verò cauſæ principalis tenentur reſtituere cauſæ acceſſoriæ cum jure repetendi id ipſum à principali. Laym. cit. c. 6. n. 1. 2. & 3. Nav. Vaſq. &c. Porrò

tò in defectu cauſæ principalis primùm obligantur cauſæ acceſſoriæ *poſitivè*, & *directè* influentes, quales ſunt *conſulens*, *conſentiens*, *palpans*, *recipiens*. In harum defectu verò cauſæ acceſſoriæ *negativè*, & *indirectè* influentes, quales ſunt *participans*, *mutus*, *non obſtans*, *non manifeſtans*. Leſs. l. 2. c. 13. dub. 11. cum communi. Demum ſi omnes fuerunt principales, ſinguli ſimul totum damnum reſtaurare tenentur, ità, ut ſi unus totum reſtauret, ab aliis pro rata repetere poſſit, ſaltèm in conſcientiæ foro. Laym. cit. n. 5. cum Leſſ. cit. dub. 7. Medina &c.

Præmitto 5tò: ſi poſſeſſor rei ablatæ ſit poſſeſſor malæ fidei, idem eſt de injuſto damnificatore, regulariter loquendo reſtitutionem fieri oportere illi, cui injuſtè res ablata eſt, vel qui injuſtè damnificatus eſt; in defectu hujus autem fieri debere illi, qui in jus prioris ſucceſſit. S. Th. cit. a. 5. Nav. l. 4. c. 2. n. 5. Molina &c. Ratio eſt: quia ſic ſervatur æqualitas, & tollitur inæqualitas. Unde ſi pignus, mutuum, depoſitum ablatum eſt, reſtitui debent illi, à quo hæc ablata ſunt. Excipit Sanch. l. 7. Mor. c. 19. n. 112. cum aliis: niſi is poſſeſſor, cui res ablata reſtitueretur, rationabiliter cenſeretur rem Domino non redditurus: tunc enim judicat potiorem rationem domini habendam, dummodò hæc ſinè majori damno, & infamia poſſeſſoris 372.

habeti poſſit. Idem ſentiendum, ſi nihil interſit, quòd non poſſeſſori, ſed ſtatim Domino reſtituatur. Ex quibus facilè colligitur: minimè rectè agere, neque ſatisfacere eos, qui potentes rem ablatam poſſeſſori, vel Domino reſtituere, eam pauperibus elargiuntur. Res enim non ad pauperes, ſed ad Dominum clamat. Aliud eſt de debitis incertis ex delicto provenientibus: hæc enim pauperibus, vel Eccleſiæ reſtitui debent, idque ex Eccleſiaſtici Juris conſtitutione c. *cùm tu* de uſuris. &c. Patet id ipſum ex Eccleſiæ praxi. Spectato tamen jure naturali cenſet Laym. cit. c.9. n.2. probabile eſſe quòd poſſeſſori rem debitam retinere liceat, utpote pro derelicta habitam: Sicut debita incerta, quorum creditor ignoratur, vel inveniri, aut conveniri non poteſt, ſi ex delicto non proveniant, ùt docet Nav. l. 4. c. 2. n. 36. pro quo ratio eſt: quia nulla lege contrarium præcipitur.

373. Præmitto 6tò: ea, quæ tempus, locum, & expenſas in reſtitutionem faciendas concernunt. Et 1mò quidem: ſi debita ex contractu provenunt, expungenda ſunt tempore, loco, & expenſis in contractu deſignatis. Conſtat ex vi, & virtute contractûs. Unde ſi debitor differendo, vel in alio loco reſtituendo, vel expenſas creditori contra contractum cauſando graviter noceat, graviter peccat contra juſti-

juſtitiam. Excipe: nisì creditor, aut ejus procurator tempore, vel loco præfixo abeſſet. 2dò: ſi tempus reſtituendi in contractu præfixum non eſt, ſufficiet reſtituere, cùm creditor exegerit. Ità DD. communiter. Et Ratio eſt: quia expectando eò usque nulla infertur injuria, ſed præſumitur creditor tamdiu conſentire. 3tiò: ſi locus deſignatus non eſt, neque dominium rei in debitorem transfertur, ùt fit in commodato, & depoſito, fieri decet reſtitutionem in loco, ubi res tradita eſt. Cùm verò rei dominium transfertur per donationem gratuitam, & legatum, danda eſt in loco, ubi ſita fuit, dum donaretur, ac ſumptibus donatarii auferenda. In reciprocis autem contractibus, qualis eſt emptio, & venditio, facienda eſt ſolutio, ubi res accepta eſt. Ratio: quia in his contractibus res una quaſi loco alterius ſubſtituitur. Excipe: nisì contrahentes aliter conveniant, aut contenti ſint. 4tò: à poſſeſſore malæ fidei, aut injuſto damnificatore, reſtitutio facienda eſt ſtatim, & eo loco, quo Dominus rem fuiſſet poſſeſſurus, ſi non fuiſſet erepta, aut deſtructa. Platel. P. 3. c. 4. §. 9. n. 749. cum communi. Ratio eſt: quia tenetur Dominum omnino indemnem ſervare. Ex qua ratione etiam ſequitur ſuis ſumptibus reſtitutionem facere debere; nisì ſumptus faciendi rei reſtituendæ valorem ſuperarent; quo caſu ſi ſpes non ſit

ulla, ut minoribus expenſis, vel ſaltèm hæredibus fieri poſſit, danda eſt pauperibus; ſi verò ſpes adſit, ſervanda eſt, dum melior occaſio adſit. S. Th. cit. q. 62. a. 5. Nav. Leſſ. &c. 5tò: Bonæ fidei poſſeſſor reſtituere quidem debet ſtatim; in eo tamen ſolùm loco, ubi res poſſidetur, nec in translationem expenſas facere obſtringitur. Ita Platel. cit. cum D. Th. cit. & aliis communiter. Notat præterea Laym. n. 2. ſi reſtitutio aliquò tempore differatur, non facilè mortalem malitiam committi. Ratio eſt: quia creditor aliquo tempore non cenſetur graviter invitus.

374. Præmitto 7mò: Debitorem à reſtituendo excuſari 1mò: Si adſit *phyſica* vel *moralis impotentia*, ùt ſi debitor ſimpliciter non habeat, quo damnum reſtauret, aut ex reſtitutione extremam, vel gravem neceſſitatem, aut ejus periculum ceteroquin ſubire debeat. Item: Si majus damnum re reſtituenda, vel jactura ſtatûs *juſtè acquiſiti*, vel famæ, etiamſi debita forent, ex delicto eidem immineat. Nav. cit. c. 17. n. 57. & ſeqq. Leſſ. Henriq. Platel. &c. niſi ſimilia ex negata reſtitutione imminerent etiam creditori, ùt bene limitat idem Navarr. cit. l. cit. 2dò: Si debitor ſolvat creditori ſui creditoris. 3tiò: Si Confeſſario reſtituerit. 4tò: Si bonis ſuis impotentiam ſuam confitens ceſſerit. 5tò: Si ad

ad ſolvendum impotens Religionem ingreſſus ſit. 6tò: Si creditor abſque metu, aut fraude debitum dimiſerit. 7mò: Si creditor ex reſtitutione damnum potius, quàm emolumentum habiturus ſit. 8vò Si per reſtitutionem tertio damnum immineat, ùt eveniret homini furenti reſtituendo gladium. Platel. loco ſuprâ cit. n. 750. & alii communiter. Ob lucrum tamen ceſſans debitor non excuſatur. Laym. cit. n. 8. Quod ſi debitor obligetur facere reſtitutionem pauperibus, poteſt ſibi ipſi rem reſtituendam applicare, ſi verè pauper eſt. Petrus Navarr. l. 4. c. 2. n. 53. Molina, Scotus, & cum his multi alii. Ratio: quia talis pauper non videtur eſſe deterioris conditionis, quàm ſint alii.

§. III.

Quæſita & Reſponſa.

Q. 1. *Quid Confeſſario circa materiam furti ſpecialiter obſervandum?* ℞. Cùm hoc vitium perfrequens ſit, non intermittat in illud vigilem oculum conjicere, atque in idipſum diligenter inquirere, niſì obſervet vel Confeſſiones accuratè inſtitui, vel pœnitentem in tali ſtatu eſſe, in quo rarior eſt injuſtitiæ occaſio. Unde ſi pœnitens in officio ſit, cui pecuniæ, vel œconomia eſt concredita, ſaltèm generali in- 375.

 terro-

Digitized by Google

terrogatione percontetur: an non alicui fecerit injuriam injuſtè ſibi quæpiam attribuendo, retinendo, vel aliter damnificando? ſi verò mercaturâ, vel negotiatione occupetur; itèm ſi ſit de familia, vel de plebe, pluribus, & particulariùs interrogare convenit v. g. an non ſcienter aliquid acceperit, vel detinuerit alienum? an non vendiderit, vel emerit cum fraude circa pretium, circa rem, circa menſuram, aut numerum? an aliorum agris, hortis, domibus, vel bonis damnum intulerit? &c. Plures interrogationes ſimiles habentur ſuprà in interrogatorio c. 3. a. 3. de præcepto 7. Specialiter interrogare tales expedit de furtis, & damnis dominio illatis, quæ non pauci, etiamſi non raro gravia ſint, experientiâ teſte pro nihilo habent

376. Q. 2. *Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens dicat ſe quidem proximo quæpiam ſuſtuliſſe ſed compenſationis titulum unicè ſpectâſſe?* ℞. Hoc caſu primò eſſe Confeſſario disquirendum in tituli hujus fundamentum, & reſciendum ex pœnitente: qualenam debitum re aliena ſibi compenſare intenderit? quo cognito perpendet: an compenſatio iis conditionibus, quæ licitam compenſationem reddunt, veſtita fuerit? necnè? Aſſignantur autem paſſim à Doctoribus conditiones ſequentes. 1ma eſt: ut debitum ſit ex juſtitia, non verò tantùm ex gratitudine. 2da eſt: ut debitum idem ſit cer-

tum, non verò dubium, aut probabile. 3tia eſt: ut alia ratione ſeu extra, ſeu intrà judicium petendo moraliter recuperari non poſſit. Præter has tres Regin. l. 23. c.1. n. 7. aſſignat ſequentes. 1ma eſt: nè alii ex tali compenſatione patiantur detrimentum. 2da eſt: ut præcaveatur, nè Dominus, vel hæredes ejus denuo reſtituere compellantur. 3tia eſt; nè plus accipiatur, quam debeatur. 4ta eſt: ut vitetur manifeſtatio compenſationis; ne fama patiatur, vel ſuboriatur ſcandalum. His itaque conditionibus concurrentibus etiam famuli, & ancillæ à furti peccato excuſabuntur. Cæterùm non facilè immunes à peccato cenſebuntur iidem famuli occultam compenſationem fatentes, tametſi dicant ſibi ſalarium nimis tenue videri: cùm enim volentes, non coacti, de eo contraxerint, juſtum eſt, licèt ſit tenue. Aliud tamen foret, ſi coacti pro minore ſalario famularentur quàm aliis ejusdem ſortis famulis dari ſoleat: aut ſi iis ſolvatur non ære, ſed rebus, quas minori coguntur vendere, ùt bene notat Carden. ſuper prop. 37. Ubi etiam addit, ſi famulus vel bona fide, vel ex conſilio imperiti Confeſſarii occultè ſurripuiſſet plus, quàm convenerit cum Dòmino, cognito poſtmodùm errore teneri ad reſtitutionem. Hæc eadem applica quibuscunque aliis pro ſalario laborantibus, ùt ſunt officiales, varii opifices, Operarii &c. Hinc, ùt bene

notat

notat Stoz l. 1. p. 3. n. 45. ſartores, qui cum Domino veſtis convenerunt de juſto pretio, licet infimo, non poſſunt absque ejus voluntate ſaltèm præſumpta retinere ſibi notabiles reliquias panni, ſerici partes &c.

377. Q. 3. *Quid agendum Confeſſario, ſi audiat à pœnitente rem parvam ab eo ſurreptam?* ℞. Cum Laym. l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 3. talem pœnitentem circumſtantiis perpenſis interrogandum eſſe: an non rem modicam auferendo intentionem habuerit plus auferendi, ſi occaſio non defuiſſet? in foro enim conſcientiæ non id tantùm, quod furto ablatum eſt, ſed etiam mens furantis attenditur: ob quam peccatum cæteroquin leve mortale evadere poteſt. Quod idem evenit, ex eadem ratione, ſi res parva exiſtimetur eſſe magna. 2dò: interrogari poteſt, & quandoque debet: an non ſæpius res modicas ſurripuerit? ex reſponſo enim deſumetur: an quantitatem ad furtum mortale requiſitam attigerit? ac per conſequens: an ſuppoſita malitiæ notitia graviter deliquerit; Deſumetur 2dò: an graviter obligandus ſit ad reſtitutionem? ad quam omnino obligatur quilibet, qui etiam ignarus ad quantitatem pro mortali ſufficientem per parva furta devenit? Patet ex prop. ab Innoc. XI. n. 38. damnata; cujus verba: *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per par-*

parva furta, quantumcunque ſit ſumma totalis. Ratio eſt: quia etiam per furta talia parva cenſetur Dominus graviter damnificari. Itèm: quia licet furta fuerint parva: retentio tamen magnæ eſt quantitatis. Ex quo deducit Stoz n. 450. eum qui reſtituere non vult parva furta, toties mortaliter peccare, quoties poſt completam mortalem quantitatem iterat parvum furtum. Ratio eſt quia in poſteriora hæc furta non fertur ſolitariè, ſed ſimul cum præcedente ſumma, quæ gravis eſt. Notat hìc Cardenas, pro gravi quantitate plus requiri, ſi valde multi damnificentur, vel longa mora interponatur inter unum, & alterum furtum, quam ſi damnificentur pauci, aut parva furta inter valde breve tempus committantur. Quoad furta famulorum, quo eſculenta & poculenta, vel res alias claudi non ſolitas in proprium commodum auferunt, monet Leſſ. l. 2. c. 12. n. 48. Confeſſarios, nè facilè etiam in his diſſimulent, ſed pro conditione, & capacitate perſonarum ſemper aliquam reſtitutionem injungant, quæ fiat vel reddendo eandem rem, ſi extet, vel pretium rei, vel jubeant majori obſequio, quam ex contractu teneantur compenſare, ut iis hoc modo a furti vitio horror ingeneretur. Diſquirere etiam quandoque oportebit: an non pœnitens parva furta confitens, quæ malitiam mortalem non attigerunt, aliis

an-

anſam dederit ſimilia furta committendi? tunc enim etiam reliquorum furta illi imputabuntur.

378. Q. 4. *Quandonam Confeſſarius judicabit pœnitentem Religioſum ſeu per parva furta ſæpius multiplicata, ſeu aliquod notabile mortaliter deliquiſſe?* ℟. ad 1mum juxta Sanch. l. 4. Mor. c. 21. n. 31. cui alii concordant, furta parva de rebus comeſtibilibus, ſicut in famulis, & filiis non coaleſcere in unum, ſi in uſum proprium ſurripiantur. Verùm tamen ſicut in famulis, & filiis, ùt bene notet Laym l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 5. hæc doctrina ſolùm vera eſt, ſi Dominus non tam quoad modum, quàm quoad rem ſit invitus; ita & judicandum eſt de ſimilibus furtis Religioſorum, quæ non coaleſcunt, ſi Prælatus *non quoad rem* ſit invitus, ſed *quoad modum.* Unde ſapienter addit: ſi Religioſus quotidie in cellam vinariam clanculum deſcendat, & duas vini menſuras, ubi vinum in pretio eſt, ebibat, quis neget ſpatio unius menſis grave damnum illaturum, graviter peccaturum non tantùm in genere furti, ſed etiam contra votum paupertatis. Cæterum, ubi Prælatus rationabiliter invitus eſt juxta Suar. t. 3. de Rel. l. 8. c. 11. n. 40. & 41. ſufficiunt quatuor Julii, ſeu unus circiter florenus ad mortale conſtituendum. Concordat Sanch. in Decal. l. 7. c. 20. n. 3. dicens hanc ſententiam communiorem eſſe in Hiſpania. Navar-

varrus tamen, Sotus, Rodriq. Arragon cum aliis probabile putant tunc Religioſum committere furtum mortale, quando hoc aſcendit ad ſummam duorum aureorum. Nituntur hi principio, quod ejusmodi furtum diſcernendum ſit ad menſuram furti filiorum ex bonis Patris pecunioſi commiſſi. Videtur tamen hoc principium in Religioſis ad majorem paupertatem obligatis proportionaliter reſtringendum. Unde prudenti judicio Confeſſarii in diſcernendo opus eſt, ùt monet Suar. cit.

Q. 5. *An excuſandum à gravi furto Confeſſarius cenſebit pœnitentem, qui confitetur ſe furatum ob ſummam neceſſitatem* ; ℞. Tali caſu dijudicandum eſſe: qualis illa neceſſitas fuerit ? Si enim extrema neceſſitas urgeat, unanimis eſt doctrina talem omnino eſſe excuſandum ; dummodò plus ſurreptum non ſit, quàm ad hanc neceſſitatem levandam ſuffecerit. Ratio eſt: quia in tali neceſſitate Dominus non poteſt eſſe invitus: cùm neceſſitas hæc omnia faciat communia. Si tamen gravis tantùm neceſſitas impuliſſet, non excuſabitur. Liquet ex damnata prop. ab Innoc. XI. n. 36. *permiſſum eſt furari non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam gravi.* Quam propoſitionem tamen ſolùm intelligendam cenſet Cardenas de homine privato: respublica enim in gravi neceſſitate, cùm hæc extremæ æquivaleat, poteſt privatis membris 379.

ſuper-

ſuperflua rapere, ut ſibi ſubveniat: Ex quibus ſequitur milites ſurripientes pro ſe, & equis ſuis ad victum neceſſaria, niſì extrema neceſſitas adſit, peccato non excuſari.

380. Q. 6. *Quid ſentiendum de furtis, quæ evenire ſolent in meſſe, & in ſylvis ſeu ad communitatem ſeu ad Dominium pertinentibus?* ℟. ad 1mum cum March. Reſol. Paſt. c. 7. q. 3. non facilè pauperes ſpicas in diverſis agris clàm ſurripientes ſinè animo multum auferendi mortaliter peccare, licèt finita meſſe notabilem quantitatem ſurreptam cernant. Ratio eſt: quia circa furta talia Domini non ſolent eſſe multùm inviti, ex qua etiam ratione Domini taliter ſurripientes non videntur obligare ad reſtitutionem. Oppoſitum foret ſentiendum, ſi vel animus adfuiſſet multa ſurripiendi, vel manipulos mutilâſſent, vel ſtantes ſegetes manibus plenis vellicâſſent. Ratio eſt oppoſita. ℟. ad 2dum. Niſì tales grave damnum inferant communitati ſtirpes excidendo, grandiores arbores ſternendo, mortaliter non videntur delinquere, tametſi ſingulariter ſit in communitate prohibitum. Ratio eſt; quia aliquod jus membris communitatis in ligna competit; quod jus, cùm reſpectu dominii abſit, non ità hujus reſpectu excuſabuntur, niſì ſolum rejectamenta, & ligna à Dominio colligi non ſolita citra aliud damnum, aut damni anſam aliis datam auferrent. Idem applica paſcuis.

Q. 7.

Q. 7. *Quid ſentiendum de iis, qui res furtivas emunt?* ℟. Si rem furtivam emunt in Domini gratiam, ut eam illi reſtituant, non peccant, ſed charitatem potiùs exercent. E contrà ſinè hac circumſtantia omnino delinquunt, & Domino reſtituere obligantur; licèt is pretium reddere detrectet: cùm Dominus nullo titulo damnum ferre teneatur. Si verò bona fide res furtiva empta fuiſſet, poteſt reddi venditori pretio repetito, ut emptor ſe reddat indemnem. Quod idem aliqui Theologorum cenſent de eo, qui mala fide eam emiſſet, ùt habet Leſſ. l. 2. c. 14. dub. 3. In caſu demum, quo quis rem furtivam bona fide emiſſet, & alteri vendidiſſet, Domino comparente, id ſolum reſtituere tenetur, quo factus eſt locupletior. Patet ex dictis de bonæ fidei poſſeſſore. 381.

Q. 8. *An furti reus cenſendus ſit pœnitens, & ad reſtitutionem obligandus, qui colludentem re ſua privavit?* ℟. Negativè; tametſi luſus fuiſſet prohibitus. Ratio: quia lucrum acquiritur Domino jus rei habente, & conſentiente. Excipe 1mò: niſì colluſor ad luſum vi adactus eſſet. 2dò: niſì lucrum per dolum, aut fraudem illicitam acquiſitum fuiſſet. 3tiò: ſi in lucrum res aliena à colluſore perdente appoſita fuiſſet. 4tò: ſi lucrans ſinè animo ſolvendi, quod perderet, alteri colluſiſſet. Laym. l. 3. tr. 4. c. 21. n. 5. Stoz. l. 1. p. 3. c. 3. n. 469. Bonac. 382.

Digitized by Google

Tamb. Leſſ. & alii paſſim. Ratio eſt: quia lucrum in his caſibus injuſte eſt comparatum.

883 Q. 9. *An mandans, & conſulens furtum, ſi mandatum, vel conſilium revocavit, ad reſtitutionem ſit obligandus?* ℞. Si *mandans* mandatum verbis, vel literis, vel nuntio ſignificando ſuam voluntatem revocavit, priusquam furtum committeretur, eum ad reſtitutionem non obligari. Sayr. in Clavi Regia l. 10. c. 7. n. 8. Ratio eſt: quia tunc furtum non procedit ex ejus imperio. Ex eadem ratione non obligatur (tametſi poſt commiſſum furtum, aut ſimpliciter non revocavit) 1mò reſpectu illius damni, quod fines mandati excedit, ut ſi mandatum extendiſſet ſe ad damnum unius aurei tantùm, executor verò furetur duos: tunc enim mandans unum duntaxat reſtituere tenebitur. 2dò: ſi mandatarius non coactè, ſed accepto pretio furari eſt juſſus. 3tiò: ſi mandatarius non exiſtimavit mandatum fuiſſe ſerium, & tamen furatus eſt. Hæc de mandante. Quod *conſulentem* attinet, tenetur is ad reſtitutionem, tametſi diſſvaſerit, & conſilium revocaverit. Ita cit. Sayr. c. 8. n. 8. Fill. Navar. Azor &c. Ratio eſt: quia conſilium verè adhuc movet furem, adeoque verè in furtum influit, tametſi revocatum ſit: cùm fur revocato licet conſilio ex directione ejusdem operetur. Ex quo apparet aliud eſſe

eſſe in mandato revocato: quia ſi mandatum revocatum ſit, non ampliùs movet, aut influit. Excipe tamen: niſi conſulens furi parato ad inferendum damnum majus minus conſuluiſſet: hoc enim conſilio Domino profuit potiùs, quàm obfuerit. 2dò: ſi citra conſilium fur ad furandum paratus fuit. 3tiò: ſi fur voluntatem ex conſilio conceptam mutavit, & tamen poſteà furatus eſt. Ratio eſt eadem: quia in his caſibus non ampliùs cenſetur influere conſilium. Sed quid ſi fur conſilio damna quædam incurriſſet? ℞. Conſulentem ad ea compenſanda non teneri: quia exequens tale conſilium debet ſibi damnum imputare: cùm liberum illi fuerit conſilium exequi, vel non exequi, conſequenter non videtur illi facta injuria.

Q. 10. *An ad reſtitutionem obligabit Confeſ-* 384.
ſarius pœnitentem, qui per actionem turpem lucrum acquiſivit? ℞. Si lucrum acquiſitum eſt citra alterius injuriam, non cenſebitur ad reſtituendum obligatus. S. Th. 2.2. q. 62. a. 5. ad 3. quem ſequuntur Leſs. Lugo, Azor, & alii plerique omnes. Ratio eſt: quia obligatio reſtituendi oritur ex ſola injuria. Unde ſi quis pretium accipiat, ut alterum occidat, poteſt ſibi pretium ſervare. Mulier etiam quæſtum faciens ex corpore ſuo ad reſtituendum, quod accepit, non obligatur. Ante opus tamen peractum nec licitè pretium datur, nec accipitur.

Ratio eſt: quia illicitum eſt in opus malum pretio pollicito inducere, ac in opus pro pretio pollicito conſentire.

385. Q. 11. *Quomodo agendum Confeſſario cum pœnitentibus ære alieno gravatis, & ſolvere tardantibus?* ℞. Cum March. ſuprà cit. c. 8. diſquirendas eſſe cauſas, ob quas ſolutio eſt dilata: nam ſi juſta cauſa non adſit, certum eſt pœnitentem talem pro mora dilationis, & damni ſubſecuti menſura præter ſolutionem debiti prioris etiam ad oborta damna compenſanda obligari. Juſta autem dilationis cauſa poteſt eſſe 1mò impotentia, quæ ſi omnimoda ſit, omnimodè excuſabit, ſi ad partem, partialiter quoque excuſabit. 2dò magnum damnum, ùt etiam ſuprà indicatum eſt.

386. Q. 12. *Quid judicandum de iis pœnitentibus, qui decem v. gr. florenos pauperibus accepto pignore peculium hoc excedente commodant, ut per hebdomadam unus crucifer pro florenis ſingulis in cenſum reddatur?* ℞. Morem hunc non paucis uſitatum vix à manifeſta uſura excuſari poſſe, niſi commodans tantundem ſingulis florenis lucrari potuiſſet, ac ità lucrum ceſſans iiſdem pauperibus vendat. Ratio eſt: quia manifeſtè plus ultra ſortem exigunt, quàm praxis paſſim nunc uſitata admittat, quâ praxi ſummum ſex floreni (excepto caſu ſortis periclitantis, ùt evenit cum Mercatoribus periculosè mercantibus) pro centum exiguntur. Cæterùm: quòd

quòd aſſecuratione ſortis per pignus facta hoc ipſum facere liceat, improbârunt Synodi non paucæ cum Theologis, & Canoniſtis longe pluribus; alii tamen excuſant vel per tres contractus virtuales, ſeu implicitos, ùt loquitur March. Reſol. Paſtor. c. 7. Q. 13. nempe Societatis, per contractum aſſecurandi capitale, & per venditionem lucri incerti majoris pro minore certo. Tametſi neceſſarium non ſit expreſsè contractus hos inire; ſed ſufficit, quod in juſto titulo, quem contrahentes ſe ſpectare cenſent, includantur. Addit ex Leſs. l. 2. c. 20. dub. 12. Licèt hucusque contractus hic foret uſurarius, ſi tamen bona fide initus eſt, probabilem eſſe multorum opinionem lucrum poſſe retineri, quod juſto tunc contractu facturi erant. Idem Leſs. c. 22. dub. 10 exiſtimat tales etiam excuſari poſſe per cenſum utrinque redimibilem. Ex quibus colligitur tales non facilè ad reſtitutionem à Confeſſario eſſe obligandos, nisì mala fide eos egiſſe adverteret.

Q. 13. *Quod judicium ferendum Confeſſario* 387. *de iis pœnitentibus, qui confitentur, quòd ob dilatam ſolutionem res venditas cariùs taxaverint, quàm præſenti pecuniâ exſolutas?* ℞. Pro recto judicio ferendo attendendum eſſe: an venditor cariùs taxando adhuc manſerit inter limites juſti pretii dilata ſolutione vendens pretio ſummo præſenti pecuniam

 pretio

Digitized by Google

pretio medio vel infimo. 2dò: an res vendita tempore ſolutionis faciendæ pretio taxato fuerit valitura? 3tiò: annon creditor vendens ſubierit aliquod periculum ſortis, vel moleſtias, & expenſas exinde pati, & facere debuerit? His namque circumſtantiis concurrentibus nihil contra juſtitiam egiſſe cenſebitur, ſi quod ultra exegit, iisdem debitè commenſuravit; per conſequens nec ad reſtitutionem obligabitur. Aliud dicendum de iis, qui mercibus emptori non placentibus, nisi infimo pretio vendantur, ut medium ſaltèm pretium obtineant, contractum ineunt de infimo pretio, interim pretium medium occulta diminutione mercis in pondere, vel menſura ſibi compenſant. Ratio eſt: quia manifeſtè agunt contra contractum adeoque ad reſtitutionem tenentur. Idem eſt de illis, qui merces defectuoſas tanquam defectu immunes laudant, & emptorem ad emendum hoc modo inducunt, vel interroganti emptori de bonitate, & aptitudine ad ſibi præfixum ſibi defectum celant; ſuppoſito tamen, quòd defectus ſit notabilis. Ratio eſt: quia manifeſtè in notabile damnum emptorem inducunt. Idem denique eſt tum de vendente, tum de emente, aliterque contrahentibus, qui in contractu fraude nociva utuntur.

AR-

ARTICULUS XIV.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis ad reſtitutionem famæ obligati.

§. I.

PRÆMITTENDA.

PRæmitto 1mò: *Famam* prout hîc accipitur non pro vulgari de re quapiam ſermone ſeu rumore; nec prout tum ad laudem, tum ad vituperium pertinet, ſed ſtrictiſſimè prout ſolam bonitatem ſpectat, juxta S. Th. 2. 2. q. 103. a. 1. *eſſe opinionem, ſeu exiſtimationem de alterius excellentia*; differt ab honore juxta eundem S. Th. quòd hic ſit *teſtificatio hujus exiſtimationis*; ſeu quòd honor internam exiſtimationem externo cultu, & reverentiâ perſonæ cujus excellentiam æſtimat, conteſtetur. Famæ potiſſimùm opponitur *detractio*, quæ familiari definitione teſte Regin. l. 24. c. 4. n. 61. ſic bene definitur: *Eſt ablatio famæ propriæ, vel alienæ quocunque demum ſigno absque juſta cauſa.* Dicitur autem: *propriæ vel alienæ:* quia etiam ſeipſum quis infamare poteſt. Sed quia ſe infamare non eſt injuſtitia, ſed potiùs prodigalitas, meliùs dicitur: detractio & ablatio famæ ſolùm alienæ. Opponitur ſimiliter *ſuſurratio, quæ eſt manifeſtatio defectûs alieni nata ad diſſolvendam amicitiam, & diſcordiam ſeminandam.* 389.

Regin. cit. n. 121. & alii communiter. Opponitur etiam famæ *judicium temerarium*, quod eſt actus intellectûs, quo aliorum dicta, vel facta ſinè ullis vel nonniſì ex levibus indiciis,& conjecturis in malam partem accipimus determinatè apud nos ſtatuendo, ac definiendo illos peccâſſe. Stoz. l. 1. p. 3. q. 3. n. 125. & alii communiter. Opponitur itèm *ſuſpicio temeraria*, quæ eſt actus, quo ſufficientibus indiciis non innixi judicamus probabiliter poſſe judicari alterum peccâſſe. Eſt proinde ſuſpicio conjuncta alicui dubitationi, per quod à judicio temerario differt; cùm hoc ſinè dubitatione determinatè affirmet vel neget. Honori opponitur *contumelia*, utpote injuſta honoris violatio, ſeu inhonoratio, quâ præſente inhonorato indicatur ſignis externis ejusdem vitium, ùt communiter tradunt DD.

389. Præmitto 2dò: Detractionem, ſuſurrationem, judicium temerarium, & contumeliam ex genere ſuo peccata eſſe mortalia juſtitiæ è diametro oppoſita. Laym. l. 3. tr. 3. p. 2. c. 2. n. 5. & c. 3. n. 3. Regin. n. 71. 100. &c. Bonac. cum communi. Poſſunt tamen fieri venialia 1mò: ex defectu plenæ advertentiæ. 2dò: ob levitatem materiæ. 3tiò: ex conditione perſonæ. 4tò: ſi fiant joco. 5tò: ſi fiant gratiâ correctionis. Ratio 1mi casûs eſt: quia non plena advertentia excuſat à mortali. Ratio

tio reliquorum caſuum eſt: quia fama, & honor non cenſetur in iis graviter violari. Suſpicio verò temeraria juxta S. Th. cit. a. 3. ex genere ſuo eſt peccatum veniale. Ratio eſt: quia per ſuſpicionem fama parùm læditur: cùm ſuſpicio valde debiliter eam impugnet. Si tamen ſuſpicio ſit de ſcelere gravi, ùt inceſtu, proditione, déque perſona honeſta magna animi temeritate concepta, probabile cenſet Molina tr. 4. Diſp. 17. Leſſ. Sotus & alii complures eam mortalem eſſe. Mortalis itèm eſt, ſi in effectum externum circa materiam gravem exeat, puta: ſi ſuſpicans ſuſpicionem ſuam aliis manifeſtet, in vitam ipſius inquirat, ſi in electione ſuſpecto ſuffragium neget &c. Laym. cit. n. 6.

Præmitto 3tiò: Detractionem commu- 390.
niter cum S. Th. cit. q. 73. a. 2. dividi in *formalem* & *materialem*. *Formalis* eſt, quæ fit ex propoſito nocendi alienam famam denigrando. *Materialis* eſt, quæ fit ex animi levitate ſinè directo propoſito nocendi. Alia diviſione dividitur in *directam* & *indirectam*. *Directa* contingit 1mò: imponendo falſum crimen. 2dò: amplificando verum crimen. 3tiò: manifeſtando occultum crimen. 4tò: ſiniſtre dictum, vel factum alterius explicando, quos quatuor modos ſequens verſiculos complectitur: *Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens.* *Indirecta* verò 1mò

 fit

fit negando rectè facta, & bona alterius. 2dò: minuendo rectè facta, vel laudes alterius. 3tiò: Reticendo bona alterius in iis circumſtantiis, in quibus alii taciturnitatem pro vituperatione, vel opprobrio accipiunt. 4tò: frigidè laudando, ità ut ex frigida hac laude vituperium potiùs, quàm æſtimatio ſequatur. Hos modos indicat alter verſiculus: *Qui negat aut minuit, reticet, laudátque remiſsè.* Quocunque autem modo fiat, & circa qualecunque objectum verſetur non variat ſpeciem in Confeſſione ſpecialiter explicandam: omnis enim detractio ſicut furtum uni virtuti juſtitiæ eodem tendendi modo opponitur. Excipe: niſi addatur nova circumſtantia ſpecifica e. g. Si lædatur fama parentum: tunc enim additur detractioni malitia irreverentiæ. Tamb. l. 2. in Decal. c. 9. §. 1. n. 2. & c. 5. § 1. n. 1. cum aliis.

391. Præmitto 4tò: Quod ex dictis facilè colligitur, ſicut furtum, ſic etiam detractionem, & contumeliam onus reſtituendi inducere. Excipiunt tamen Laym. cit. c 3. Tamb. cit. §. 3 Navarr. Leſſius, Bonac. Regin. & alii plerique caſus ſequentes, 1mò: Si criminis occulti manifeſtatio non ſit contra juſtitiam, uti fit deferrendo crimen ſine correctionis. 2dò: Si infamatus ceſſit juri ſuæ famæ, uti fit in quibusdam Religioſis. 3tio: Si infamatus remittat reſtitutionem. 4tò: Si quis ita infamatus eſt, ut ratio-

rationabiliter judicari poſſit eum ex detractione non eſſe paſſum novam infamiam. 5tò: Si audientes non crediderint detrahenti. 6tò: Si infamatus famam jam recuperavit. 7mò: Si infamia jam data eſt oblivioni. 8vò: Si detrahens rationabiliter judicet famam retractatione non reſtituendam. 9nò: Si infamatus poſt infamationem privatam publicè eſt infamatus. 10mò: Si quis manifeſtet crimen alterius addens injuſtam fuiſſe infamationem.

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

Q. 1. *Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens in genere dicat ſe proximi defectus, & peccata alteri recenſuiſſe?* 392. R. ex tali inquirendum eſſe, 1mò quales defectus recenſuerit? an morales? an naturales tantùm? graves? an leves? an occultos? an notorios? Similiter qualia peccata fuerint quæ recenſuit, gravia? an levia? occulta? an notoria? 2dò: an defectus, & peccata falſa fuerint? an vera? 3tiò: an eadem animo famæ graviter, vel leviter nocendi protulerit? & an revera famæ nocuerit? 4tò: quoties idipſum fecerit, & apud quot? Primi, & 2di puncti notitia conducet ad formandum rectum judicium de gravitate, vel levitate infamationis, Tertii verò puncti cognitio conferet ad digno-

dignoſcendam deobligationem, vel obligationem reſtitutionis, ejusque modum, ac qualitatem. 4ti demum puncti notitia pro numerica multitudine cognoſcenda deſerviet. Pro his pleniùs declarandis

393. Q. 2. *An detractionis reus exiſtimabitur pœnitens, qui crimen notorium ſe ulterius propalâſſe confitetur?* ℞. Si crimen verum in aliquo loco, communitate, notorium eſt notitiâ facti, ità ut non facilè celari poſſit, peccato detractionis peccâſſe non cenſebitur. Ità Molin. tr. 4. D. 31. & 32. Navarr. cit. c. 18. n. 26. Regin. cum aliis plerisque. Ratio eſt: quia criminoſus tunc cenſetur poſſeſſione ſuæ famæ deſtitutus. Idem eſt in tali caſu de præſumptione, & ſuſpicione; dummodò, ùt bene limitat Laym. l. 3. tr. 3. p. 2. c. 2. n. 8. majore certitudine id, de quo præſumptio, vel ſuſpicio notoria eſt, non affirmetur, quàm ratio notorii admittat. Ex eadem data ratione detractio non eſt, crimen verum in una civitate notorium in altera narrare. March. in Reſol. Paſtor. c. 8. q. 8. ubi addit nec eſſe contra charitatem, ſi fama facilè eò erat perventura. Si verò eò perventura non erat, cenſet cum Navarr. & Cajet. ſaltèm non eſſe mortale. Contrarium tamen exiſtimo, ſi crimen in una domo notorium; nec facile publicandum alibi â domeſticorum aliquo in domo alia recenſetur. Ratio eſt: quia tale crimen habetur adhuc

Digitized by Google

adhuc ut privatum & occultum, & ex ſup-
poſito non facilè revelandum.

Quot vero perſonas crimen ſcire opor- 394
teat, ut notorium cenſeatur, variant Autho-
res: aliqui exiſtimant, ut notorium cenſea-
tur in communitate, ſeptem vel octo, alii
novem, vel decem perſonas ſufficere. Na-
varr. in Manuali c. 25. n. 73. cenſet requiri,
ut, ſi non tota, ſaltèm major pars commu-
nitatis illud notum habeat. Optimam ve-
rò regulam dat Laym. cit. loco cit. volens
numerum hunc prudentis arbitrio eſſe de-
finiendum, quod prudens judicium dijudi-
cet: an fama eò uſque jam diffuſa ſit, ut
ſpectata humana imbecillitate impoſſibile
(intellige moraliter) ſit cohibere, quò mi-
nùs in aliorum cohabitantium notitiam de-
veniat. Ex quo ſequitur, in parva com-
munitate v. g. domûs unius pauciores in
majore plures perſonas requiri. Unde idem
cit. Laym. rationabiliter cenſet, ſi commu-
nitas conſtet perſonis 20. ſufficere perſonas
octo, ſi conſtet centum, ſufficere perſonas
quindecim, vel viginti, & ſic deinceps. Si
è contra crimen falſum ſit, quotquot jam
ſciant, ultrà ùt verum revelare non licet.
Ratio eſt: quia per ſe malum eſt infamare
innocentem. Quod idem dicendum, ſi
infamatus per vitæ emendationem famam
recuperavit. Itèm ſi crimen verum ob-
livioni jam penitus eſt datum, & ſinè cau-
ſa è cineribus reſuſcitatur, Regin. cit. n. 86.
cum

cum Molina D. 33. & Petro Navarr. l. 2. de Reſt. c. 4. à n. 297. Ratio eſt: quia tunc ſinè ulla cauſa gravi injuriâ proximus afficitur. Excipe; niſi infamatus priùs judicialiter infamatus fuiſſet: tunc enim non eſſet quidem contra juſtitiam; cùm ipſum jus crimen notum fecerit, eſſet tamen contra charitatem: quia ſinè cauſa contriſtativum, & nominis boni læſivum. Præterea, ſi crimen per ſolam Rei confeſſionem, vel teſtium in judicio depoſitionem notorium eſt, revelari circa injuſtitiam non poteſt. Ità Molina cit. D. concl. 4. Ratio eſt: quia tunc ſolùm in ordine ad judicem, ut reum judicare poſſit, non verò adhuc in ordine ad populum crimen publicatum cenſetur. Porrò dicta hactenus intelligenda etiam ſunt de detractione mortuis facta, licet hæc minus peccatum ſit. Unde peccant etiam hiſtorici occulta mortuorum crimina divulgando; licèt divulgare poſſint publica oblivioni hominum jam data, ùt docet Sà v. infamare.

395. Q. 3. *Quid ſentiendum de eo pœnitente, qui fatetur ſe quidem crimen proximi occultum revelâſſe, ſed talibus, qui certò illud tacituri erant?* ℟. Tametſi oppoſitum ſentiant non pauci, inter quos Cajet. Regin. Tamb. Petrus Navarr. quibus adhærere videtur March. ſuprà cit. q. 4. minimè excuſandum eſſe talem pœnitentem: quia licèt ii, quibus revelavit, taciturni ſint, fama

tamen

tamen apud illos ipſos læſa eſt. Molina D. 29. n. 7. Laym. Leſſ. &c. Excipe: niſì juſta cauſa excuſet; ùt ſi id contingat conſilii, vel auxilii causâ cum cautela, ut cum minimo damno proximi fiat. 2dò: ſi contingat ex fine damnum proprium, vel alienum avertendi. Unde licet crimen medici, advocati, præceptoris &c. iis, ad quos pertinet revelare, ſi ex eorum aſſumptione aſſumentibus damnum prævideatur; licet etiam crimen non falſum detrahentis manifeſtare, ſi infamatus aliter famam nequit recipere, modo tamen ſervato, nè plus dicatur, quàm ad famam ſeu ſervandam, ſeù recuperandam ſit neceſſarium. 3tiò: ſi contingat fine correctionis. 4tò excuſatur, qui queritur injurias ab aliis ſibi eſſe illatas. Navarr. cit. c. 4. Ratio illius eſt: quia nimis grave eſt, & præter humanam conſuetudinem, ut quis cogatur injurias acceptas ſolus in ſilentio concoquere. In quibus caſibus tamen univerſim curandum eſt, nè criminis revelatio animo nocendi, ſed unicè ex dictis finibus exerceatur.

Q. 4. *Quid ſentiendum de illo, qui confitetur ſe proximum apud alios nominâſſe avarum, ſuperbum, furiam &c* R. cum March. cit. q. 2. ordinariè cenſendum eſſe talem crimina proximi genericè manifeſtantem non deliquiſſe mortaliter. Rationem dat: quia ordinariè hæc ſolent ità accipi, ut de- 396.

notent

notent peccata mortalia, ſed naturalem potiùs inclinationem. Excipe: niſì prævideretur ratione perſonæ, cui detrahitur, grave nocumentum apud audientes ſecuturum.

397. Q. 5. *Quid judicandum de illo, qui dicit ſe crimen proximi ex aliorum narratione ſolùm ſinè aſſeveratione aliis recenſuiſſe?* ℟. Judicium rectum formandum eſſe ex circumſtantiis: nam ſi referens non fuit tantæ authoritatis, ut illi facile crederetur; neque confirmavit crimen, vel auxit; neque dixit, ſe audiviſſe à perſona fide digna; neque retulerit talibus, qui aliis pluribus eſſent relaturi cum periculo fidei adhibendæ; ſi denique crimina non fuerint enormia, ùt hæreſis proditio &c. paucis; ſi non adfuit periculum gravis damni proximo inferendi, ſaltèm mortale non eſt exiſtimandum. Et è contra Leſſ. l. 2. c. 11. d. 5. Cajet. March. &c. Ratio deſumitur ex nulla, vel levi, vel gravi damnificatione.

398. Q. 6. *An graviter contra famam deliquiſſe cenſendus ſit, qui naturales alterius defectus revelavit e. g. quòd ſpurius, vel ex Judæis, aut aliis vilibus parentibus natus, imprudens, indoctus, indiſcretus, cocles ſit?* ℟, cum Regin. ſuprà cit. n. 79. Bonac. &c. talem revelationem non eſſe de ſe peccatum mortale, ſicut mortale de ſe non eſt revelare alterius peccatum veniale. Ratio eſt: quia utrobique non læditur graviter fama

ama, cùm notum ſit tales defectus non eſſe
ːi imputandos, qui illos patitur ; notum
ːtiam eſt hominem in veniale perfacilè
abi. Excipe tamen: niſi intentio adſit gra-
/iter alterutro hoc modo nocendi, vel niſì
ɔer hæc ſciatur cauſam præberi damni e-
usmodi : talis enim intentio, vel damni
ːauſa manifeſtè charitati, vel juſtitiæ repu-
gnat. Navarr. in Enchir. c.18. n.30. Cen-
ːet verò Reginald. cit. n.80. ex Navar. cit.
manifeſtatione defectûs naturalis potiſſi-
nùm graviter peccari, cùm per eam quis
mpeditur à conſequendo magno bono,
vel efficitur, ut magnum bonum e. gr. of-
icium amittat. Et ſic mortaliter peccari
ɔoteſt revelando etiam veniale menda-
ːium viri cæteroquin æſtimati contume-
iosè id exprobrando, aut mentiendi con-
ſvetudinem manifeſtando.

Q. 7. *Quid ſi pœnitens dicat ſe quidem gra-* 399.
*viter detractoria non eſſe locutum, ſæpius tamen
'oquelis detractoriis auſcultâſſe?* ℞. Ex tali re-
ſciendum: annon detractioni ab alio in-
ːhoatæ etiam ipſe partem ſuam addiderit
quædam crimina ſeu vera, attamen occulta,
ſeu falſa recenſendo, aut ſaltèm ab altero
narrata exaggerando, & augendo? Quod
admodùm frequenter evenire experientia
teſtatur. Si idipſum fateatur, idem de eo
judicium formabitur, ùt de detrahente. Si
dicat ſe nonniſì quædam non læſiva, ſed
indifferentia addidiſſe; quærendum ex eo

eſt: annon ſaltèm cum conſenſu detractione, & famæ alienæ jacturâ ſit delectatus? ſeu annon libenter ideò auſcultaverit: quia alterius fama eſt proſciſſa: hæc enim delectatio ùt S. Th. 2. 2. q. 73. a. 3. cum plurimis eum ſequentibus tradit *ex genere ſuo* eſt mortalis. Si verò dicat: quòd ideò ſolùm libenter auſcultaverit, quia detrahens facundè, aut jocosè detractionem inſtituit; vel quia ex curioſitate novi aliquid recenſeri audire voluit; malitiæ duntaxat venialis rèus exiſtimabitur, ùt docet Molin. D. 34. n. 2. Leſſius &c.

400. Q. 8. *An ad reſtitutionem à Confeſſario obligandus ſit pœnitens, qui inadvertenter, & ſinè culpa proximum infamavit?* ℞. Talem omninò ex juſtitia ad reſtitutionem obligari, poſtquam advertit damnificationem à ſe fuiſſe illatam; La Croix l. 3. p. 2. n. 1243. Platel. Mol. Leſs. Tamb. & alii plerique omnes. Ratio eſt: quia non reſtituendo quaſi detinet famam alienam, fitque non reſtitutio formaliter injuſta. Declarat id ipſum cit. La Croix à pari per inſtantiam: nam ſi quis caſu incendiſſet domum alienam, teneretur ex juſtitia incendium reſtinguere, ſi commodè poſſit; & ſi negligat, tenetur ex damnificatione, quæ tunc fit injuſta; ergo idem dicendum in materia famæ. Ratio ulterior eſt: quia continuatio incendii, & perduratio infamiæ jam fit voluntaria, & moraliter imputabilis. Do-

Doctrina tamen communis eſt, talem ad reſtitutionem non teneri, ſi eam citra grave incommodum ſuum præſtare non poſſit, ſicut qui caſu incendit domum ad extinguendum incendium non tenetur, ſi citra grave incommodum extinguere non poſſit. Neque damna ante detractionem cognitam ſecuta reparare obſtringitur; licet ad reparanda damna ex dilata reparatione obligetur. Lugo D. 15. n. 5. cum aliis. Ratio eſt: quia priora damna non ſunt ipſi imputabilia, poſteriora ſunt.

Q. 9. *Ad quantam reſtitutionem Confeſſarius* 405
pœnitentem obligare poſſit, & debeat? ℟. Menſuram reſtitutionis deſumendam eſſe ex damnificationis quantitate. Unde non fama ſolùm reſtituenda eſt, ſed etiam damna alia læſionem famæ conſecuta ſunt compenſanda. Lug cit. n. 21. Leſſ. l. 2. c. 11. n. 101. &c. Conſtat ex dictis de reſtitutione. Sequitur prætereà, quòd reſtitutio non tantùm apud audientes immediatos, ſed etiam mediatos facienda ſit. Ratio eſt: quia etiam apud illos in bono famæ infamatum damnificavit. Excipe: nisì audiens immediatus, apud quem reſtitutio facta eſt, hanc reſtitutionem fecerit apud mediatos, vel facere paratus ſit. Ex quo ulteriùs ſequitur apud audientem immediatum à detrahente inquirendum eſſe: an ipſe crimen auditum aliis manifeſtaverit? aut reparare injuriam paratus ſit? nisì cùm de-

traheret certus moraliter fuerit, id ipſum crimen non eſſe ab illis ultrà manifeſtandum: tunc enim, ùt bene obſervat **La** Croix cit. n. 1243. cum Dian. Tamb. Haun. &c. ulterior propalatio detrahenti non eſt ampliùs imputabilis. Idem eſt, ſi de ulteriore propalatione, cùm detraheret, nihil cogitavit.

402. Q. 10. *Ad quem modum in reſtitutione ſervandum Confeſſarius pœnitentem obligabit?* ℞. Si de crimine falſo proximus infamatus eſt, neceſſarium eſt, ut falſitas hæc clarè revocetur dicendo ſimpliciter vel à detrahente criminis falſitatem ignoratam fuiſſe, vel illud impingendo mendacium eſſe commiſſum. Ità communis. Ratio eſt: quia aliis modis e. g. infamatum laudando propter alia, vel dicendo fortè crimen eſſe falſum, fama non reparatur. Cujus ratio eſt: quia hi modi non ſunt modi *efficaces* ad reparandam *ſtabiliter* infamati famam. Unde ſi revocationi puræ fides non haberetur, tenetur detractor vel adhibere teſtes, vel revocationem etiam juramento firmare. Excipitur tamen caſus e.g. quo detractor revocatione ſua majorem infamiam ſubiret; æqualis tamen ſubeunda eum non deobligat: quia æquitati conforme eſt, ut, ſi nocens, & innocens æquale damnum ſubire debeant, id nocens potiùs, quàm innocens patiatur. Simili ferè modo reparare injuriam tenetur, qui

qui ex errore falſo crimine alterum infamavit. Laym. l. 3. tr. 3. p. 2. c. 7. n. 1. Mol. cum communi. Qui *crimen verum ſed occultum* manifeſtavit, non poteſt quidem illud revocare: cùm revocando mentiretur; debet nihilominùs talia media adhibere, quibus audienti, vel audientibus perſvadeat, crimen non eſſe commiſſum. S. Th. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 2. cum aliis plerisque. Tales modi ſunt infamatum laudando in aliis, excuſando intentionem, vel præcipitantiam, honorando &c. quibus tantum honoris illi accedat, & famæ, quantum detrahendo fuit ablatum. Si verò omnibus mediis moraliter poſſibilibus adhibitis reparatio non ſequatur, probabile cenſent Leſſ. l. 2. c, 11. dub. 16. Navarr. Laym. deobligari detractorem, neque pecuniâ compenſare teneri ante judicis ſententiam. Licèt D. Th. cit. oppoſitum ſentiat. Ratio eſt: quia res ablata, vel reſtituenda eſt in ſpecie eadem, vel in æquivalente; pecunia autem famæ non æquivalet. Sicut ergo ex data ratione ablata pecunia non eſt compenſanda per promotionem famæ, ſic nec fama compenſanda eſt per pecuniam.

Q. 11. *Quid agendum, ſi pœnitens confuſionis metu difficilem ſe exhibeat ad famæ reſtitutionem præſtandam?* ℞. cum Stoz l. 1. p. 3. n. 75. tali ob oculos ponenda eſſe damna, ignominiam, & bonorum æternorum certiſſimam 403.

mam jacturam, niſi nunc ad modicum famæ damnum heroicè ſubeundum ſe reſolvat. Si verò motiva ſimilia effectum non ſortiantur, declarandum ipſi eſt: quòd tamdiu inimicitiam Dei, & confuſionem coram DEO, & tota cœleſti curia ſubire oportebit, cùm defectu requiſiti propoſiti abſolvi nequeat, quamdiu reſtitutionis executionem diſtulerit. Unde ſi aliquandò in gratiam Dei per abſolutionem redire velit, cùm eadem difficultas etiam pro tunc manſura ſit, ejuſdem nunc ſe participem reddere non intermittat. Si nihilominùs ratione aliqua ductus eam differre malit, proponenda illi eſt gratiæ ad dilatam pœnitentiam incertitudo: cùm Divina Bonitas, quæ quidem pœnitenti gratiam promiſit craſtinum diem nequaquam ſpoponderit. Perſeverantem demum in ſiniſtro non reſtituendi propoſito minimè abſolvat, ſed ſive condolendo, ſive, ſi expedire judicat, moderatè redarguendo, diſcedere permittat. Addi inſimul poteſt fruſtrà quærendum ab ipſo alium Confeſſarium, qui abſolutionem conferat; fruſtrà quoque, ſi rudium aliquis eum abſolveret, ſibi de peccato remiſſo blanditurum: cùm talis abſolutio omnino vana, & invalida ſit futura.

Digitized by Google

ARTICULUS XV.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis ſuperbiæ, avaritiæ, & invidiæ obnoxii.

§. I.

PRÆMITTENDA.

PRæmitto 1mò: *Superbiam* bene definiri 404 à D. Th. 2. 2. q. 162. a. 1. ex Auguſt. l. 14. de Civit. c. 13. & aliis communiter: *Eſt inordinatus appetitus celſitudinis ſeu excellenciæ.* Inordinatio autem in hoc ſita eſt, quòd ſuperbus ex majore, quàm par ſit, æſtimatione ſui, & ſuarum perfectionum inflatus majora, & altiora ſe affectet. Laym. tom. 1. l. 3. S. 4. n. 23. Leſs. &c. ſive, quòd ſe magis æſtimet, quàm reipſa mereatur, ac ità menſuram à DEO conſtitutam excedat. Hunc exceſſum tripliciter poſſe contingere notat Regin. l. 17. n. 205. videlicet 1mò: cùm quis deſiderat habere aliquid independenter à Deo, aut tanquam propriis meritis debitum. 2dò: cùm quis deſiderat aliquid à Deo quidem dependenter, ſed meliore, & ſingulari modo cum deſpicientia aliorum. 3tiò: cùm quis nec alium deſpicit, nec aliquid à Deo independenter deſiderat, deſiderat tamen excellentiam majorem, quàm mereatur. Ex quo ſequitur non omnem ſuperbiam conjun-

ctam eſſe explicito contemptui ſive DEI, ſive proximi.

405. Præmitto 2dò: Superbiam aliam eſſe *perfectam*, & *completam* aliam *imperfectam*, & *incompletam* D.Th. cit. a. 6. Leſs. Laym. &c. *Perfecta* eſt, per quam homo adeò ſe extollit, ut Deo, ejúsque Divinæ voluntati, ac legi ſubjectus eſſe nolit. De quo dubium non eſt, quin peccatum ſit mortale, idque graviſſimum. *Imperfecta* eſt, quæ præcisè ſiſtit in nimia æſtimatione ſui, & amore propriæ excellentiæ. Hæc de ſe venialis eſt; niſi injuria accedat erga Deum, vel proximum, ùt ſi ſit cauſa violandi graviter aliquod præceptum, aut graviter proximum contemnendi, infamandi, ſupprimendi &c.

406. Præmitto 3tiò: Filias ſuperbiæ ſic dictas, quia ex ſuperbia velut radice oriuntur, juxta S.Th. cit. q.162. a. 2. & alios communiter eſſe tres videlicet *præſumptionem*, *ambitionem* & *vanam gloriam*. *Præſumptio*, prout non ſpei, ſed humilitati opponitur, eſt appetitus aggrediendi aliquid ſupra vires. *Ambitio* eſt inordinatus appetitus honoris, vel dignitatis. *Vana gloria* demum eſt inordinatus appetitus inanis gloriæ eo fine, ut manifeſtetur propria excellentia ſeu vera, ſeu ficta. Omnes hæ filiæ *de ſe* ex communi ſenſu veniale non excedunt; niſi cauſa ſint præceptum aliquod graviter violandi, aut proximo graviter nocendi, ùt

ùt n. præced. indicatum eſt. Quæ regula diligenter ad gravitatem earum diſcernendam præ oculis eſt habenda. His additur *pertinacia*, ſeu adhæſio propriæ ſententiæ plus quàm oporteat; *hypocriſis*, ſeu ſimulatio virtutis, *curioſitas*, ſeu appetitus ſciendi inordinatus, *inventio novitatum*, *vanus ornatus*, de quibus eodem ferè modo, ùt de prioribus, judicandum.

Præmitto 4tò: Juxta D. Th. cit. q. 115. a. 1. *Avaritia* eſt *inordinatus appetitus divitiarum ſeu acquirendarum, ſeu retinendarum.* S. Doctori conſentiunt omnes. Opponitur ſicut prodigalitas non tantùm liberalitati, ſed etiam juſtitiæ, ùt idem S. Doct. ibidem tradit. Hinc regula deſumenda, quando avaritia mortalis ſit, quando venialis. Venialis nimirum eſt, quando opponitur liberalitati, niſi conjuncta ſit voluntati transgrediendi præceptum obligans ſub mortali. Mortalis eſt, quando opponitur graviter juſtitiæ, ùt ſi vel acquirendo, vel retinendo divitias gravis injuria inferatur proximo. Tolet. de peccat. cap. 25. Idem applica prodigalitati. 407.

Præmitto 5tò: Ex avaritia tanquam matre naſci filias ſequentes. 1ma eſt *obduratio cordis* reſpectu egenorum, de qua actum eſt ſuprà n. 175. *Inquietudo cordis* ſeu nimia ſollicitudo, cujus malitia colligitur ex violatione aliqua præcepti gravi vel levi. *Violentia* illata, *fallacia*, ſeu *dolus*, ſive 408.

in verbo, ſive facto; quorum gravitas deſumitur à gravitate injuriæ illatæ. Proditio, ſeu deceptio proximi contra fidem datam in ejus damnum. Contingit hæc tripliciter videlicet prodendo perſonam, res ſeu mobiles, ſeu immobiles, & ſecretum, vel ſibi commiſſum. Cujus gravitas pariter deſumitur à gravitate damni proximo illati. D. Th. cit. q. 118. a. 8. Regin. l. 23. à n. 28. &c.]

409. Præmitto 6tò cum D. Th. 2. 2. q. 36. a. 1. & communi. *Invidiam eſſe triſtitiam de bono alieno, quatenus invidentis malum æſtimatur* videlicet ipſius excellentiam minuens. Exemplum dat Stoz l. 1. p. 3. n. 148. Si doleas, & triſteris de alterius ingenio, virtute, divitiis &c. quia alter ea de cauſa tibi præfertur, ac ità tua excellentia diminuitur. Meliùs invidiæ naturam declarat n. 149. videlicet invidum ex quadam animi puſillanimitate bonum alterius, ùt bonum illius eſt, falsò apprehendere ùt cauſativum proprii mali v. g. quòd honor ſocii ſit invidentis dedecus. Juxta eundem Stoz, & Tamb. l. 5. in Decal. c. 1. §. 3. n. 36. ex genere ſuo eſt tantùm venialis. Ratio illius eſt: quia ſi præcisè ſiſtatur in triſtitia, vel animi puſillanimitate non læditur graviter bonum proximi, vel ſui ipſius. Licèt poſſit eſſe mortalis ob adjunctam malitiam, ex qua gravia damna proximi, ùt detractiones, odia &c. oboriuntur. Commu-

munior tamen eſt oppoſita, cùm directè adverſetur charitati. Quanquam ex materiæ levitate venialis eſſe poſſit.

Præmitto 7mò: Juxta eundem D. Th. 410.
cit. a. 2. quem alii ſequuntur communiter, filias invidiæ eſſe ſequentes, nimirum *odium, detractionem, ſuſurrationem, gaudium de proximi malo*, quæ filiæ mortales ſunt, ſi verſentur circa materiam gravem, ſeu grave damnum proximi, veniales, ſi verſentur circa levem.

§. II.
Quæſita & Reſponſa.

Q. 1. *Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens* 411.
in genere dicat ſe habuiſſe ſuperbas cogitationes? vel fuiſſe ſuperbum? avarum, aut invidum? ℞. cùm pænitentes hoc modo confiteri admodum frequens ſit, eò Confeſſarium curam ſuam referre oportet, ut dignoſcat: an, & quale peccatum commiſerint, gravéne? an leve? Ideóque præ oculis habenda eſt data regula: an, qui ſuperbum ſe fuiſſe aſſerit, excellentiam ſuam *inordinatè* appetiverit, videlicet: an noluerit ſe Deo ſubjicere? aut proximum graviter, vel leviter ſimul deſpexerit? aut excellentiam meritis ſuis improportionatam affectaverit? ſi enim horum aliquid invenit, peccati non excuſabitur, & quidem gravis, vel levis, prout præcepto graviter, vel

vel leviter contraivit. Si verò nihil talis inordinationis intervenit: quia nimirum in excellentia ſua, eam totam Deo ſubordinando ſinè contemptu proximi meritis ſuis conformiter ſibi vel complacuit, vel eam meritis conformiter deſideravit, aut quæſivit, licitè egiſſe cenſebitur.

412. In eo autem, qui ſe avarum fuiſſe confitetur, obſervandum: an liberalitatis virtuti? an juſtitiæ contraiverit? & ſi juſtitiæ: an graviter? an leviter eam violaverit? præſertim verò: an non avaritiæ injuria in proximum ſe immiſcuerit? Videndum inſuper: an non ex eorum numero ſit, qui falsò avaros ſe fuiſſe exiſtimant: quòd indefeſsâ ſuâ induſtria rem familiarem, dando cæteroquin Deo, quod Dei, & proximo, quod proximi eſt, adaugere ſtuduerint? hæc enim laudabilis potiùs laborioſitas, quàm avaritia eſt.

413. In eo demum, qui ſe invidiæ accuſat accuratè diſquirendum eſt: an bonum proxmi falsè apprehenderit ùt diminutivum propriæ excellentiæ? Dico: *falsè*: ſi enim verè apprehendat bonum proximi boni ſui diminutivum, triſtitia de tali proximi bono, ſi cæteroquin moderata ſit, peccatum non erit. Bene quoque diſcernendum eſt inter invidiam, & æmulationem: nam ſæpiſſimè accidit, ut bonum quidem proximo faveamus, triſtemur tamen, quòd æquè felices nequaquam ſimus, ac ideò anhe-

anhelemus, ut ſimili felicitate frui poſſimus. Quæ æmulatio maximè contingit inter opifices, & artifices ejusdem profeſſionis. Unde multùm ad invidiæ notitiam conferet interrogare pœnitentem : an, cùm de bono proximi triſtaretur, illud tamen ei faverit, ac ſolùm ideò triſtatus ſit : quia ipſi bono tali deſtitui ſe videt? Itèm : an triſtatus ſit : quia proximum bono aliquo, quo pollebat, indignum, aut hoc ipſo bono perniciosum aliis novit ? ex dato enim reſponſo facilè conjici poterit : an invidiæ labe ſe ſe contaminârit ? an verò eâ immunis ſit cenſendus ? Porrò ſi invidiâ excuſandus non eſt, diſpiciatur : an de gravi bono, vel levi ſit triſtatus? Itèm : quia invidia mater eſſe ſolet ſpecialiter detractionis aliarúmque injuriarum, an non has, aut ſimiles filias mala hæc mater comites habuerit? ſed ad particularia deſcendendo :

Q. 2. *Quid judicandum de iis, qui ſe* 414.
de vana gloria, aut jactantia in genere accuſant ? ℞. De ſe quidem judicari poſſe venialem noxam non exceſſiſſe ? cùm ordinariè ſolùm vanam elationem animi, aut complacentiam contineant. Si tamen objectum, de quo procedunt, mortale ſit, ùt ſi quis de gravi furto, homicidio &c. ſe jactet, vel glorietur, mortales ſunt. Idem eſt, ſi de opere mortaliter peccaminoſo habita eſt complacentia. Ratio eſt :

quia

quia tunc vana gloria, jactantia, complacentia, conjunctum habet affectum ad malitiam mortalem, qui affectus mortaliter peccaminoſus eſt. Secus judicandum: Si vana gloria, jactantia, complacentia ſolùm de modo, non de opere ipſo mortaliter malo proceſſit, ùt ſi quis glorietur, ſe jactet, ſibi complaceat, quòd ingenioſè, artificioſè, aut dextrè furatus ſit, alterum occiderit &c. Sanch. in Decal. l. 1. c. 3. n. 12. Sporer &c. Ratio eſt oppoſita. Videndum quoque eſt: an jactantia non redundet in grave malum proximi, ùt contingeret, ſi quis peritum medicum, Advocatum &c. ſe eſſe jactaret, cum non ſit, & credulos in nocumentum valetudinis, aut rei familiaris induceret.

415. Q. 3. *Quid judicandum de pœnitente, qui ſe hypocriſis accuſat?* ℟. cum March. Reſol. Paſt. p. 1. c. 1. n. 5. diſpiciendum eſſe: an hypocriſis fuerit perfecta? quæ tunc contingit, quando quis ſimulando ſe bonum intendit opus malum e. g. ſimulando ſe caſtum intendit fornicari, ſimulando ſe juſtum intendit injuriam gravem inferre &c. Tunc enim citra dubium eſt mortalis. Ratio eſt: quia intendendo malum grave, graviter contemnit ſanctitatem. An verò ſit tantùm imperfecta, quæ tunc evenit, quando quis virtutem ſimulat cupiens eam aſſequi, vel nè alios ſcandalizet; hæc enim eſt ſolùm venialis. Ratio

eſt:

eſt: quia levem continet deordinationem. Optima igitur regula eſt, ut diſpiciatur finis, ob quem hypocriſis facta eſt: ſi enim finis graviter malus eſt, etiam hypocriſis graviter mala erit, levis, ſi finis fuerit levis.

Q. 4. *Quid ſentiendum de iis, qui dicunt veſtitu, & ornatu corporis ſe ſuperbiviſſe?* ℞. minùs rectè judicare eos Confeſſarios, qui moroſè nimis ornamenta talia cenſurantes peccati mortalis facilè condemnant pœnitentes, quos veſtibus, & formis earum novis, atque extraordinariis deditos depræhendunt, ratione ducti: quòd cenſeant ſimilibus ornamentis opus Dei adulterari: cùm potiùs non raro ſit opus naturæ adjuvare, vel defectus ejus ſupplere, vel ſaltèm vanum, & venialem appetitum pulchritudinis non excedat. Ut rite de tali ornatu judicetur finis, & circumſtantiæ ſpectanda ſunt: ſi enim contingat in ordine ad ſcandalum, proximúmque in ſcelus aliquod v. g. adulterium, fornicationem inducendum; vel ſi ornatu nimio, & pretioſo impediatur, quo minùs creditoribus ſatisfieri poſſit, aut eo proles in egeſtatem perducantur (idem applica conviviis) mortali peccato omnino non excuſabuntur. Ratio eſt: quia ordinare aliquid deliberatè ad malum mortaliter malum, aut proximo graviter nocere gravique obligationi non ſatisfacere, 416.

intrin-

intrinſecè graviter malum eſt. Quod ei finis talis, aut circumſtantiæ deſint, veniale non excedet; nullum etiam peccatum erit, ſi decentiæ ſolùm, ſtatus ratio habeatur,

417. Q. 5. *Quid ſentiendum de mercantibus, qui dolent, & triſtantur, quod emptores ſe neglectis ad alios mercatores accedant merces empturi?* ℞. cum La Croix l. 5. n. 305. Si doleant ideo præcisè, quia eſt bonum aliis mercatoribus, quod bonum apprehenditur ùt diminutivum excellentiæ dolentium, invidiam eſſe gravem, vel levem conformiter gravitati, vel levitati illius boni, de quo dolent. E contrà ſi faveant quidem lucrum reliquis, cupiant tamen etiam ſimile acquirere, ac ideo doleant, quia negliguntur, & lucro carere neceſſitantur, æmulatio licita eſt, nisì aliæ circumſtantiæ peccaminoſæ accedant.

418. Q. 6. *Quæ remedia adhibenda ſint adversùs ſuperbiam?* ℞. 1mum eſt; miſerias animi, & corporis, peccata, & defectus ſuos inſpicere. 2dum; Si aliquid laudabile, vel æſtimabile videtur, altè ſibi imprìmere, totum totaliter non ex propriis viribus, ſed ab uno, & ſolo Deo omnium bonorum fonte profluere. 3tium: conſiderare innumerum reperiri numerum, qui in eo ipſo, quod appretiatur, longè excellentiores ſunt. 4tum: perpendere quàm odibilem Deo, & hominibus reddat ſuper-

perbia. 5tum: Actibus humilitatis vitium hoc identidem impugnare.

Q. 7. *Quæ remedia adhibenda adversùs avaritiam?* ℟. 1mum eſt debitè recogitare, ad quæ peccatorum pericula nimia divitiarum appetentia deducat, ac ideò animam pretioſo Dei-Hominis ſanguine redemptam venum exponat. 2dum quomodo tametſi in infinitum accumulentur, nihilominùs tandem cum morte ſint deſerendæ. 3tium: cui poſt mortem ceſſuræ ſint, fortè talibus, qui beneficii nè quidem recordabuntur, abutentur &c. 4tum eſt exemplum Chriſti ſibi ob oculos ponere, qui paupertatem divitiis prætulit; quem Sanctorum innumera multitudo ſaluberrimè eſt ſecuta. 419.

Q. 8. *Quæ adversùs invidiam?* ℟. 1mum eſt: bene perpendere ſtupidam hujus vitii malitiam, quâ invidus ſibi ipſi non tantùm non prodeſt, ſed & nocens imprudentiſſimè ſeipſum arrodendo, inquietando, turbando, præterquàm, quòd citra omnem utilitatem in ſtatu peccati ſe invidendo conſtituat &c. Is verò, cui invidetur, bonum, quod habet, ideo non amittit. 2dum eſt: ob oculos ponere generale naturæ dictamen, quod tibi velles, velis etiam alteri. 3tium: directè animo, verbis, & opere, cùm fieri poteſt, invidiæ motibus ſe opponere, actus benevolentiæ, quâ bonum proximo faveatur, eliciendo, hunc 420.

ipſum animum verbis ſyncerè conteſtando, emolumentum illius quærendo, damna avertendo.

ARTICULUS XVI.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis gulæ, ac ebrietati obnoxii.

§. I.

PRÆMITTENDA.

421. PRæmitto 1mò: Peccatum *gulæ* communiter definiri: *Eſt inordinatus appetitus, & uſus cibi ac potûs voluptatis causâ.* Inordinatio hæc ſequenti verſu exprimitur: *Præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudiosè.* Ex quo colligitur vitium gulæ ſeu in cibo, ſeu in potu quinque modis contingere, videlicet 1mò ante tempus, aut ſæpius, quàm deceat, cibum, & potum ſumendo, quod indicat vox: *præproperè.* 2dò: Pretioſioribus, quàm ſtatui conveniat, utendo, quod indicat vox: *lautè.* 3tiò: Plus, quàm natura ferat, ingerendo, quod indicat vox: *nimis.* 4tò: Voraciter, & nimis avidè comedendo, vel bibendo, quod indicat vox: *ardenter.* 5tò: in condiendis cibis modum excedendo, quod indicatur per vocem: *ſtudiosè.* Omnes hæ inordinationes *de ſe* venialem malitiam non excedunt, ùt docet Laym. tom. 1. l. 3. S. 4. n. 2. Stoz l. 1. p. 3. n. 518. cum communi; poſſunt tamen

men *per accidens* eſſe mortales e.g. ſi ad-
junctam habeant præcepti jejunii violatio-
nem, ſi fiant cum gravi ſcandalo proximi,
vel gravi nocumento valetudinis. Item,
ſi fiant cum prævîſione gravis peccati ex-
inde ſecuturi: hæ enim circumſtantiæ gu-
læ vitium mortaliter aggravant.

Præmitto 2dò: Gulam in duas ſpecies 422.
dividi *crapulam* videlicet & *ebrietatem.*
Crapula propriè eſt inordinatus cibi uſus
causâ voluptatis. *Impropriè* tamen crapu-
la etiam dici ſolet uſus immoderatus po-
tûs, qui ad privationem usûs rationis non
pertingit. Hæc ſpecies ſeu in cibo, ſeu in
potu contingat, venialis eſt, tametſi vomi-
tum conjunctum habeat, ùt docet Regin.
l. 22. n. 54. Navarr. in Enchir. c. 23. n. 119.
Cajet. & alii. Excipiendum tamen vide-
tur, nisì quis gulæ nimis deditus volunta-
riè evomat, quod ſumpſit, ad finem ite-
rum ſe ingurgitandi: hoc enim involvere
videtur magnam deformitatem contra
naturam. *Ebrietas* eſt exceſſus in potu in-
ebriante causâ voluptatis, donec uſus rati-
onis adimatur. Ex quo liquet ad veram,
perfectámque ebrietatem requiri eſſentia-
liter, ut plenè *adimat uſum rationis;* ad pec-
caminoſam verò ebrietatem requiri, ut ſi-
mul fiat *causâ voluptatis.* Unde ſi quis
ex conſilio Medici utatur potu inebriante
causâ valetudinis (idem eſt de quocunque
alio fine honeſto) culpâ vacat, ſicut qui

cubitum ſe componens ſe uſu rationis ad tempus privat. Laym. cit. n. 5. Tolet. Cajet. &c.

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

423. Q. 1. *Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens in genere ſe inebriâſſe, aut ebrium fuiſſe confiteatur?* ℞. cùm non pauci præſertim rudiores, ac ſimplices ebrios ſe fuiſſe cenſeant, qui temulenti ſolùm rationis uſum non amiſerunt, inquirendum eſt Confeſſario: an pœnitens iſte rationis uſu ſe ſciat fuiſſe deſtitutum? ſique affirmet, quærendum porro: an ebrietatem intenderit, aut dum potum continuaret, obſervans eam ſecuturam, potum non interruperit? Quæ ambo ſi adfuiſſe cognoverit, mortalis noxæ reum exiſtimabit. Secus ſi dicat vel uſum rationis non plenè fuiſſe amiſſum, vel amiſſum quidem, ſed nequaquam ſeu prævisum, ſeu intentum. Quod accidere ſolet tum fortitudinem potûs ignorantibus, tum ad bibendum indiſpoſitis, tum præſertim poſt notabiliorem hauſtum liberiori auræ ſe ſe committentibus. Excipe tamen illos, qui diu, noctúque potantes ebrietatis periculo ſe exponunt, non curantes: an ebrietas ſecutura, vel non ſecutura ſit? March. p. 2. Reſol. Paſt. c. 4. n. 3. Tales enim mortaliter peccare cenſendi ſunt:

ſunt: cùm ſic conſtituti ad ebrietatem perfectam implicitè ſaltem ſe reſolvant. Signa verò ebrietatis aſſignat Leſſius l.4. c.3. dub.4. Laym. Cajet. &c. ſi quis die altera ignoret, quid pridie egerit, aut dixerit; ſi ignoret, quomodo domum venerit; ſi inter licitum, & illicitum diſcernere non potuit, cujus ſignum reflexum eſſe poteſt, ſi aliquid dixit, vel egit, quod mente integra nunquam dixiſſet, aut egiſſet.

Q. 2. *Quid ſentiendum de iis, qui ad æquales calices ſe ſe provocant, aut juſſu, vel conſilio ad ebrietatem inducunt?* ℞. Ad 424.
1mum cum Laym ſuprà cit. n. 6. & aliis communiter, graviter tales delinquere, ſi ebrietatem ſecuturam prævideant ſeu in ſe, ſeu in aliis, quibuscum certant. Ratio eſt ex definitione ebrietatis: quia graviter malum eſt uſu rationis causâ voluptatis ſe privare. Secus exiſtimandum, ſi ebrietatem, nec ejus periculum advertant, licèt ſubinde ad certamen ſimile conſequatur. ℞ ad 2dum. Ab his pariter gravem malitiam committi, ſi causâ voluptatis, non verò honeſto fine id agant. Ratio clara eſt: quia mortaliter illicitum eſt inducere ad actionem intrinſecè graviter malam. Dixi: *Causâ voluptatis, non verò honeſto fine*, qualem finem March. cit. n. 5. adeſſe cenſet, ſi id fiat fine mortem evadendi e. g. ſi quis videat ſe ab inebriando alioquin ad duellum provocan-

 dum,

Digitized by Google

næ jubenti craterem porrigere poteſt, tametſi ſecuturam ebrietatem prævideat, ſi id ſervitii citra incommodum omittere non poſſit. Excipe tamen, niſi omnes *voluntariam* inebriationem certò præviderent: ad peccatum enim nullatenus cooperari licet. Vide dicta ſuperius n. 306.

Q. 4. *An mala commiſſa in ebrietate* 426. *culpâ vacare cenſeri poſſint?* ℞. Si prævisa non ſunt, aut ſi cautio debita fuit adhibita, culpâ vacant. Secus ſi prævisa ſint, nec adhibita dicta cautio. Ratio prioris puncti eſt: quia defuit iis advertentia, & culpabilis negligentia. Ratio 2di eſt: quia licèt culpa non fuerint, dum actu ab ebrio proceſſerunt, utpote qui tunc advertere ad malitiam non potuit; ſunt tamen culpa ob advertentiam plenam ante ebrietatem, ad quam ſe idem ebrius voluntariè reſolvit. Hæc itaque regula Confeſſario eſt inſpicienda, ſi quæ mala ebrietatem conſecuta ex pœnitente audiat. Quòdſi vero is ſolius ebrietatis meminerit, interrogare etiam illum convenit: annon ebrietate malo cuipiam occaſionem præbuerit? cum ebrietas multorum, ſæpe admodùm gravium ſcelerum, præſertim rixarum, blasphemiarum, ſpurcitiarum occaſio eſſe conſveſcat.

427. Q. 5. *An ebrio ad mortis periculum deducto impertienda ſit abſolutio, ac dari poſſit viaticum?* ℞. Ad 1mum omnimodè curandum, ut à tali (ſæpe enim ebrii in ſimilibus periculis ad aliquod rationis diluculum redire ſolent) ſignum quodpiam doloris obtineat; & ſi obtinetur, *abſolutè* abſolvatur; ſi verò certum obtinere non poſſit, agatur, quantum pro ſalutis auxilio fieri poteſt, & juxta dicenda inferiùs de abſolutione n. 511. conferatur eidem abſolutio *ſub conditione*. ℞. ad 2dum cum Gob. tr. 4. n. 195. negandum ipſi eſſe viaticum, ſi conſtet ebrietatem fuiſſe voluntariam. Secus ſi ſciatur eam fuiſſe involuntariam, vel ſi de hoc ipſo dubitetur. Dummodo periculum abſit, nè ſpecies ſacras rejiciat.

428. Q. 6. *Quæ remedia adversûs gulam uſurpanda?* ℞ 1mum eſt cibos, & eorum uſum, priùsquàm contingat prudenter ad leges temperantiæ regulare. 2dum: ſi uti lautitiis, vel ciborum deliciis oporteat, hunc ipſum uſum ad finem bonum referre. 3tium: in menſis ſingulis aliquid magis arridens ſibi ſubtrahere. 4tum: bene perpendere turpiſſimum eſſe, gulâ ipſas etiam beſtias, quæ non vorant quantum, & quod objicitur, quaſdam etiam ſuperare velle, quæ non ultra ſatietatem ſe ingurgitant. 5tum: conſiderare gulæ effectus, quales ſunt valetudinis, & vitæ decurtatio, frequens

quens corporis, & animi ad obeunda ſua munera indiſpoſitio, animi ad res viliſſimas depreſſio, & à cœleſtibus ſuperioribus bonis averſio.

ARTICULUS XVII.

De Munere Confeſſarii reſpectu pœnitentis iræ, vel acediæ obnoxii.

§. I.

PRÆMITTENDA.

PRæmitto 1mò: *Iram* ſecundùm ſe acceptam eſſe *appetitum vindictæ.* Dixi: ſecundùm ſe acceptam, non enim ſemper vitioſa eſt; unde illud Pſ. 4. *iraſcimini, & nolite peccare.* Quando verò vitium eſt, plenè ſic definitur: *eſt appetitus inordinatus, vel immoderatus vindictæ.* Inordinatio hæc dupliciter contingit 1mò *ex parte modi* iraſcendi, nimiùm videlicet interius exardeſcendo, vel exteriùs per ſigna patefaciendo. 2dò *ex parte objecti* vindictam injuſtam, vel juſtâ majorem appetendo e. g. optando inimico mortem, quam meritus non eſt; hos modos conſequi ſolent contumelia, detractio, contumeliæ, rixæ &c. D. Th. 2. 2. q. 158. a. 5. Regin. l. 21. c. 9. ſub initium, & alii communiter. 429.

Præmitto 2dò: quod ex dictis colligitur, iram quandoque omni culpà vacare, tunc videlicet, quando quis iraſcitur culpis 430.

 proxi-

proximi *moderatè*, ùt ſi Profeſſor iraſcatur culpis diſcipulorum, Parens culpis prolium, Dominus ſubditorum, nec excedendo videlicet in modo, nec volendo vindictam injuſtam, aut juſto majorem, nec ex ira ad aliqua alia peccata, ùt imprecationes, maledicta &c. prorumpendo. Quandoque autem veniale non excedit, tunc nimirum, quando inordinatio ſolùm in nimia exardeſcentia, aut ſignis externis ſubſiſtit, aut levis vindicta appetitur. Quandoque demum mortaliter peccaminoſa eſt, quando ſcilicet appetitur vindicta gravis, vel quando ex illa in deliberata maledicta, blaſphemias, imprecationes, graves contumelias deſcenditur. Ratio 1mæ p. eſt: quia licitum eſt moderatè juſtam vindictam appetere. Secundæ p. ratio eſt: quia exardeſcentia illa, & ſigna rationi non graviter repugnant, & vindicta levis materia eſt parva. Tertiæ p. ratio eſt oppoſita: quia videlicet deordinatio gravis, & materia gravis eſt. Iræ proinde ultimæ tantùm convenit illud Chriſti dictum Matth. 5. *Qui iraſcitur fratri ſuo reus erit judicio.*

431. Præmitto 3tiò: Juxta Doct. Angelic. 2. 2. q. 35. a. 1. *Acediam* eſſe *triſtitiam quandam, ſive tædium rerum ſpiritualium, ſeu ad animæ ſalutem ſpectantium, quâ diſplicet bonum ſpirituale ùt tale.* Unde acedia propriè dicta non eſt, quando tædium aliquod, nauſea, triſtitia, averſio terminatur ad circum-

cumſtantias ſolas e. g. temporis, viæ, auræ incommodæ &c. ità ut bonum ſpirituale ſecundùm ſe nequaquam nauſeetur. E. gr. ſi quis triſtetur, vel tædio afficiatur, quòd tempore frigido audienda ſit Miſſa. Eſt ex genere ſuo peccatum mortale. Regin. l. 17. n. 108. Tolet. Laym. Bonac. &c. fieri verò poteſt veniale tum ex defectu pleni aſſensùs, tum ratione parvæ materiæ. Bona porrò ſpiritualia ſunt gratia acquirenda, vel conſervanda, gloria cœleſtis obtinenda, præcepta ſervanda, Sacramenta frequentanda, opera virtutum exercenda. Filiæ acediæ ſunt odium rerum ſpiritualium, puſillanimitas, torpor, rancor, evagatio &c.

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

Q. 1. *Quid agendum Confeſſario, ſi pænitens ſe iratum fuiſſe dicat?* ℞. Ad rectum de ira judicium formandum inquirendum 1mò: an pœnitens iram confitens vindicare ſe intenderit? an verò ſolùm vehementiùs exarſerit? Si primum; inquirendum porrò: an vindicta intenta gravis fuerit? an levis? Itèm: an hæc intentio ex plena deliberatione? an verò ex primo impetu, aut deliberatione ſemi-plena proceſſerit? ac dein; annon ex ira blasphemiæ, maledictiones, detractiones, & ſimilia 432.

lia peccata deliberatè, vel indeliberatè ſubſecuta ſint? Sic enim gravitas, vel levitas iræ facilè dignoſcetur. Si ſecundum, leviter tantùm (niſi fortaſſe ſcandalum grave, aut alia circumſtantia aggravâſſet) peccâſſe cenſebitur: cùm exardeſcentia potiùs impatientia quædam, vel indignatio dicenda ſit, quàm ira. Imò & peccati omnino excuſabitur, ſi exardeſcentia, vel indignatio moderamen non exceſſit.

433. Q. 2. *Quibus caſibus vindicta cenſeri injuſta debeat?* ℞. injuſtam eſſe 1mò: ſi appetatur alicui pœna, qui malum non egit, 2dò: Si appetatur pœna major demeritô. 3tiò: Si appetatur pœna ſinè debito ordine juris. 4tò: Si absque debito fine, qui eſt ad bonum tuendum, vel malum puniendum. 5tò: Si absque debito modo e. g. maledicendo, blasphemando &c. Gravitas verò injuſtitiæ ex pœnæ, aut memoratarum circumſtantiarum gravitate, eſt deſumenda.

434. Q. 3. *Quæ regula obſervanda ad dignoſcendum: an pœnitens acedioſus de bono ſpirituali mortaliter peccaverit?* ℞. Pro hoc diſpiciendum eſſe: an tædium, aut triſtitiam habuerit de operibus quibusdam, quæ ſub mortali ſunt præcepta? ſi ità, mortaliter deliquiſſe cenſebitur? ſi minùs, venialis duntaxat noxæ reus judicabitur: Ratio deſumitur ex ordine objecti ad præceptum. Ex quo ſequitur mortalis peccati reum eſſe, qui

qui tædio afficitur ob Miſſam die feſto audiendam, ob jejunium diebus vetitis obeundum, &c. niſì tædium, ùt ſupra dictum eſt, non tam ad opus bonum, quàm circumſtantiarum difficultatem terminaretur. E contra mortale non eſſe, ſi quis tædio afficiatur propter orandum, eleemoſynam elargiendam, aliáque opera ſupererogatoria frequentanda. Ratio: quia priores actiones graviter præceptæ ſunt; non itèm poſteriores.

Q. 4. *Quæ remedia præprimis conducant ad iræ vitium extirpandum?* ℟. 1mum eſt: diſpicere materiam, quæ hactenus ad iram provocavit, & contra idipſum patientiâ ſe obarmare: prævisa enim jacula & minùs feriunt, & moderatiùs feruntur. 2dum eſt: occaſiones iræ ſtudioſè evitare. 3tium Ut malum, quod ad iram incitat, patienter feratur, ſibi proponere exemplum Chriſti, & Sanctorum, peccata propria, copioſa, & gravia, quæ hoc, & majora merentur. 4tum: Malo tali obveniente non nihil ſe recolligere, perpenderéque: annon præſtet tacere, diſſimulare, ſermonem alio convertere? 5tum demum: Si motus interni coerceri non poſſunt integre, ori cuſtodiam ponere, linguæ frœnum injicere, nè in quædam illicita prorumpat. 435.

Q. 5. *Quæ conducant adversùs acediam?* ℟. 1mum eſt in memoriam revocare beneficium creationis, redemptionis, conſervationis 436.

ſtomachum transmiſſo. Unde naturaliter jejunus dici nequit, qui etiam minutiſſimam quantitatem ſeu cibi, ſeu potûs in ſtomachum transmiſit. *Morale* eſt abſtinentia à cibo, & potu juxta regulas temperantiæ, ad quam omnes obligantur, vel: eſt abſtinentia à cibo, & potu licito virtutis amore, non ex præcepti obligatione, exercita. *Eccleſiaſticum* eſt abſtinentia à cibo, & potu juxta modum ab Eccleſia præſcriptum, de quo unico hic tractandum.

Præmitto 2dò: Modum abſtinentiæ ab 438.
Eccleſia præſcriptum, ac præceptum in tribus conſiſtere. 1mum eſt: *unica* per diem naturalem integrum, id eſt, à 12. noctis, usque ad 12. noctis ſubſequentis, *refectio.* 2dum eſt: *abſtinentia à certo genere ciborum.* 3tium: *hora certa refectionis.* Ità communis. Ratio horum modorum eſt: quia Eccleſia per jejunium voluit, ut corpus caſtigetur, & concupiſcentia coërceatur citra notabilem læſionem naturæ. Ideóque, ſi nulla refectio, vel neque piſces, & legumina concederentur, nimis læderetur natura; è contrà, ſi carnes permitterentur, finis caſtigationis corporeæ neutiquam ſequeretur. Ex modis his primi ſunt de eſſentia jejunii, tertius non itèm. Ratio eſt: quia ſinè duobus primis finis præcepti non habetur; habetur verò ſinè tertio. Ex quo ſequitur, ſi plures per diem naturalem

fiant

fiant refectiones, vel carnes comedantur, mortaliter delinqui, non itèm, ſi refectionis hora, quæ eſt hora circa meridiem, non obſervetur. Nomine tamen *refectionis* non venit refectiuncula veſpertina, quæ ex unanimi DD. ſenſu omnibus conceditur; ſed intelligitur refectio *plena*, id eſt, usque ad ſatietatem. Pro hujus declaratione

439. Præmitto 3tiò: *Refectiunculam* ideò ſic dici: quòd modica cibi quantitas ſit ſumenda. Menſura verò hujus quantitatis communiter ſtatuitur quarta pars cœnæ intrà temperantiæ limites ſumi ſolitæ, quantitate hac non mathematicè, ſed *moraliter* dijudicata. Quam menſuram licitè ſequi poſſunt omnes, cujuscunque ſint conſtitutionis corporalis. Quod ſi verò aliquantùm excederetur, ob materiæ levitatem venialiter tantùm peccaretur, imò nullatenus juxta quosdam, nisí pars tertia excedatur. Hi tamen laxiùs procedunt. Excipe cum Fill. cit. n. 32. niſi labor vel præſtitus, vel præſtandus, aut vires debiles majorem quantitatem requirant. Itèm, nisi tempora quædam, qualia ſunt vigilia Nativitatis, Paſchatis, Pentecoſtes, majorem refectionem conſuetudine inductam admittant. Tamb. in Decal. l. 4. c. 5. §. 4. n. 7. & 8. Diana, Stoz &c. Cibos in collatiuncula ſumendos varii variè aſſignant, ſed ut loquitur idem Stoz. l. 1. p. 3. n. 524. non refert, idip-

Digitized by Google

idipſum cujus qualitatis ſint, modò eſuriales ſint, nec in quantitate fiat exceſſus.

Præmitto 4tò: Extra refectionem matutinam plenam, & collatiunculam veſpertinam, valde modicum cibi ſumere non eſſe ſimpliciter illicitum, præſertim ſi fiat ob urbanitatem, vel preces amici, vel nè potus noceat. Cavendum tamen, ne ſæpius per jejunii diem contingat ſinè juſta cauſa: multa enim modica facilè coaleſcunt in notabilem quantitatem ad mortale ſufficientem. Unde damnata eſt ab Alexandro VII. ſequens propos. n. 29. In die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. Licitè etiam manè aliquid modicum ſumi poteſt ad tollendum oris fœtorem: hoc enim ſumitur per modum medicinæ. Itèm ad prægustandos cibos, licèt carnes eſſent. Fill. cit. c. 2. n. 36. Navarr. &c. Ratio hujus eſt: quia tunc, quod ſumitur, non ſumitur fine refectionis, ſed fine præſtandi debiti obſequii. Itèm ob probabilem timorem deficiendi vacuitate ventriculi: præceptum enim Eccleſiæ non obligat cum damno notabili. Palud. d. 15. q. 4. a. 4. Sylv. &c. Licitè itèm ſumitur electuarium ad dirigendos cibos. Ratio: quia etiam hoc ſumitur in modum medicinæ. Excipe: niſi id fieret in fraudem jejunii bonam quantitatem ejuſdem ſumen-

440.

do. S. Th. 2. 2. q. 147. a. 6. ad 3. cum aliis. Licitum præterea eſt aliquid cibi capere Lectoribus, & miniſtris menſæ in domibus Religioſis. Laym. cit. n. 6. Azor. Valent. &c. Ratio eſt: tum quia id fit ad vires pro officio adaptandas, tum quia inchoatio quædam eſt cœnæ. Idem applicandum famulis, qui inſerviunt dominis. Licitum denique eſt aliquid adhuc ſumere poſt cœnam, dummodò hæc comeſtio poſſit dici moraliter eadem cum cœna ob moralem continuitatem. Leſſ. l. 4. c. 2. dub. 2. n. 8. Valentia D. 9. q. 2. p. 3. cum communi. Moralis verò continuitas deſumenda eſt ab intentione cœnam interruptam continuandi, itèm à circumſtantiis negotii, temporis, loci, ùt notat Azor l. 7. c. 9. q. 1. Unde, qui, licèt ſufficienter refectus, ſurgit à cœna animo revertendi, reverſus cœnam continuans nòn violat jejunium. Idem Leſs. cit. n. 12. & Fill. cit. n. 41. cenſent de eo, qui, ſufficienter refectus, ſurgit animo non revertendi, & cœnam reverſus continuat, quam ſententiam, licet oppoſita illi præplaceat, probabilem cenſet Laym. cit. loco cit. Quod potum attinet, licitum eſt ſæpius de die illo uti, ùt docent omnes cum Angelico cit. q. 147. a. 6. Limitandum tamen eſt, nisì potus ex natura ſua ordinetur ad alendum, & nutriendum, qualis eſt juſculum, & alia ſimilia nutrientia. Azor. cit. q. 7. §. ſciendum.

Digitized by Google

dum. Palud. Laym. &c. Ratio eſt: quia Eccleſiæ præceptô ſola comeſtio eſt prohibita, neque præcipit corpus caſtigari ſiti, ſed aliquâ inediâ. Ex quo ſequitur licitum etiam eſſe ad extinguendam ſitim comedere botrum, pomum, aut ſimile quidpiam, niſi idipſum in fraudem jejunii fieret. Fill. cit. n. 43. cum aliis. Licitum ſimiliter eſſe ſumere chocolatam, dummodò non densè nimis coctam, Caffe, The, & potus ſimiles, pro quibus authoritatem non levem adducit La Croix l. 3. p. 2. n. 1291.

Præmitto 5tò: Cibos, qui die jejunii 441. prohibentur, triplices eſſe, videlicet carnes vulgò dictas, prout à piſcibus, & quæ nomine piſcium veniunt, diſtinguuntur. Ità communis. 2dò: ova tempore Quadrageſimæ, non aliis temporibus, ùt notat D. Th. cit. loco cit. art. ult. 3tiò: lacticinia eodem Quadrageſimæ tempore, non aliis temporibus, ùt idem D. Th. docet. Sed in poſtremis duobus attendenda eſt locorum conſuetudo: in quibusdam enim locis ovorum, & lacticiniorum uſus conſuetudine inductus non eſt, in aliis verò, in quibus terræ noſtræ ſunt, libere ex conſuetudine permittitur. Cæterùm, ut etiam comeſtio carnium mortalis ſit, notabilem eſſe oportet. Quæ verò non notabilis, & ad mortale inſufficiens ſit, indeciſum relinquunt plerique. Stoz. cit. n. 528. ſufficientem cenſet, ſi æquet dimidium

quadrantem libræ, ſeu 4. lothones, inſufficientem quod infra eſt.

442. Præmitto 6tò: Ad jejunium ſervandum modo declarato obligari omnes Chriſtianos ſanæ mentis cujuscunque conditionis, dignitatis, aut ſtatûs ſint, niſì rationabili cauſâ excuſentur. Eſt communis cum D. Th. cit. a. 4. Intelligendum verò id eſt de jejunio toti Chriſtianitati impoſito, nòn de jejunio certis tantùm locis affixo, ad quod ſoli illi obligantur, qui in iis locis domicilium fixerunt. Unde peregrini talibus jejuniis non ſtringuntur.

443. Cauſæ verò rationabiles ab obligatione jejunandi excuſantes ſunt ſequentes. 1ma eſt *ætas imbecillis*, quâ excuſantur, qui annum 21. necdum impleverunt, ut docet communis cum D. Th. cit. loco cit. Ratio eſt: quia ætas hæc ob ſtatum augmenti frequentiore, & abundantiore indiget alimento. Ob eandem cauſam excuſantur ſenes, qui alimento majore egent ad virium defectum reſtaurandum. Contingit autem ſenectus plerumque anno 60. ùt complures docent cum Laym. cit. c. 3. n. 2. Nihilominùs hoc tempus non ità determinatum eſt ad excuſandum, ſicut tempus 21. anni in juvenibus, ùt docent Leſſ. l. 4. c. 2. dub. 6. Navarr. Laym. Valentia, & alii plerique contra Sanchez l. 7. de Matr. D. 22. n. 17. Ratio diſparitatis eſt: quia in juvenibus ſtatus augmenti urget univerſaliter pro omni-

mnibus, in ſexagenariis (idem dicendum de fœminis quinquagenariis) una urget virium debilitas, quæ tamen apud quosdam admodùm exigua eſt. Unde Fill. cit. c. 6. n 112. bene limitat docens ſexagenarios *ordinariè* excuſari, addénsque: cùm de hac ætate conſtat, de robore verò ambiguum eſt, non eſſe expectandum, ut robur deficiat: nec enim Eccleſia petit, ut ſubditi tales ſeu periculum irreparabilis defectûs, ſeu ipſum defectum irreparabilem ſubeant.

2da cauſa excuſans eſt *impotentia*, ob 444. quam excuſantur 1mò: infirmi, ac debiles. 2dò: mulieres prægnantes, aut lactantes. 3tiò: pauperes, qui non poſſunt habere unum prandium completum, nec ſuo tempore. Hinc, ſi alius cibus non ſuppetat, nisi prohibitus, comedere ex eo poſſunt. D. Th. cit. a. 4. communiter receptus. Addit Laym. cit. n. 3. tolerari etiam apud nos conſuetudinem, ut finitis Bacchanaliorum diebus carnium reliquiæ, quæ à divitibus abſumi non poterant, dentur pauperibus abſumendæ, Huc reducuntur laborantes apud hæreticos, quibus carnes manducare licet, dummodò id fiat absque ſcandalo, quod præpedire poſſunt dicendo, ſe in tali neceſſitatis caſu Eccleſiæ præcepto non obligari. Neque tales urgendi ſunt, ut pane contententur, aut leguminibus ſolis: quia benigna Mater Eccleſia non cenſetur velle tam arduam reſtrictionem.

Digitized by Google

445. 3tia cauſa excuſans eſt *neceſſitas*, quæ dividitur in *propriam*, & *familiæ*, ſeu *decentiæ ſtatûs*. *Neceſſitas propria* tunc contingit, quando jejunando ſeu animæ, ſeu corpori impediretur magnum lucrum, vel afferretur notabile damnum: cùm enim hæc univerſaliter à præceptis Eccleſiaſticis ſervandis excuſent, excuſabunt etiam à præcepto obſervandi jejunium. Sic excuſantur mechanici, operarii, peregrinantes, & omnes illi, qui labore victum quærentes ità fatigantur, ut jejunium cum hoc labore non ſubſiſtat. Sic excuſatur puella, quæ die jejunii laborat, & ob laborem non jejunat, ut labore periculum pudicitiæ evitet. Fill. cit. c. 6. n. 116. & cum eo alii communiter. Dixi: *qui labore ità fatigantur, ut jejunium cum hoc labore non ſubſiſtat*: hæc enim regula univerſaliter ſpectanda eſt ad dignoſcendum: an laborans ab obſervatione jeiunii ſit eximendus? Unde, ſi quis iter breve, vel equô, aut curru vectus citra ſpecialem defatigationem conficiat, minimè excuſatur: cùm labor talis cum jejunio omnino ſubſiſtat. Liquent hæc ex duabus propos. ab Alexandro VII. damnatis, quarum prior eſt ordine 31. *Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamſi neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.* Altera eſt ordine 30. *Omnes Officiales, qui in Republicâ corporaliter*

tir laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare: an labor ſit compatibilis cum jejunio. Cæterùm, labor cum jejunio incompatibilis non excuſat tantùm, ſi die jejunii ſit perſolvendus, ſed etiam, ſi præteritus ſit, aut imminens; præteritus quidem, ut vires reparentur; imminens, ut pro eo vires habeantur. Ex quo ſequitur, ruſticos, fabros, & ſimiles opifices, tempore gravium ſuorum laborum, qui toto anno communiter perdurant, à jejunio ordinariè excuſari. Neque refert: an labor corporalis ſit? an mentalis? uterque enim ſic defatigare poteſt, ut cum jejunio non ſubſiſtat. Unde excuſantur etiam Concionatores, qui aliquoties per hebdomadam concionantur. Excuſantur item Scholarum Magiſtri, ſi accuratè cum diſcipulis laborent. Quia tamen de his certa regula ſtatui nequit, præter illam, quæ paulò ante fuit aſſignata, meliùs faciunt, ſi à ſuperiore ad tollendum omnem ſcrupulum licentiam petant. *Neceſſitas familiæ*, vel *decentiæ ſtatûs* tunc eſt, quando citra laborem cum jejunio incompatibilem non poteſt ali familia, veſtiri, dotari proles, ſuſtentari filius in Academia &c. Ratio eadem eſt, quæ data eſt pro neceſſitate propria.

4ta cauſa excuſans eſt *pietas*, qua à jejunio deobligantur, quicunque melioribus operibus vacare non poſſunt, ſi jeju- 446.

 nent

nent. Eſt communis. Ratio eſt: quia jejunium præcipitur ùt promotivum boni, non verò, ùt impeditivum majoris boni. Hæc cauſa excuſat 1mò: vacantes operibus miſericordiæ, etiam pro mercede, ùt Concionatores, Lectores, Cantores, ſi alioquin munus ſuum cum jejunio obire non poſſint. Leſſ. cit. n. 44. Navarr. Cajet. &c. 2dò excuſat uxorem, quæ à viro metuente, nè ejus valetudo, aut forma detrimentum ſubeat, prohibetur non jejunare. Fill. cit. n. 125. Leſſ. Navarr. &c. Excipe: niſi in contemptum Eccleſiæ, aut Religionis prohiberetur. Excuſat itèm uxorem, quæ ob teneram complexionem viro debitum reddere non poteſt, ſi jejunet. Laym. cit. n. 4. Sanchez l. 9. de Matr. D. 3. n. 10 &c. 3tio excuſat peregrinos, qui peregrinationem ſuſcipiunt ex magna devotione, vel redundantem in magnum Dei honorem, aut propriam utilitatem ſpiritualem. D. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3.

447. 5ta cauſa eſt *diſpenſatio*. Liquet ex praxi. Poteſt verò diſpenſatio obtineri 1mò: etiam pro tota vita à Pontifice: ſicut enim ipſius eſt præcepta Eccleſiaſtica condere, ſic illius eſt in iiſdem diſpenſare. 2dò: poteſt obtineri ad tempus ab Epiſcopis, Vicariis Generalibus, aliiſque Prælatis inferioribus, Poteſtatem in ſubditos haben-

habentibus, ſi juſta cauſa, de ſe ad excuſandum non totaliter ſufficiens, adſit: ſi enim totaliter ſufficiens adſit: diſpenſatione opus non eſt, ùt communiter docent omnes. Cùm verò cauſa minùs ſufficiens eſt, ſuadet Tamb. in Decal. l. 4. c. 5. n. 60. cum aliis, miſceri aliquam commutationem. Ac ità fieri aſſolet, quando in Quadrageſima ob dubias cauſas univerſaliter diſpenſatur in eſu carnium. Eandem facultatem habent Parochi, niſi conſuetudo ſit in oppoſitum. Secum verò ipſi ſuperiores diſpenſare poſſunt, ſi vel altiorem ſe non habeant, vel eum adire non poſſint.

§. II.

Quæſita & Reſponſa.

Q. 1. *Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens ſe in genere de jejunio violato accuſet?* ℟. Inquirendum eſſe: quo modo id ipſum violaverit? an carnium eſu? an comedendo ad ſatietatem? an tempus cœnæ anticipando? Si primo modo violatum intelligit, inquirendum porrò: an ſæpius eadem die carnes manducaverit? toties enim mortaliter peccatur, quoties manducantur, ùt docet Cajet. 2. 2. q. 147. a. 8. 148.

 &

& in Sum. v. *jejunium* c. 1. Nav. Laym. Stoz. Fill. & alii communiter. Ratio eſt: quia Eccleſia abſolutè carnibus interdicit, ſic, ut nunquam eas comedere liceat. Si altero modo violatum agnoſcit, de numero comeſtionum ad ſatietatem percontari opus non eſt: cùm ſola prima comeſtione mortaliter peccetur, ùt communiter docetur cum Cajet. cit. loco cit. Navarr. Armilla, Medina &c. Ratio eſt: quia intentio Eccleſiæ eſſe videtur, ut ſemel tantùm in die corpus reficiatur: quare ſi altera vice ſufficienter refectum eſt: jam forma jejunii deſtructa eſt, ut nulla ampliùs obligatio ex lege Eccleſiæ ſuperſit. Si tertio ſolùm modo violatum advertit citra juſtam cauſam, venialiter duntaxat peccâſſe cenſebit, licet notabiliter cœnam anticipaſſet; nullatenus, ſi juſta cauſa adfuit. Stoz. l. 1. p. 3. n. 529. Leſſ. cum communi. Ratio: quia, tametſi anticipetur cœna, adhuc habetur finis præcepti Eccleſiaſtici. Videndum prætereà, ſi jejunium de ſe violatum appareat: annon aliqua cauſa excuſans adfuerit? non raró enim fit, ut pœnitens violatum à ſe jejunium exiſtimet, cùm reipſa ab eo excuſatus fuerit. Pro quorum notitia pleniore

Q. 2. *An culpa violati jejunii reum cenſere* 449.
pænitentem debeat Confeſſarius, qui non jejunavit dubitans: an annum 21. compleverit, vel, qui die, quo eum complevit, non jejunavit? ℞. negativè cum Bonac. de reſtit. d. 1. q. 2. p. 2. n. 2. Joan. Sanch. & aliis non paucis. Ratio prioris partis eſt: quia dubitans de expleta dicta ætate manſit in ſuæ libertatis poſſeſſione. Ratio alterius partis eſt: quia præceptum de jejunio reſpicere videtur diem integrum velut individuum objectum. Unde, ſi non comprehendat totum, nec comprehendit partem. Oppoſita tamen ſua etiam probabilitate non deſtituitur, ſequitúrque illam Thomas Sanchez l. 2. de Matr. d. 24. n. 23. cum aliis.

Q. 3. *An voto jejunandi certis diebus to-* 450.
to vitæ tempore obſtrictum deobligatum cenſebit pænitentem, ſi cæteroquin ſenectute à jejunio excuſetur? ℞. cum Laym. cit. c. 3. n. 2. contra Sanch. l. 4. Mor. c. 11. n. 54. Negativè, ſi citra notabile corporis detrimentum jejunare poſſit: ſicut enim adoleſcens, licèt cæteroquin ante completum 21. annum jejunare non teneatur, ad id tamen obligatur, ſi voto ſe obſtrinxit, ità & obligatur, qui annos ſenectutis attigit.

Q. 4. *Quid judicandum de iis, potiſſimùm* 451.
plebejis pænitentibus, qui ſe cibos lardo, vel pingvedine anſerum conditos die jejunii comediſſe fatentur? ℞. ſpeculativè quidem pro-

ba-

babilem eſſe ſententiam, quam refert, nec improbat Azor l. 7. c. 10. q. ult. talium ciborum eſum, ubi ovorum, & lacticiniorum uſus conceditur, eò, quòd, ſicut ova, ità & lardum, aliáque pingvedo ſimilis, non ſit caro, licet à carne procedat; in praxi tamen improbanda videtur ob conſvetudinem, quâ conſentientibus Prælatis uſus ovorum, & lacticiniorum introductus eſt; non ita uſus lardi, aut ejusmodi pingvedinis. Laym. cit. c. 1. n. 5. ubi tamen innuit, cùm minor videatur prohibitio lardi, quàm carnium, talem pænitentem non facilè peccati mortalis condemnandum; ac proinde etiam non difficulter pauperibus uſum hunc, ancillis verò talem ciborum cocturam cum eorum eſu, quando imperium detrectare nequeunt, eſſe concedendum.

452. Q. 5. *An excuſandus ſit, qui ideò non jejunavit: quia jejunans dormire nequit?* ℞. ſi dormire nequit, niſi bis ad ſatietatem, vel carnes comedat, omittendo jejunium delinquere cenſendus non eſt: cùm Eccleſia tam notabile incommodum ſua lege non intendat. Ob quam rationem etiam excuſandum eum judicat Tamb. in Decal. l. 4. c. 5. d. 7. n. 14. qui valde magnam difficultatem jejunando experitur, e. gr. ob ſtomachum valde calidum, & voracem: ideòque cenſet hunc tantum cibi ſumere poſſe; quantum ſufficit ad temperandum hoc

hoc incommodum. Excipe: niſì incommodum ex vitioſo habitu oriatur, ùt rectè diſtinguit Paſqual, decis. 296. E contrà, ſi dormire poteſt veſperi refectus, tametſi non reficiatur à meridie, tenetur ordinem refectionis immutare: ſic enim commodè jejunii ſubſtantiam poteſt ſervare. Tamb. cit. loco cit. La Croix l. 3. p. 2. n. 1325. contra utrumque Sanchez, Dianam &c. Non pauci excuſandam quoque volunt puellam, vel viduam nubere volentem, ſi jejuniô deformitas immineat. Quod verum eſt, ſi moralis adſit certitudo deformitatis ſecuturæ, ob quam minùs ſit deſideranda: cùm id ipſum meritò inter magna incommoda ſit reputandum; quia tamen raṙò certitudo talis adeſt, ſententia hæc vix in praxi locum habet, ùt convenienter obſervat La Croix cit. n. 1326.

Q. 6. *Quid judicandum de eo, qui actione cæteroquin licita defatigatus altera vice plenè ſe reficit?* ℞. Quamvis non pauci cum D. Th. ſuprà cit. & Tamb. cit. n. 31. probabilius exiſtiment, omne opus incompatibile cum jejunio die jejunii citra juſtam cauſam eſſe omittendum; nihilominus probabilis ſententia eſt, quam ſequitur Vict. Henriq. Bonac. Sanch. &c. non peccare eum, qui ex quovis fine honeſto laborem aſſumit, quo ſe ità defatiget, ut plena altera refectione indigeat. 453.

Ratio

Ratio iſtius ſententiæ eſt: quia nulla lex videtur prohibere talem actionem ex honeſto fine ſuſceptam; ſuppoſita verò defatigatione, jejunium eſt moraliter incompoſſibile. Unde conformiter huic ſententiæ excuſantur, qui operosè ſe recreant, venantur, ludunt, currunt, pedibus amicum inviſunt &c. Dummodò idipſum non frequenter fiat, neque in jejunii fraudem.

454. Q. 7. *Quid Confeſſario obſervandum, ſi pœnitentem non jejunâſſe audiat causâ diſpenſationis?* ℞. Tali caſu attendendum eſſe ad qualitatem diſpenſationis: quousque hæc ſe extenderit? an videlicet tum ad carnium eſum, tum ad geminam refectionem? an verò tantùm ad carnium eſum? vel ad duplicem refectionem tantum? nam non eo ipſo, quòd diſpenſetur, in eſu carnium, etiam diſpenſatur in duplici refectione; nec eo ipſo, quòd diſpenſetur in duplici refectione, admittuntur refectiones plures. Ratio: quia diſpenſans reſtringere poteſt diſpenſationem, ſic, ut diſpenſatione poſita adhuc obtineatur finis jejunii per abſtinentiam ab altera, vel pluribus refectionibus, ùt Fuſius docet & probat Hurtad. de Reſid. tom. 1. Reſol. 5. à p. 295. Præterea obſervandum: ad quantum tempus ſe diſpenſatio extenderit? ſi enim quis diſpenſationem obtineat initio Quadra-

drageſimæ ob morbum, quo poſt dies aliquot liberatur integre, reliquo Quadrageſimæ tempore à jejunio non deobligatur. Sanchez de Matr. l. 8. D. 30. n. 4. cum aliis. Ratio eſt: quia diſpenſatio latiùs non patet, quàm pateat cauſa diſpenſandi; quæ poſt aliquot dies deſinere ſupponitur. Aliud foret, ſi de integra valetudine perduraret dubium.

Q. 8. *An Confeſſarius Religioſi eum cenſere debeat peccâſſe, ſi ante 21. ætatis annum jejunia Ordinis non obſervâſſe intelligat?* 455. ℞. cum Tamb. l. 4. c. 5. §. 7. n. 6. & 8. licèt oppoſita probabilitate ſua non careat, probabiliùs negativè. Idem eſt de Religioſis ob ſenium ab Eccleſiaſtico jejunio excuſatis. Ratio eſt: quia rationabiliter præſumitur regulam non obligare ſub mortali, quem non obligat Eccleſia. De aliis ætatis requiſitæ certum eſt ad utraque jejunia, Eccleſiæ nimirum, quæ juris communis ſunt, & Ordinis, obligari ſub mortali, nisì ex devotione ſola eſſent ſuſcepta. Dixi: *quæ Juris communis ſunt*: nam ad ea, quæ communitas profana conſuetudine, aut voto induxit, non obligantur. Diana p. 9. tr. 7. Reſol. 14. Neque exempti obligantur ad jejunia à locorum Ordinariis inducta, quamvis jure novo teneantur obſervare feſta Diœceſana, & ceſſationem à Divinis tempore interdicti, ùt docet Sanchez in Cons.

Cons. l. 5. c. 1. dub. ult. Caſtropal. & alii communiter.

456. Q. 9. *Quid ſentiendum de iis, qui pridie ità replent ventrem, ut die jejunii difficultatem non ſentiant?* ℞. Tales quidem peccare contra temperantiam; quia tamen ponunt objectum à lege præceptum, ſub quod non cadit intentio finis, nequaquam delinquere contra præceptum jejunii. La Croix l. 3. p. 3. n. 1288. Bonac. cum aliis.

457. Pro colophone annecto Sapientiſſimum monitum Ritualis Wratislavienſis, cujus verba: *Audita Confeſſione perpendens* (Confeſſarius) *peccatorum, quæ ille* (pœnitens) *admiſit magnitudinem, & multitudinem pro eorum gravitate, ac pœnitentis conditione opportunas correptiones, ac monitiones; prout opus viderit, paterna charitate adhibebit, & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam, ac meliùs inſtituendam inducet, remediàque peccatorum reddet. Poſtremò ſalutarem, & convenientem ſatisfactionem, quantum Spiritus, & prudentia ſuggeſſerit injungat.* De his remediis

458. Q. adhuc: *Quæ remedia potiſſimum à Confeſſario pœnitenti ſunt ſuadenda?* ℞. Univerſaliter loquendo, quæ expertis Confeſſariis reſpectu peccatorum quorumcunque in uſu ſunt, ac facilè peccatis ſingulis, & in particulari applicari poſſunt, utiliter omnino ſequentia ſuadentur, ac etiam uti-

utilitate pari, & ſæpe majori pro pœnitentia aſſignantur. 1mum eſt ; frequenter cum ſpe, ac fiducia ſaltèm per pias aſpirationes Divinum auxilium, Sanctorumque patrocinium ad extirpanda peccata humiliter, & ardenter implorare, 2dum eſt : cum matutina ſurrectione fervens propoſitum de vitando peccato elicere, ac deſuper veſpere reflexionem, & examen inſtituere, 3tium eſt ; crebrò ; itèm illico poſt relapſum in peccatum eidem ſtabili Confeſſario confiteri. 4tum eſt ; frequenter contra tentationes pane fortium SS. Euchariſtiâ ſe roborare. 5tum eſt : ſocios improbos, & peccandi pericula ſolerter fugere. 6tum ; quotidie librum aliquem pium præſertim de noviſſimis, aut virtute vitio, cui quis obnoxius eſt, oppoſita tractantem lectitare. 7mum : identidem ſibi Deum præſentem, ac omnia videntem, præſentem item cuſtodem Angelum, ſpecialiter verò ingruente tentatione, ſibi repræſentare, 8vum ; Vitam, Paſſionem, & mortem Chriſti, atque Sanctorum, uti & noviſſima hominis per quædam diei tempuſcula meditari. 9num ; poſt quemvis relapſum præfixam aliquam pœnam aſſumere. 10mum ; mox initio tentationis mente ad Deum converſa heroicè reſiſtere, firmiter in Dei adjutorium confidere, & ſi nihilominùs labi contingat, animos non deſpondere, ſed pro altera pugna animum generosè excita-

re. Pro Pœnitentiarum injungendarum notitia ſit.

CAPUT V.

De munere Confeſſarii circa pœnitentias pœnitenti injungendas.

459 Q. 1. *An omnibus, ac ſingulis pœnitentibus pœnitentiam aliquam injungere oporteat?* ℟. *Ordinariè* Confeſſarium ad aliquam ſaltem injungendam obligari. Patet ex dictis p. 1. de partibus Sacramenti Pœnitentiæ, inter quas non quidem ùt eſſentialis, ſed ut *integralis* numeratur ſatisfactio, ſeu pœnitentia à Confeſſario impoſita, quæ nisì injungatur, privatur Sacramentum integrali hac parte. Exiſtimant non pauci cum Tanner tom. 4. D. 6. q. 8. n. 6. obligationem hanc eſſe ſub mortali. Quod verum eſt, ſi pœnitens mortale, vel mortalia peccata ſit confeſſus; cùm nullam tunc injungendo in re gravi officio ſuo deſit Confeſſarius; at vero ſi mortalia aliàs confeſſa percepta inſimul debita abſolutione, vel ſola venialia attulerit, verior eſt Lugonis de Pœnit. D. 25 S. 4 n. 48. aliorùmque ſententia docens omittendo tali caſu pœnitentiæ injunctionem venialiter duntaxat peccari. Ratio: quia tunc officio ſuo ſolùm deeſt in re levi. Cæterum exiſtimat Gob. tr. 7. n. 743. ſi pœnitens poſt abſolutionem adhuc peccatillum aliquod recenſeat, licitè poſſe ab

ab iſto abſolutionem impertiri ſinè nova pœnitentia extendendo tacitè priorem ad hoc peccatum. Contrarium tamen cenſet, ſi mortale poſt abſolutionem afferatur, ubi innuit ſaltèm opus eſſe pœnitenti indicare, ut pœnitentiam jam injunctam etiam pro peccato recens confeſſo exequatur.

Dixi in Reſponſo: *ordinariè aliquam ſaltèm injungendam eſſe:* duo enim caſus ſunt, in quibus Confeſſarius abſolvere poteſt nullâ injuncta. Primus eſt, quando pœnitens eſt impotens, ùt ſi propinquus morti nihil percipere poſſit. Suar. de Sacr. Pœnit. D. 38. l. 3. n. 4. Cùm tamen pœnitens, licèt multùm debilis, ſibi adhuc præſens eſt, prudens conſilium eſt ſaltèm ipſi injungere, ut aliquoties Confeſſario præeunte dicat ore, vel mente: *JESUS*, *Maria*, *Joſeph*, vel: *Deus propitius eſto mihi peccatori* &c. Ut itèm pro quibusdam circumſtantiis injungatur Pœnitentia major, ubi pœnitens convaluerit, exequenda. Secundum eſt: Quando Confeſſarius ex ipſa Confeſſione, materia & ſignis intelligit pœnitentem integrè ſatisfeciſſe pro peccatis: cùm enim jam debitum ſolverit, non eſt illi iterata ſolutio imponenda. Taliter ſatisfeciſſe cenſeri poteſt juxta Gob. cit. n. 244. qui indulgentias paulò ante eſt lucratus. Alii ſic ſatisfeciſſe volunt eum, qui ante Confeſſionem elicuit actum contritionis. Quia nihilominùs rarò, & difficulter hæc duo Confeſſario conſtare 460.

 poſ-

poſſunt, ſaltèm leviorem aliquam injungat. Et ſi etiam conſtet; medicinâ tamen contra relapſum in peccatum, vel peccata gravia pœnitens talis indigeat, medicinalem illi præſcribere oportebit. Ratio deſumitur ex officio Confeſſarii, qui non modò eſt Judex, ſed etiam Medicus. Obſervat autem hic Suar. cit. n. 2. opus non eſſe, ut hæc pœnitentiæ impoſitio fiat per modum præcepti; verùm ſufficere; ſi fiat per modum conſilii, aut per opus quod pœnitens ipſe aſſumere parat, ſi id ipſum in vicem pœnitentiæ à Confeſſario applicetur. Unde dicere poteſt: ſi hoc, vel illud pœnitens fecerit; id in ſatisfactionem ſerviturum; probabilior tamen videtur oppoſita multorum, ùt Vasquez Con. Lug. &c. cùm enim Confeſſarius juxta Trid. mox citandum pœnitentiam injungat ex poteſtate ligandi; conſilium verò non liget videtur omnino ſub præcepto imponenda!

461. Q. 2. *Qualem pœnitentiam Confeſſarius injungere debeat?* ℞. id ipſum declarari à Trid. Seſſ. 14. de S. Pœnit. Sacram. c. 8. ubi hæc habentur: *Debent Sacerdotes Domini, quantùm Spiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere; nè, ſi fortè indulgentiùs cum pœnitentibus egerint, leviſſima quadam opera pro graviſſimis delictis imponendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponent, non ſit tantùm ad novæ vitæ*

vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam in præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem &c. Ex qua Sacerrima Concilii doctrina colligitur 1mò: Pænitentiam injungendam eſſe juxta menſuram peccatorum, & pœnitentis diſpoſitionem, ac vires. 2dò hanc commenſurationem, quæ ab Eccleſia taxata non eſt, determinari debere non à libera ſolùm Confeſſarii voluntate, ſed à prudentia, peccata, & pœnitentis ſtatum rectè perpendente. 3tiò ob ſtatum pœnitentis e. gr. ob ejus impotentiam, vel fragilitatem leviorem imponi poſſe, quàm peccata mereantur. 4tò pœnitentiam talem injungi oportere, quæ non tantùm peccata vindicet, ſed quæ etiam contra relapſum velut medicina deſerviat. Graviter proindè aberrat Confeſſarius, ſi gravitati peccatorum pœnam quidem commenſuret, infirmitati tamen ſeu præcipiendo, ſeu conſulendo de remedio non proſpiciat; æqui quidem judicis munus expleat, ſalutaris tamen medici officium detrimentosè negligat; occidat potiùs, quàm ſanet

Q. 3. *Quæ? & qualia opera in pœnitentiam injungi oporteat?* ℞. 1. oportere opus injungendum eſſe *bonum.* Suar. cit Sect. 6. n. 1. cum communi. Ratio patet: quia opere malo Deus potiùs denuo offenderetur, quàm placaretur. 2dô debet eſſe aliquomodo pœnale, & afflictivum, qualia potiſſimùm ſunt oratio cum genu flectione, je- 462

Junium, eleemoſyna, & his ſimilia, quæ corpus affligunt. S. Th. in 4. diſt. 15. q. 1. a. 4. Laym. l. 5. tr. 6. c. 15. Suar. cit. n. 2. Poſſunt tamen quandoque imponi etiam interna, tametſi minùs laborioſa. Gob. tr. 7. n. 752. cum Suar. cit: Imò quandoque expetit tale opus imponere perpenſo pœnitentis ſtatu e. gr. quemadmodum Laym. cit. loquitur, ut quotidie, cùm è lecto ſurrexit, vel antequam ſe noctu cubitum confert, de præſentia *D*ei cogitet, omnes actiones noſtras intuentis; vel de morte certiſſimò ſibi eventura, de judicio Dei, quod effugere non poteſt, & ſimul eliciat dolorem de peccatis commiſſis cum propoſito emendationis. Sic etiam utiliter imponitur veſpertinum examen conſcientiæ, actus fidei, ſpei, & charitatis. 3tiò pro publicis & ſcandaloſis peccatis, ut ſcandalo ſatisfiat, imponi debet pœna publica, quæ aliis innoteſcat, non itèm pro occultis. D. Th. cit. Diſt. 14. q. 1. a. 5. quæſtiuncul. 1. & alibi. Suar. n. 3. Regin. l. 7. n. 32. & n. 52. Laym. &c. Ratio poſterioris partis eſt: quia talis publica pænitentia pro criminibus occultis famæ pænitentis eſt præjudicioſa. 4tò debet *regulariter* eſſe *ſupererogatorium*; non verò aliunde præceptum aut voto promiſſum. Stoz. l. 2. q. 3. n. 113. Nav. de Pœn. c. 40. & ſeqq. Nihilominùs, ùt idem obſervat, ſæpe ob fragilitatem pœnitentis expedit opera ſub aliqua obligatione

ne peccati jam debita injungere. Addit Suar. cit. n. 5. quando Confeſſor nihil explicat: an opere aliunde præcepto ſatisfieri debeat? intelligendum eſſe opus injungi non præceptum, hæc enim communiter eſt intentio Confeſſarii.

Ex his conſequitur 1mò: Etiam quandoque imponi poſſe omiſſionem S. Communionis: nam quandoque hæc omiſſio ex certis circumſtantiis poteſt eſſe honeſta. Lugo de Pœn. D. 24. n. 65. Gob. cit. n. 752. cum aliis. 2dò: quandoque etiam imponi poſſe, ut pœnitens ineat matrimonium, idque ſub præcepto, cùm aliunde ad id non obligatur pœnitens dummodò ipſe conſentiat. Stoz. cit. n. 114. Gob. cit. &c. Ratio eſt: quia peccatis carnalibus immerſo deſervire poteſt in ſalubre remedium: Sequitur 3tiò: poſſe injungi opus pro animabus in purgatorio offerendum. Lugo cit. n. 62. Tamb. Meth. Conf. l. 4. c. 1. n. 16. Ratio eſt: quia etiam tale opus pœnale poteſt eſſe virtuoſum, & honeſtum. Et licèt applicetur ſatisfactio animabus; charitatis tamen actus, quo opus applicatur, manet pœnitenti, ac etiam pro ejusdem peccatis applicatur. Sequitur 4tò: etiam imponi poſſe orationes ſub ſacro præcepto perſolvendas per conſequens pœnitentem iisdem ſatisfacere Suar. cit. n. 5. cum Medina &c. Ratio eſt: quia ad tales orationes ſub Sacro recitandas pœnitens non obligatur. 463.

464. Q. 4. *An per clauſulam generalem*, quidquid boni egeris, vel mali patienter ſuſtinueris, *eleventur opera omnia pœnitentis ad ſatisfactionem?* ℟. cum D. Th. quod lib. 3. a. 28. Affirmativè, cui piæ, & favorabili ſententiæ, ùt ipſe loquitur, contradicere non vult Suarez, cit. n. 6. Eandem tuentur Navarrus inSumma c. 26. n. 24. Sotus, Bonac, Tanner &c. Neque opus eſt, ut Confeſſarius *explicitè* intendat opera Confeſſionem ſubſequentia elevare ad ſatisfactionem: quia Confeſſarius volendo per hæc verba prodeſſe pœnitenti, ſufficienter eadem ad finem dictum elevat intentione *implicita*. Ità Navarr. in Man. c. 26. n. 24. Reginald. l. 7. n. 23. Tanner, Fill. Bonac. cum aliis non paucis. Neque opus eſt, ut verba memorata pœnitens intelligat: cùm hoc nec ad acceptandam, nec ad exequendam pœnitentiam neceſſe ſit. Ratio primi eſt: quia ad eam pœnitens non poteſt eſſe invitus: cedit enim in magnum illius bonum. Ratio 2di eſt: quia pœnitentiam implere poteſt, ſi opus injunctum voluntariè præſtet etiam abſque intentione implendi, ùt patet ex dictis ſuprà c. 5. a. 9. §. 1. bene tamen hic notat Suar. cit. loco cit. opera hæc ſolum referri ad peccata remiſſa in Confeſſione, in qua verba memorata prolata ſunt.

465. Q. 5. *Quomodo à Confeſſario condiri poſſit acerbitas graviorum pœnitentiarum conformiter peccatis imponendarum?* ℟. Cum Segneri Inſtr.

Inſtr. Confeſſ. c. 3. optimum medium eſſe, ſi in imponendo adhibeat verborum ſuavitamem, petendo e. g. à pœnitente: an promptè libentérque pœnitentiam ſuſcipiat, ac facilè ſit impleturus? ut ſi aliter conſtitutus ſit, onus poſſit alleviari; aut ſi nihil huic demendum videatur, non ſub mortali, ſed veniali tantùm ad eam perſolvendam obligetur. Cæterùm commnunior eſt ſententia pœnitentem ad pœnitentiam acceptandam, & perſolvendam ex *genere ſuo* ſub mortali obligari. Ratio eſt: quia cùm Confeſſarius teneatur pœnitentiam imponere, etiam pœnitens tenetur illam acceptare; cùm ergo materia cæteroquin gravis ſit, graviter quoque obligatio non acceptando violatur. Aliquando tamen poteſt hæc violatio solùm eſſe venialis, & primo quidem juxta Suar. D. 38. S. 7. n. 5. ſi confeſſio ſit de ſolis venialibus. 2dò: ſi ſit de mortalibus jam confeſſis. 3tio: ſi omittatur pars non gravis. 4tò: ſi pro mortalibus levis pœnitentia ſit injuncta. 5tò: ſi Confeſſarius ad pœnitentiam graven ſub levi tantùm culpa pœnitentem obligavit.

Q. 6. *An & Quando Confeſſarius pro peccatis gravibus leviores pœnitentias imponere poſſit?* 466.

Ad hanc quæſtionem in genere jam reſponſum eſt, videlicet Confeſſario licere quando id requirit ſtatus pœnitentis: hic in particulari ℟. lícitè id fieri 1mò: ſi pœnitens videatur minore pœnitentia alliciendus ad frequentiorem Confeſſionem

eidem valde utilem; vel viribus deſtituitur pro majore perſolvenda. Laym. l. 5. tr. 6. c. 5. n. 12. cum D. Th. 2. 2. q. 18. a. 4. &c. 2dò: Si vel lucratus eſt paulò ante, vel poſt Confeſſionem lucraturus eſt indulgentias. Suar. D. 38. S. 10. n. 10. Henriquez. Medicinales tamen pœnitentiæ tali caſu non ſunt omittendæ &c. 3tiò ob particulam abſolutioni ſubnexam: *quidquid boni feceris, & mali patienter ſuſtinueris.* 4tò: poteſt imminui, & gravitati peccatorum non commenſurari ob ipſam Confeſſionem, utpote opus valde arduum, & ſatisfactorium, Stoz. l. 2. q. 3. n 121. 6tò: poteſt non perfectè commenſurari ob ipſum opus levius injunctum in Sacramento, quod vi Sacramenti majorem valorem acquirit. Stoz. cit. loco. cit. cum Dicaſt. Lugone. Ex quo facilè colligitur ratio: cur praxis moderna nequaquam improbanda ſit, quâ communiter valde leves reſpective pœnitentiæ injunguntur. 6tò: Si pœnitens valde obſervetur contritus. Toletus l. 3. c. 11. Laym. cit. l. cit. ubi etiam improbat eorum Confeſſariorum morem, qui cùm pœnitens ſufficientem ſatisfactionem præſtare nequit, à circumſtantibus petunt, ut ipſi eam pro pœnitente viribus deſtituto expleant. 7mò: Si dubium ſit: an pœnitentia major plus obfutura ſit quàm profutura. LaCroix l. 6. p. 2. n. 1259.

467. Q. 7. *Quænam pœnitentiæ ſint utiliores?*

℞. uni-

R. univerſale principium pro hoc puncto eſt: illas pœnitentias utiliùs injungi, quæ magis aptæ ſunt ad pœnitentem tum diſcretè affligendum, tum efficaciter emendandum. Hinc deducitur iis, qui multum occupati ſunt, vel aliunde ad multum orandum obligati, non imponendas eſſe longas orationes. 2dò: magis conducere opera pauca in ſtatu gratiæ cum fervore peracta, quàm multa tepidè facta in ſtatu peccati mortalis. Circa quæ poſtrema opera breviter annoto: Quanquam opera iſthæc cæteroquin in tali ſtatu exercita ad Sacramenti integritatem ſufficiant, ut docet Suarez cit. S. 8. cum aliis n. 1. Cujus ratio eſt: quia Confeſſarius tantum præcipit opus, non operis modum; effectum tamen operanti non conferunt, niſi fictione per expiationem peccati recedente, ùt idem tradit ibidem n. 3. & 5. Ratio eſt: quia peccatum mortale eſt obex effectûs, qui obex recedente fictione amovetur, eóque amoto opus ſatisfactorium effectum ſortitur. 3tiò: utiliſſimæ pœnitentiæ ſunt, quibus imponitur uſus eorum mediorum quæ cap. præc. art. ult. in fine univerſaliter contra peccata adducta ſunt. 4tò: Utiles valde ſunt pœnitentiæ, quæ directè peccatis confeſſis opponuntur, ùt ſi avaro imponatur eleemoſina, peccato carnali, ebrietati, gulæ deditis imponantur macerationes corporis, jejunia, aliàque incommo-

Digitized by Google

moda. Obnoxiis peccato odii, iræ, invidiæ, opera charitatis in proximum, & humiliationis. 5tò: Eò utilius opus eſt, eòque magis ſatisfactorium, quò ampliùs eſt meritorium. Unde actus fidei, ſpei, & charitatis utpote maximè meritorii, utiliſſimè injunguntur. 6tò: Magna quoque, & utilis pœnitentiæ pars eſt diſcreta increpatio, & peccatorum moderata exaggeratio excitans confuſionem in pœnitente non parùm oneroſam; ac ideò, ſi ab illo patienter excipiatur in partem pœnitentiæ deſervire poteſt, per quam utilem: quia confuſio talis promptè excepta medium eſt admodum efficax ad horrorem relapſûs excitandum.

468. Q. 8. *An ſatisfactio, ſeu pœnitentia Sacramentalis, vitaque emendatio abſolutioni ſit præmittenda* ℟. Affirmativam praxi ſeveriſſima nunc doceri à novellis hæreticis Janſeniſtis, innixis doctrinæ Petri de Oſma, quæ in hac propoſitione: *non peractâ pœnitentiâ confitentes abſolvi non debent*, Annô 1479. damnata eſt à Sixto IV. per Bullam: *Licèt ea.* Damnavit doctrinam eandem Alexander VIII. in propoſitionibus n. 16. 17. 18. 22. à ſe damnatis. Itèm zeloſiſſimè pro fidei incolumitate in diem hodiernum depugnans. S. D. N. Clemens XI. in propos. 87. & 88. Queſnelli. Ex quibus patet oppoſitam negativam omnino eſſe ſequendam. Rationes ſunt 1mò: quia alio-

alioquin multorum pœnitentium ſalus periculo exponeretur, dum ſolùm attriti expectantes abſolutionem dilatam è vivis diſcedere poſſunt; præſertim ſi modus modernorum Rigoriſtarum obſervaretur, quo non tatùm per menſes, ſed annos etiam abſolutionem differunt, 2dò: quia negativam hanc ſententiam tuetur univerſalis Eccleſiæ praxis, cui non ſinè proterva impudentia per affirmativam reſiſtitur. 3tiò: quia vitæ emendatio abſolutioni præmittenda directè contrariatur fini Sacramenti, qui eſt, ut: qer gratiam abſulutionis juvetur pœnitens ad eam ipſam emendationem. 4to denique: quia neque de præmittenda pœnitentia, neque de præmittenda emendatione vitæ extat ullumChriſti præceptum, nec id exigit Sacramenti natura, quod clariſſimum eſt tum ex aliis, tum præſertim ex 17. prop. ab Alex. VIII. anathematizata, cujus verba: *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ ſed M. B. ipſa Chriſti lex, & præſcriptio naturâ rei id ipſum quodammodo dictante.* Non nego tamen quandoque Confeſſarium differre poſſe abſolutionem, donec pœnitentia impleatur, tunc videlicet, ùt docet Suarez D. 38, S. 7 cum aliis Catholicis Moraliſtis; quando rationabiliter judicat pœnitentem pœnitentiam *vindicativam* nequaquam poſt abſolutionem impleturum. *Medicinalem*

verò

verò tunc præmittendam injungere poteſt, quando propter curationem judicat expedire: quia tunc potiùs agitur de condigna diſpoſitione ad remiſſionem peccatorum, quàm de ſatisfactione pro temporali pœna. Sic concubinario imponere poteſt, & plerumque debet, ut, priùsquàm abſolvatur, concubinam è domo ejiciat. Ratio ulterior eſt: quia in certis caſibus non apparet ſufficiens dolor, & propoſitum, nisi pœnitentia talis abſolutione præmittatur.

469. Q. 9 *Quomodo pœnitentia pœnitenti injuncta ab eo ſit implenda?* R. Univerſaliter eo modo implendam eſſe, quem modum dictat Confeſſarius. Si proindè graviter modo huic contraeat pœnitens, graviter peccat. Ex quo univerſali principio deducitur 1mò: non tantùm graviter peccari, ſi omittatur tota gravis pœnitentia pro mortalibus impoſita, ſed etiam ſi pars notabilis intermittatur citra juſtam cauſam, qualis eſt impotentia, vel inculpabilis oblivio, vel quia Sacramentum, in quo impoſita eſt, ſcitur fuiſſe invalidum. Gob. tr. 7. n. 765. Lugo, Tanner &c. Dixi: *Tota gravis pœnitentia, pro mortalibus impoſita:* quia, ſi vel levis pro mortalibus, vel gravis pro venialibus imponatur, veniale non excidit, tametſi tota negligeretur. La Croix l. 6. p. 2. n. 1278. Suarez D. 38. S. 7. n. 5. Averſa, Sanch. cum com-

communi. Deducitur 2dò : nec pœnitentem propriâ authoritate pœnitentiam immutare poſſe. Tamb. Meth. Confeſſ. l. 4. c. 3 §. 1. n. 15. Buſenb. Averſa &c. Ratio eſt : quia ſtandum eſt ſententiâ Confeſſarii utpote judicis ; unde aſſumpta à pænitente , dici non poterit Sacramentalis. Hæc ergo pœnitentiæ commutatio ad ſolum Confeſſarium ſpectat. Si tamen alius à præcedente commutet, commutatio citrà Confeſſionem fieri non debet, ùt cum communi docet Lugo D. 15. n. 110. Exinde etiam ſequitur, ſi pœnitens oblitus eſt, etiam culpabiliter , pœnitentiam , ad aliam non teneri, ſed ſatis eſſe culpabilem oblivionem confiteri ; nec Confeſſarius immemor peccatorum, aut ignarus aliam injungere poteſt teſte Coninck tom. 2. de Pœnit. D. 10. n. 86. Similiter non poteſt pœnitens ſibi ſubſtituere alium : quia , ùt communis cum Suarez S. 9. n. 1. docet , ſatisfactio pœnitenti impoſita eſt perſonalis. Conſtat etiam ex prop. n. 28. ab. Alex. VII. damnata : *Pœnitens propria authoritate ſubſtituere alium poteſt , qui locò ipſius pœnitentiam adimpleat.* Excipe tamen niſi Confeſſarius injungat opus, cujus executio ab alio præſtanda procuretur à pœnitente : tunc enim ſola procuratio manet perſonalis. Itèm niſi opus ab alio factum cenſeatur fieri ab ipſo pœnitente, ùt fit, dum pœnitens

Digitized by Google

tens non per ſe, ſed e. g. per famulum eleemoſynam ex ære proprio elargitur. Deducitur 3tiò: pœnitentiam implendam eſſe tempore per Confeſſarium determinato. Dilatio tamen, juxta Gob. cit. n. 765. & Lugonem cit. n. 89. communiter tantùm venialis eſt. Excipe: niſì valde notabiliter differretur, aut intentio Confeſſarii ex gravi fine eam ad breve tempus reſtrinxiſſet, quo pacto communiter non reſtringi idem Gobat exiſtimat n. 766. Cæterùm notabilis dilatio communiter cenſetur, ſi fiat dimidio anno, præſertim ſi valde fuit *medicinalis*, quo caſu etiam unius menſis dilatio cenſenda foret notabilis; non itèm, ſi fuiſſet *vindicativa*.

CAPUT VI.
De Indulgentiis.

PRo reatu pœnæ temporalis non tantùm ſatisfieri per opera pœnalia, ſed etiam per Indulgentias, unanimis eſt DD. Catholicorum ſenſus. Ob quod ſuprà n. - - dictum minorem pœnitentiam, imò, juxta quoſdam, nullam pœnalem injungi poſſe à Confeſſario, ſi pœnitens exiſtimetur Indulgentias vel ante Confeſſionem lucratus, vel poſt lucraturus. Pro harum itaque notitia

470 Q. 1. *Quid ſit indulgentia?* ℞. cum Buſemb. tr. 4. c. 1. dub. 4. a. 2. ex Suar.

Fill.

Fill. Coninck. &c. Indulgentia eſt gratia, qua certo opere, quod concedens præſcribit, præſtito, debita Deo pœna temporalis extra Sacramentum, Sacrificium, & Martyrium per applicationem Satisfactionum Chriſti, & Sanctorum, idque vel per modum abſolutionis erga ſubditos Eccleſiæ, vel nudæ ſolutionis, & ſuffragii erga non ſubditos, ùt defunctos, & catechumenos, remittitur. Ex qua definitione facilè colligitur: Satisfactiones Sanctorum, ſeu vivorum, ſeu mortuorum, quibus ultra debitum ſuum abundanter ſatisfecerunt, concurrere ad Indulgentias per modum cauſæ particularis; SatisfactionesChriſti verò per modum cauſæ univerſalis, utrasque verò nemini prodeſſe, nisì pretioſiſſimus hic Eccleſiæ theſaurus per opera præſcripta applicetur. Laym. tr. 7. c. 1. n. 3. cum communi. Neque obſtat, quòd Satisfactiones Chriſti infiniti ſint valoris: licèt enim hoc veriſſimum ſit, noluit tamen Chriſtus eas eſſe in actu 2do efficaces, nisì reſpectu illorum, qui eas vel ſibi, vel aliis applicaverint.

Q. 2. *Quotuplex ſit indulgentia?* ℞. Indulgentiam 1mò univerſaliter dividi in *localem*, quæ alicui loco, templo, altari; in *realem*, quæ rei alicui, ùt grano, Roſario, numismati; & *in perſonalem*, quæ alicui perſonæ, ut eam lucretur, ubicunque fuerit, eſt affixa. 2dò dividitur *in totalem*, ſeu *plenariam*, quæ omnem pœnam in Purga- 471.

torio luendam; & *in partialem*, quæ aliquam pœnæ partem remittit. Plenaria etiam concedi ſolet tempore Jubilæi, de quo intrà. Partialis eſt e. gr. 40. Dierum, 100. dierum, unius anni, ſeptem annorum, ſeu ſeptenna, tertiæ partis peccatorum. Partialis etiam eſt Indulgentia *carenæ*, quo *carenæ* nomine ſignificatur carentia, ſeu jejunium in ſolo pane, & aqua per dies 40. in pœnitentiam impoſitum; itèm *quadragenæ*, quo nomine indicatur pœnitentia, quæ per Quadrageſimam ſubeunda erat. Quando ergo nunc concedi ſolet Indulgentia unius anni, tertiæ partis peccatorum, carenæ, quadragenæ &c. ſenſus eſt, ut exponit fundatiſſimus Suarez. de Pœn. D. 50. S. 5. n. 11. & 16. & alii cum eo, remitti pœnitentias quæ ſecundùm prudens Sacerdotis judicium, vel in unum annum, vel pro tertia parte peccatorum, vel per jejunium in pane, & aqua 40. diebus, vel Quadrageſimam olim impoſitæ fuiſſent, conſequenter remitti tantam Purgatorii pœnam, quanta per tales pœnitentias delenda fuiſſet. Quando verò indulgentiis plenariis adduntur Indulgentiæ unius anni, vel tertiæ partis &c. id vel ad diverſas ſententias, vel ad diverſos concedentes referendum docet Buſenb. cit. §. 2. vel ait fieri in cautelam, caſu, quo cauſa indulgentiæ plenariæ non ſufficeret, vel ut adjuncta concedatur pro alio tempore, vel deni-

denique ut applicari poſſit, aliis in modum ſuffragii.

Q. 3. *Quæ conditiones ad lucrandas Indulgentias requirantur?* ℞. cum Suar. cit. D. 53. S. 4. n. 8. Sanch. l. 4. Mor. c. 37. Laym. cit. c. 6. n. 1. &c. Ad Indulgentias per modum ſatisfactionis lucrandas requiritur 1mò: ut eas lucraturus ſit *homo baptizatus*. Ratio eſt: quia communis Eccleſiæ theſaurus non diſpenſatur, niſi membris. 2dò: ut ſit *ſubditus concedentis*. Ratio: quia conceſſio Indulgentiarum eſt actus Jurisdictionis. 3tiò: ut *majori excommunicatione non ſit irretitus*. Ratio: quia hæc excommunicatio privat bonis Eccleſiæ. 4tò: ut ſit *in gratia Dei* eo tempore, quo eas lucraturus eſt. Ratio: quia reatus pænæ non tollitur, niſi ſublato reatu culpæ. Ad plenam inſuper omnium ſimpliciter peccatorum Indulgentiam requiritur immunitas ab omni ſimpliciter peccato veniali. Ratio: quia culpa durante tanquam causâ, durat etiam pœna, tanquam effectus. Opera tamen ad Indulgentias lucrandas præſcripta in ſtatu gratiæ exequi opus non eſt, licèt meliùs ſit, & conſultiùs. Sotus D. 21. q. 2. a. 3. Navarr. &c. Ultimô exceptô, quo gratiæ ſtatus procuratur, aut ad quod hic ſtatus requiritur, quale eſt Confeſſio, & Communio. 5tò: ut impleatur *totum opus*, quod, & ſicut præſcriptum eſt. Ratio; quia ſub

conditione operis gratia conceditur, non aliter. Unde hìc non excuſat, aut juvat ignorantia. Cenſet verò Suar. D. 52. S. 6. n. 2. ſatis eſſe, ſi opus ſecundùm ſubſtantiam ex objecto bonum ponatur, licèt circumſtantiâ vitietur. Oppoſitum docent alii. Regula optima eſt, pro ſententia ferenda, voluntas concedentis, quam diſpicere oportet, quale opus, & qualiter peragendum præcipiat, ùt rectè obſervat Laym. cit. c. 6. n. 3. *Intentio actualis* non requiritur, ſed ſufficit *habitualis*, aut *interpretativa*; dummodò opus præſcriptum peragatur. Ratio: quia ſinè actuali intentione applicatio Indulgentiarum haberi poteſt, ùt conſtat in eo, cui, quandoque ignoranti, ab alio applicantur. Nec ſemper requiritur Confeſſio, & Communio, ſed tunc ſolùm, cùm in forma Conceſſionis exprimitur. Suar. cit. S. 3. n. 6. Quando tamen in eadem forma ponuntur verba: *contritis*, aut *verè pœnitentibus*, aut *Confeſſis*, ſecuriorem exiſtimat ſententiam Laym. cit. n. 7. quam tradit Navarr. de Indulgentiis Notat. 18. n. 2. requiri Sacramentalem Confeſſionem de mortalibus. Non improbat tamen etiam oppoſitam Suarii cit. n. 13. quâ docet, tunc ſufficere contritionem perfectam.

473. Q. 4. *An uno opere quis poſſit lucrari plures indulgentias e. g. pluribus numismatis affixas?* ℞. cum Suar. cit. S. 8. n. 10. Coninck. Laym. &c. Negativè. Ratio: quia

quia hæc cenſetur eſſe mens concedentis, ut, ſicut ad unam Indulgentiam requiritur opus unum, ſic ad plures requirantur opera plura: Excipit Laym. cit. n. 5. cum Coninck, & Corduba, niſì opus tale ſit, quod eodem die iterari non poſſit, ùt jejunium, S. Communio &c. & huic operi Indulgentiæ plures ob diverſas cauſas ſint annexæ, dummodò opus illud tanto fervore ponatur, ut fini à concedente intento cooperari ſit cenſendum. Sæpius tamen eandem poſſe obtineri eodem tempore, pro quo conceſſa eſt, probabile cenſet La Croix l. 6. p. 2. n. 1374. cum Gob. de Jubilæo c. 20. q. 57. Viva, & aliis, ſi conceſſa ſit ad augendam devotionem, vel ob concurſum, vel diuturniorem celebritatem, niſì Bulla oppoſitum exprimat. Sibi verò, & ſimul alteri, easdem lucrari nemo poteſt. Quintanad. dub. 12. n. 4. Ratio: quia cenſetur concedi ſub disjunctione; vel pro ſe, vel pro aliis.

Q. 5. *An, ſi feſtum transferatur, etiam* 474.
ſimul transferantur Indulgentiæ? ℟. niſì dies certus in Bulla exprimatur, Affirmativè. idque juxta Gob. in Quin. tr. 4. n. 327. tametſi feſtum ſolùm in choro transferatur Ratio: quia Indulgentiæ tales concedi ſolent, ut feſta tantò ſolenniùs à populo celebrentur. Cæterùm, cùm feſtum aliquod ex ſpeciali privilegio transfertur, ùt cum *Fe-*

 ſto

ſto S. Xaverii, cum Feſto Annuntiationis &c, certum eſt etiam transferri Indulgentias.

475. Q. 6. *Quandonam judicandum ſit incipere tempus Indulgentiarum, quæ pro variis Eccleſiis concedi ſolent ad ſeptem annos?* ℟. Septennium hoc initium ſumere à die, quâ Breve ſubſignatum eſt Romæ, non verò à die publicationis, ùt declaratum à S. Congreg. 18. May. 1711. Clauſula verò addi ſolita: *Volumus autem, ut ſi alia indulgentia in dicta Eccleſia perpetuò, vel ad tempus nondum elapſum duratura, conceſſa ſit, præſentes ſint nullæ*, hunc ſenſum habet juxta Gavant. & Gob. ſi eodem die aliæ Indulgentiæ concurrant. Excipiuntur Indulgentiæ, ùt conſtat ex reſponſo dato à S. Congr. Cameracenſi Archi-Epiſcopo, altaria privilegiata pro defunctis, itèm conceſſæ perſonis certis, vel certum pium opus in Eccleſia peragentibus, itèm iis, qui doctrinâ Chriſtianâ erudiuntur; Itèm, quæ conceduntur pro 40. horarum precibus; denique Stationum Urbis, & ſeptem Altarium.

476. Q. 7. *Quid ſentiendum de Indulgentiis pro Defunctis?* ℟. 1mò: extra dubium eſſe poteſtatem etiam has concedendi eſſe penes Pontificem. Liquet ex continua praxi, & univerſali DD. Catholicorum ſenſu. 2dò: ùt notat Laym. l. 5. tr. 7. c. 7. n. 1. non opus eſſe, ut, qui defunctis eas lucratur, ſit in gratia: quia ſtatus gratiæ in eo ſolùm requiritur, cui applicantur. 3tiò: Indul-

Indulgentias conceſſas vivis, non poſſe applicari defunctis, niſi idipſum Pontifex expreſſerit. Ratio: quia Indulgentiarum conceſſio dependet à voluntate concedentis, quæ ad defunctos extendi non cenſetur, quando eas pro vivis concedit, niſi idipſum exprimatur. 4tò: eas non concedi à Pontifice per modum abſolutionis, ſed per modum ſuffragii tantùm. Ratio: quia defuncti ſunt extra illius Jurisdictionem. 5tò: Licèt Indulgentiæ pro vivis poſitis debitè requiſitis infallibilem effectum ſortiantur, non itèm tamen Indulgentiæ pro Defunctis. Ratio; quia his tantùm applicantur per modum ſuffragii, & impetrationis, ſicut ergo alia impetratoria infallibilem effectum non habent, ità nec iſtæ Indulgentiæ. Ex quo fit, ùt habet praxis, quòd, licèt Indulgentiæ Altaris Privilegiati, alicui animæ applicatæ ſint ſemel, ſæpius tamen eidem applicari conſueſcant. Bene tamen advertit Henriq. l. 7. c. 8. n. 3. eas à miſericordiſſimo Deo animabus his, utpote per gratiæ ſtatum valde idoneis, & dilectis perfacilè applicari.

Q. 8. *Quid, & quotuplex ſit Jubilæum?* 477.
℞. Jubilæum reipſa eſſe Indulgentiam plenariam conceſſam à Papa viſitantibus aliquas Eccleſias, & certa opera præſcripta peragentibus, Habet tamen hoc ſpeciale, quòd cum Indulgentia inſimul concedantur extraordinariæ facultates circa abſolu-

tionem à peccatis, & cenſuris reſervatis, circa commutationem votorum, & electionem Confeſſarii. Circa quas facultates Bullæ latè, & favorabiliter ſunt accipiendæ, Viva de Jubilæo q. 2. Aliud verò Jubilæum *Univerſale* eſt, quod toti videlicet Eccleſiæ datur. Aliud eſt *Particulare*, quod alicui Eccleſiæ particulari conceditur. Univerſale autem aliud eſt *Ordinarium*, quod primis ſæculis, anno centeſimo, ſubinde quinquageſimo, dein trigeſimo tertio concedebatur. Paulus II. verò ad annum 25. redegit, dicitúrque; *Jubilæum anni Sancti*, eò, quòd duret anno integro videlicet Romæ à primis Veſperis Nativitatis Chriſti usque ad ſequentes primas Veſperas vigiliæ ejusdem feſti. Aliud eſt *Extraordinarium*, quod conceditur extra annum ſanctum, durat hoc diebus 15. tribus nimirum Dominicis, & 12. diebus Ferialibus. Non eſt autem opus, ut ſimul, & ſemel promulgetur per totas Diœceſes, ſed ex rationabili cauſa, quæ vix unquam deeſt, publicari priùs poteſt in Metropolitana, dein in Urbibus aliis, poſtea in pagis, vel etiam ſpecialiter Monialibus, ut hoc pacto omnibus occaſio facilis ſuppetat habendi extraordinarios Confeſſarios.

478. Q. 9. *Quid circa Jubilæum anni Sancti ſit obſervandum?* ℟. Primarium eſt, quòd toto hujus Jubilæi tempore aliæ Indulgentiæ plenariæ pro vivis conceſſæ per totum orbem

orbem ſuſpendantur. Ratio eſt; ut annus Jubilæi cum eò majore celebritate, & accurſu Romæ celebretur. Excipiuntur Indulgentiæ Lauretanæ Domui conceſſæ, & ſecundùm Gob. apud La Croix cit. n. 1401. B. V. Einſidlenſi, ſecundùm Caſtro-palao Compoſtellanæ, ſecundùm Viva Portiunculæ Aſſiſii, licèt alibi per orbem ſuſpendantur; ſecundùm Gavant. Lez. &c. contra Laym. Tanner &c. moribundorum. Dixi autem 1mò: *plenariæ*; probabilius enim eſt ſecundùm Gobat. Viva, Fill. &c. excipi non plenarias, præſertim ſi non à Papa ſint conceſſæ. Dixi 2dò: *pro vivis*; nam pro Defunctis conceſſa non ſuſpenduntur, niſi tales ſint, quæ immediatè vivis conceduntur, ut etiam Defunctis applicari queant. Quas, ùt refert Viva de Jubilæo q. ult. a. 2. Clemens X. ſuſpenſas declaravit. Suſpenduntur itèm facultates in ordine ad indulgentias lucrandas conceſſæ, ùt conſtat ex Bùlla Gregorii XIII. quæ incipit: *Quoniam Sancti.*

Q. 10. *Quæ ad Jubilæi Indulgentias lucrandas requiri ſoleant?* ℞. 1mò requiri *Confeſſionem, Communionem,* & *orationem*, prout ad alias plenarias requiri ſolent. 2dò requiritur præter hæc *jejunium, proceſſio*, aut *viſitatio templorum*, & *eleemoſyna.* Liquet ex tenore Bullarum, per quas conceduntur. Hæc autem omnia opera unâ hebdomadâ ſunt peragenda, ùt cenſent Viva cit. a. 2. 479.

 Lugo,

Lugo, Sanch. &c. Cætetùm non refert, quo ordine peragantur. Laym. cit. c. 8. n. 7. Navarr. Henriq. &c. Conſultius tamen eſt, ut Confeſſioni, & Communioni reliqua præmittantur, ut opus ultimum, quod Indulgentiâ conſequitur, in gratia ponatur; præſertim, ſi ante reliqua actus contritionis eliciatur, ut & ipſa tantò majorem merendi, & impetrandi vim obtineant. Nomine autem unius hebdomadæ veniunt duæ Dominicæ, & 6. dies feriales, ùt cum communi docet Laym. cit. loco cit. Pro dictorum ratione eſt Eccleſiæ praxis, & conſuetudo. Licèt verò pro Jubilæo extraordinario 2. hebdomadæ aſſignentur; probabilius tamen eſt, quod ſentit Suar. cit. D. 57. S. 1. n. 7. Nav. Corduba &c. Indulgentiam ſemel tantùm obtineri poſſe. Ratio: quia deſignationis hujus finis eſſe videtur, ut commoditas præbeatur, quâ ſi unâ hebdomadâ obtineri nequiverunt, obtineri poſſint alterâ. Providè tamen faciunt, qui hebdomadâ qualibet opera præſcripta ponunt, ut ſe tantò ampliùs aſſecurent in caſum, quo prioribus eas lucrati non eſſent.

480. Q. 11. *Quid de ſingulis requiſitis ſit obſervandum?* ℞. 1mò de *Confeſſione*, eam requiri, tametſi quis ſola habeat venialia. Ratio: quia ſicut reliqua opera, ſic etiam Confeſſio expreſſè præſcribitur. Accedit, quòd, licèt oppoſita etiam probabilis ſit, hæc

hæc tamen omnino ſit tutior. Requiritur 2dò; ut non ſit ſacrilega (idem eſt de Communione) hæc enim non eſt opus bonum, quale à Concedente præſcribitur. Unde etiam probabilius eſt in tali Confeſſione non tolli reſervationem, & cenſuras peccatorum, quæ ſublatio annexa videtur legitimæ Confeſſioni. Imò probabilius exiſtimat La Croix cit. n. 1449. cum Regin. Sanch. Tamb. &c. non tolli reſervationem, tametſi Confeſſio fiat inculpabiliter invalida. Ratio: quia gratia ſublationis conceditur lucranti Jubilæum, quod invalidè confitens non lucratur. Cæterùm, ſi Confeſſio valida fuit tempore Jubilæi, abſolutio tamen ex juſta cauſa poſt Jubilæum collata, vel ſi reſervata Jubilæi tempore ex juſta cauſâ, vel inculpabiliter omiſſa ſunt, poſt Jubilæum abſolutio conferri poterit, ùt ſentiunt Suar. cit. Nav. Sanch. &c. Ratio eſt; quia per lucrum Jubilæi jus acquiſitum eſt ad gratias iſtas, nec Papa executionem ad Jubilæi tempus reſtringit.

℞. 2dò *de Oratione.* Licèt quidam exiſti- 481 ment cum Viva de Jubilæo q. 8. a. 5. ſufficere orationem mentalem, tutius tamen eſt ponere vocalem ſaltèm mentali intermiſtam. 2dò requiritur oratio ſinè diſtractionibus voluntariis: hæc enim oratio eſt nulla, per conſequens nec apta ad impetrandum. 3tiò requiritur, ut fiat loco, tempore, & ex intentione per Bullam præſcriptis

Digitized by Google

ſcriptis. Sufficit verò intentio non attingens objecta in particulari, ſed quâ in genere oratur ad intentionem Pontificis. Ad ordinarias verò Indulgentias ſufficiunt ſeptem Pater, & Ave, ùt colligitur ex Bulla Greg. XIII. quæ incipit: *Omnipotentis.*

482. ℞. 3tiò *de jejunio, & eleemoſyna.* Illud fieri oportere diebus præſcriptis, qui eſſe ſolent dies Mercurii, Veneris, & Sabbathi. 2dò: hìc non excuſare cauſas, quæ à jejunio Eccleſiaſtico excuſant. Sed omnibus, pueris, ſenibus, infirmis &c. jejunandum eſſe, ſi jubilæi participes fieri velint; nisì jejunium à Confeſſario in aliud opus commutetur. Nec refert; an jejunium aliunde ſit debitum ex voto, pœnitentia, vel præcepto. Conſtat ex Jubilæo, quod nonnunquam tempore Quadrageſimæ conceditur. Nomine *eleemoſynæ* intelligitur eleemoſyna corporalis, qualis eſt quodcunque opus miſericordiæ corporalis. Juxta non paucos ſufficit etiam pro divite eleemoſyna quantumcunque parva, nisì in Bulla addatur: *juxta cujusque facultatem* Rectiùs tamen alii in elargiendo ſequendum eſſe prudens dictamen, quod quisque habet.

483. ℞. 4tò *de Proceſſione, & viſitatione Templorum* Hæc viciſſim requiri, ſic, ut ſufficiat vel Proceſſionem comitari, vel templa viſitare. Proceſſionem eſſe oportet devotam, & modeſtam. Viſitatio verò fieri etiam poteſt curru, & equo; itèm ab iis, qui

qui in templo habitant, nec opus eſt, ut die una omnia deſignata templa viſitentur. Satisfit quoque, ſi in deſignatis templis Miſſa audiatur; itèm, ſi ad oſtium oretur, cùm ingredi non datur. Itèm juxta complures, ſi oretur in cœmeterio. Si verò præſcribatur viſitatio Altarium, ſufficit ſe in eodem loco ad ſingula v. gr. inclinando convertere, & preces deſignatas perſolvere. De quibus fuſiùs tractant Belleg. Suar. Lugo, Viva, Diana &c.

Q. 12. *Quæ facultates Indulgentiis Jubilæi ſint annexæ?* ℞. Conceſſo Jubilæo etiam concedi 1mò facultatem *abſolvendi à reſervatis, & cenſuris*, iis nimirum Confeſſariis, qui tali Jurisdictione ſunt deſtituti. Circa quam abſolutionem ſequentia veniunt advertenda. 1mum eſt: abſolutionem hanc dari poſſe etiam ante præſcripta opera, ſi pœnitens verum habeat animum ea peragendi. Laym. cit. n. 8. Nav. &c. 2dum eſt: ſi abſolutus negligat lucrari Jubilæum, reſervationem nequaquam reviviſcere. Ità idem cum Sanch. Fill. Viva &c. Ratio: quia verè eſt abſolutus. 3tium eſt: ſi lucratus primâ hebdomadâ Jubilæum incidat in caſum reſervatum, vel cenſuram, poteſt adhuc 2dâ hebdomadâ abſolvi, ſaltèm, ſi præſcripta opera repetat. Viva cit. q. 11. a. 3. Nav. Gob. &c. 4tum eſt: hanc facultatem etiam extendi ad caſus reſervatos Epiſcopo, ùt cum communi docent Suar. Regin. Vasq. &c. Itèm ad hære-

hæreſim, niſi per Bullam expreſſa fiat exceptio. 5tum: abſolutionem fieri oportere intra Confeſſionem, ùt idem Suar. Vasq. &c. volunt, probabilis tamen etiam eſt oppoſita non paucorum. 6tum eſt: ante abſolutionem à cenſuris fieri debere *ſatisfactionem parti*, id eſt, reſtitutionem honoris, famæ, bonorum, ei, qui læſus eſt, & quidem ante abſolutionem, ſi fieri poſſit. Si verò pro tunc fieri non poſſit, nec tamen ſimpliciter impoſſibilis ſit, abſolutio dari poteſt præſtita cautione pignoratitia, vel fidejuſſoria, vel ſaltèm juratoria pro rei qualitate, ùt conſtat ex Rituali Romano Pauli V. Si denique ſimpliciter impoſſibilis ſit, cautione tali opus non eſt. Belleg. cit. q. 5. Viva, Laym. Nav. &c. 7mum eſt: abſolutionem dari poſſe etiam pro foro interno excommunicato vitando, & Clerici publico percuſſori. Viva cit. q. 10. a. 2. Henriq. Sanch. &c.

485. Altera facultas eſt *ad commutanda vota*. Circa quam Notandum 1mò hac facultate commutari, non tamen diſpenſari, poſſe vota omnia etiam jurata, præter vota caſtitatis perpetuæ, & Religionis, atque ea, quæ ſunt in favorem tertii. Viva cit. q. 12. a. ult. & cum eo Suar. Leſs. &c. 2dò: commutationem hanc fieri poſſe ante opera præſcripta, dummodò adſit animus ea peragendi. Viva cit. loco cit. Suar. Sanch. &c. 3tiò: eam fieri poſſe ſæpius

intra

Digitized by Google

intrà Jubilæi tempus. Belleg. p.3.S.12.q.5. Sanch. Henr.&c.4tò: poſſe fieri etiam poſt Jubilæum, ſi per obtentam Jubilæi gratiam jus eſt acquiſitum; ſecus, ſi votis obſtrictus illam lucratus non ſit. Belleg. cit. S. 10. q. 6. Sanch. &c. Pro pleniore notitia vide dicta ſuperiùs n. 227. & à n. 245. de votorum commutatione.

Tertia facultas eſt *eligendi Confeſſarium quemcunque*. Circa quam obſervandum 1mò: Etiam regulares ſibi eligere poſſe Confeſſarium quemlibet ſinè licentia ſui Superioris. La Croix l. 6. p. 2. n. 1464. & apud eum Nav. Suar. Fill. &c. Excipe autem Regulares Societatis JESU, ùt conſtat ex Compendio Privil. v. *abſolutio* §.15. 2dò: Confeſſarium debere eſſe approbatum ab ordinario loci, non excommunicatum, nec ſuſpenſum, nec irregularem, depoſitum, aut degradatum. La Croix cit. n.1468. Suar. Bonac. Viva, &c. 486.

Q. 13. *An? & quomodo itinerantes, peregrini impediti, Jubilæum lucrari poſſint?* ℞. Itinerantes, ac peregrini lucrari eas poſſunt in loco, per quem tranſeunt. Laym. cit. c. 7. n.11. Ratio eſt: quia itinerantes, ac peregrini gaudent privilegiis locorum, per quæ tranſeunt. 2dò: ſi itinerans, aut peregrinus in patria ſua templa viſitavit, vel Proceſſioni interfuit, probabile cenſet idem Laym. ibidem cum Lug. D. 27. a n. 124. Bonac. &c. poſſe in via reliqua opera 487.

pera-

Lug. cit. Gob. &c. ut opus, in quod alterum commutatur, fiat eo die, quô alterum fieri oportebat.

Q. 14. *Quid intelligatur per indulgentiam in forma Jubilæi?* ℞. non paucos eſſe, inter quos Fill. Vega, Henriq. &c. docentes per tales Indulgentias concedi omnes favores Jubilæi; ſed rectior æquè, ac tutior ſententia eſt, quam ſequitur Viva de Jubilæo q. 1. a. 1. Leſs. in Auct. v. *Indulgentia.* Suar. Nav. &c. has *Indulgentias* eſſe duntaxat Indulgentias pleniſſimas ſinè poteſtate eligendi Confeſſarium, abſolvendi à reſervatis, commutandi vota. 488.

Q. 15. *Quandonam Indulgentiæ expirent?* ℞. Expirare 1mò: Si concedens, vel Succeſſor illius eas revocet. Suar. D. 57. S. 2. n. 5. cum communi, ut tamen cum effectu revocentur Romæ, juxta eundem Suar. n. 9. debet revocatio in aliis partibus innoteſcere. 2dò: Si datæ ſint pro certo tempore, aut ſub certa conditione, expirant his deſinentibus. Ratio deſumitur ex mente concedentis, quæ eas ad tale tempus, ad talem conditionem reſtringit. 3tiò: affixæ loco, aut rei, ceſſant, ſi hæc ſic deſtruantur, ut eadem moraliter non manere cenſeantur. Ratio: quia huic rei, & non alteri moraliter, ſunt affixæ. 4to: probabilius eſt Roſario v. gr. aut numiſmate perdito, eas pariter amitti, nec aliud Roſarium &c. poſſe ſubſtitui. Ratio eſt 489.

eadem. 5tò: non expirant ſemper, ſi cauſa conceſſionis deſinat. Suar. cit. n. 14. Ratio: quia ſæpe ob cauſam temporalem perpetuæ conceduntur. 6tò: Neque expirant morte concedentis. Suar. cit. n. 4. 7mò: non expirant renuntiatione: quia potentia renuntiandi eſt à concedentis voluntate. Idem Suar. n. 13.

490. Q. 16. *An Indulgentiæ Regularium à Paulo V. revocatæ cenſeri poſſint revalidatæ?* ℞ negativè. Conſtat ex propos. ſequente ab Alex. VII. damnata n. 37. *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.*

CAPUT VII.

De Munere Confeſſarii in Abſolutione impertienda.

EA quæ ad validum æquè, ac licitum abſolvendi exercitium prærequiruntur in Confeſſario, declarata ſunt P. 1. Hìc ea, quæ ipſum exercitium concernunt, tractanda reſtant. Pro quo

491. Q. 1. *Quid agendum Confeſſario, poſtquam omnia pœnitentis peccata debitè excepit, dijudicavit, ac pœnitentiam convenientem illi impoſuit?* ℞. De hoc puncto ità loquitur Rituale Wratiſlavenum: *Videat diligenter Sacerdos* (Confeſſarius) *quando, & quibus conferenda, vel neganda, aut differenda ſit abſolutio; nè abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces; quales ſunt, qui nulla dant ſigna dolo-*

doloris, qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena, ſi poſſunt, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publicò ſatisfaciant, & ſcandalum tollant; neque etiam eos abſolvat, quorum peccata ſunt Superioribus reſervata.

Q. 2. *Quænam ſint requiſita ad formam abſolutionis?* ℞. Cum communi DD. 1mum 492.
eſt, ut per eam ſignificentur tria, *perſona* videlicet *abſolventis*, *perſona* hominis *abſolvendi*, & *liberatio à peccato* per gratiam ſanctificantem, quæ eſt *formalis actualis* liberatio, ſi peccatum adſit; *virtualis*, ſi aliunde ſit deletum. 2dum eſt: ut forma proferatur *verbis formalibus.* Suarez D. 19. S. 1. n. 3. cum aliis paſſim. Conſtat etiam ex Florentino, quod ait: *Forma hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cùm dicit &c.* Itèm ex Trid. Seſſ. 14. de S. Pœnit. Sacram. c. 3. ubi ait: *Docet prætereà S. Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam - - in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe &c.* Itèm ex perpetua Eccleſiæ praxi. Omnia hæc exprimit breviſſima forma: *abſolvo te.* De præcepto tamen eſt, ut etiam addantur verba: *à peccatis tuis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. Amen.* Porrò ſenſus formæ eſt: *confero tibi gratiam ſanctificantem, quæ ex ſe eſt formalis ablatio, liberatio, ſolutio, & re-*

miſſio peccati. Concordant in hoc ſenſu unanimiter Catholici Doctores. Et facilè colligitur ex illo, abſolutionis formam dari poſſe ſuper peccatis ſeu per contritionem perfectam, ſeu per factam aliàs Confeſſionem legitimam jam deletis. Nec obſtat: quòd liberatio, à vinculo corporali dari nequeat, nisì vinculum adſit. quia liberatio hæc eſt merè *phyſica remotio*, & *negatio vinculorum*, quæ ſi remota jam ſint, ultra removeri non poſſunt: At verò abſolutio eſt *liberatio in genere moris* non conſiſtens in mera negatione, ſed *poſitiva forma*, ſeu gratia per abſolutionem collata, quæ conferri poteſt, & ex ſe eſſe remiſſiva, tametſi vincula moralia peccatorum non adſint, 4tum requiſitum eſt: ùt abſolvendus *præſens* ſit abſolventi: ſub pœna enim excommunicationis prohibitum eſt à Clemente VIII. abſolvere abſentem.

493. Q. 3. *Quis Ritus in abſolvendo ſit obſervandus?* ℟. Hac in parte ſervandum eſſe Ritum pro conſuetudine cujusque loci, & Eccleſiæ. Unde pro more loci abſolutionis forma proferri poteſt vel tecto, vel detecto capite; tecto, ut indicetur judiciaria poteſtas, detecto, ut indicetur abſolutionem fieri nomine Chriſti. Poteſt itèm ad verba: *Indulgentiam* &c. elevari manus, vel non elevari. Ad verba: *in Nomine Patris* formari crux, vel non formari. Obſervanda igitur in his eſt loci, & Eccleſiæ con-

conſuetudo. Omittere tamen aliquam, vel omnes has ceremonias per ſe loquendo peccatum non eſt, ùt cum Stoz l. 2. n. 83. docent alii complures. Conformiter Rituali Romano formæ memoratæ adduntùr antè, & pòſt certæ preces, de quibus Trid. cit. *De Eccleſiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur; ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant; neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ.* Antè recitantur ſequentes: *Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & miſericors Dominus Amen. Dominus noſter JESUS CHRISTUS, te abſolvat, & ego authoritate ipſius abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis* (ſi pœnitens ordini alicui de majoribus ſit initiatus) *& interdicti, in quantum poſſum, & tu indiges.* His ſubnectitur ipſa forma ſequentibus verbis: Deinde *ego te abſolvo à peccatis tuis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. Amen.* Poſt hanc formam annectitur precatiuncula: *Paſſio D. N. J. Chriſti & merita B. Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali patienter ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.*

De his pro pleniore notitia Noto 1mò quod indicant verba Trid. cit. preces has 494.

Digitized by Google

non eſſe de præcepto, ſed pro arbitrio Confeſſarii. Unde ſufficit dicere: *abſolvo te à cenſuris, & peccatis tuis in nomine &c.* Gob. tr. 7. n. 163. cum aliis communiter. Suadendum tamen tanquam laudabile ſimul, & multum proficuum, ut addantur.

495. Noto 2dò: cum Polanco in Direct. Confeſſ. Verba illa: *abſolvo te à vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti,* præmitti in cautelam, ſi fortè pœnitens iis innodatus foret. Quo pacto, ſi quis in irregularitatem etiam incidiſſet, vel incidiſſe dubitetur, ſuppoſita in Confeſſario diſpenſandi poteſtate addi poteſt, poſt verba: *& tu indiges: & diſpenſo tecum ſuper irregularitate, ſi quam incurriſti, vel quam incurriſti, & habilito te ad actus legitimos.*

496. Noto 3tiò cum eodem; abſolutionem ab excommunicatione non impertiendam eſſe illis, qui ob jus tertii violatum, vel propter notoriam offenſam excommunicati ſunt; criminoſis etiam hominibus; ùt incendiariis, mutilantibus, manifeſtis raptoribus, vel violatoribus Eccleſiarum, manifeſtis uſurariis, & ſacrilegis, nisì ſatisfaciant parti, vel dent cautionem pignoratitiam vel fidejuſſoriam; ſi verò hoc præſtare nequeant, jurent ſaltèm ſe cùm primum potuerint ſatisfacturos; jurent itèm, ſi crimina gravia ſint excommunicationis cauſa, de iis poſthàc evitandis, & de parendo mandatis Eccleſiæ, Per judicem

excom-

excommunicatus, vel denuntiatus, licèt in foro conſcientiæ abſolvi poſſit à Confeſſario facultate prædito præſtita ſatisfactione, & læſæ partis conſenſu; imo etiam citra hanc, ſi paratus ſit facere, quod in ſe eſt, remittendus tamen eſt ad judicem in foro exteriori. Licèt præterea in neceſſitate extrema, & mortis ſeu articulo, ſeu periculo quivis excommunicatus à Sacerdote quolibet abſolvi poſſit ab omnibus peccatis, & cenſuris; ſi nihilominùs abſolutus periculum evaſerit, tenetur ſe præſentare Superiori, non tamen iterare Confesſionem. Demum in abſolutione publica ſervanda ſunt ea, quæ in Ritualibus ſunt præſcripta.

Noto 4tò: Abſolutionem à cenſuris ne- 497.
ceſſariò præmitti debere abſolutioni à peccatis, ſi cenſuræ tales ſint, ut ſuſceptione Sacramentorum privent, qualiter non privat ſuſpenſio. Ratio patet: quia per abſolutionem à cenſuris pœnitens capax reddi debet ad percipiendam abſolutionem à peccatis; Contrarium eſt, ſi tantùm privent uſu activo Ordinis, utì ſuſpenſio privat. Ratio eſt oppoſita.

Noto 5tò Verba formæ proferri debe- 498.
re modo authoritativo Judiciali, non verò deprecativo. Eſt communis cum Th. 3. p. q. 84. a. 3. ad 1. Suar. D. 19. S. n. 25. &c. Ratio patens eſt: quia Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum eſt in modum judicii, forma in modum ſententiæ, quæ

modo authoritativo, non precatorio enunciatur: Proferenda etiam ſunt voce non ſonora: ne adſtantes conjicere poſſint, ſi eorum loco recitetur *miſereatur*, vel alia, pœnitentem citra abſolutionem dimitti. Cæterùm præceptum non eſt, ut poſt pœnitentiam injunctam abſolutio conferatur Stoz. l. 2. n. 87. cum communi. Licèt hic modus abſolvendi plerisque in uſu ſit.

499. Noto 6tò Abſolutionem dari non oportere ſub Conditione de futuro. Bonac. tom. 1. D. 5. q. 4. p. 3. n. 2. La Croix, Stoz &c. Quia tali conditione poſita Confeſſarius vellet tunc primùm conferre gratiam Sacramentalem, ubi extiterit conditio; cùm verò exiſteret conditio, forma jam non exiſteret, nec materia proxima, per conſequens talis conditionata forma prorſus eſſet invalida. Imò & conditionem aliam, ſeu de præterito, ſeu de præſente addere non oportet, nisì juſta cauſa adſit, qualis adeſt, quando prudens dubium eſt: an pœnitens ritè ſit diſpoſitus? an peccata clavibus ſubjecta verè ſint peccata? vel: an Confeſſarius in peccata quædam præditus ſit jurisdictione? vel: an pœnitens vivat? &c. tunc enim juxta Gob. tr. 7. n. 272. & alios, qui id paſſim prácticè docent, licite, & prudenter apponitur conditio: *Si capax es*, vel: *ſi poſſum &c.* Addit La Croix l. 6. p. 2. n. 1769. Etiam in his dubiis reſolvendum eſſe iu favorem pœnitentis manen-

manentis in poſſeſſione, adeoque dandam abſolutionem ſinè appoſita conditione. Si tamen Confeſſarius ad illam dandam abſolutè reſolvere ſe non poſſit, licitè abſolvet conditionatè

Q. 4. *An quandoque illicitum ſit repetere abſolutionis formam?* ℟. *Ex genere ſuo* eſſe mortaliter illicitum reſpectu eorundem peccatorum in eadem confeſſione abſolutionis formam repetere: niſi adſit rationabile dubium de valore prioris abſolutionis. Gob. tr. 7. n. 171. Stoz. l. 2. n. 86. Bonac &c. Ratio eſt: quia ſecunda forma invalidè, & fruſtraneè pronuntiatur. Si tamen ex ſcrupulo, vel anxietate fiat, cenſet Sporer in Tyr. Sacram. cum Tamb. ordinariè tantùm veniale eſſe; quia tunc repetitur ex metu offendendi Deum. Unde non peccatur niſi levi imprudentiâ. Si denique ex perplexitate fiat: poteſt etiam abeſſe omne peccatum. La Croix l. 6. p. 2. n. 643. Dixi 1mò: *reſpectu eorundem peccatorum:* nam ſi pœnitens facta abſolutione novum mortale, vel præcedentium peccatorum circumſtantías ſpeciem mutantes afferat, denuo abſolutio eſt impertienda, idque ſinè formatione crucis; nè circumſtantes obſervent novum mortale eſſe recenſitum, ſuaviter ſolùm dicendo: *abſolvo te à peccatis tuis.* Si veniale afferatur, poteſt quidem eodem modo repeti; neceſſe tamen non eſt, Gob. cit. n. 220. La Croix cit. n. 644. Dixi 2dò: *niſi ſit rationabile dubium* 500.

bium de valore: quoties enim tale dubium occurrit: an valida fuerit abſolutio? non modò licitum, ſed etiam graviter obligatorium eſt (ſi peccatum, quod dubia abſolutione afficitur, ſit mortale) formam repetere ſub conditione ſeu mente ſolùm concepta, ſeu verbis expreſſa. Ratio eſt: quia omittendo tali caſu formam pœnitens gravi detrimento exponitur. Aliud judicandum cenſet Gob. n. 174. ſi abſolutio dubia ſola venialia concernat. Ratio eſt præcedenti oppoſita. Quia tamen utrobique omittendo formam Sacramentum exponi videtur nullitati; non iterata abſolutio ex hac ipſa ratione mortalis videtur. Cæterùm ſi habitus formam bene pronuntiandi adſit, excuſandus eſt Confeſſarius formam non iterans, tametſi dubitet: an eandem formam inter diſtractiones ſive involuntarias, ſive voluntarias protulerit: quia tunc irrationabile eſt dubium. Nec voluntaria diſtractio peccatum mortale cenſebitur ob eundem habitum & exercitationem formam integre pronuntiandi. Oppoſitum eſt in Confeſſario non habituato, & non exercitato.

501. Q. 5. *Quæ præſentia pœnitentis reſpectu Confeſſarii pro valida abſolutione requiratur?* ℟. non requiri præſentiam *phyſicam*, ſed ſufficere *moralem*. Tamb. l. 5. Meth. Conf. c. 2. n. 11. cum Stoz. l. 2. n. 100. & aliis paſſim, Tunc autem juxta eundem

dem Tamb. cenſetur eſſe præſentia moralis, ſi pœnitens à Confeſſario ità diſtet, ut, ſi ea voce uterentur, quâ homines in communi colloquio ordinariè uti ſolent, per ſe loquendo adhuc ſe invicem audire poſſent. Ratio 1ma deſumitur ex verbis formæ *abſolvo te*, quæ ultima particula demonſtrativa, & allocutoria eſt: alloqui autem non ſolemus nisì præſentes. Altera deſumitur ex communi Eccleſiæ ſenſu, & verbis Clem. VIII. quibus aſſerit *non licere*, NB. *in ullo caſù confiteri abſenti, vel abſolvere.*

Hinc deducitur 1mô poſſe è feneſtris 502. abſolvi vulneratum v. g. infrà feneſtras jacentem, ſi feneſtræ dicto modo, & non longiùs diſtent. Itèm poſſe abſolvi à Confeſſario in platea, pœnitentem in domo exiſtentem, ſi modo eodem, & non longiùs diſtet. Itèm abſolvi poſſe pœnitentem ex confeſſionali digreſſus non longiùs diſtantem; licèt nè is videatur, aliquid obſtet. Si verò dubitetur: an longiùs diſtet? abſolvendus eſt ſub conditione. Deducitur 2dò: ſicut abſolutionem, ſic etiam confeſſionem abſentis eſſe invalidam. Nec obſtat; quòd moribundus datis in abſentia Confeſſarii pœnitentiæ indiciis ſatis confeſſus cenſeatur, ac validè, licitéque abſolvatur, ùt ex ore duorum Pontificum Clem. VIII. & Pauli V. ſe habere teſtatur Suar. in literis Anno 1610. 9. Oct. Conimbricâ datis, quas refert Tanner. D. 6. q. 9. n. 16. quia

quia mens Pontificis ſe ſolùm extendit *ad ordinariam* Confeſſionem, quâ pœnitens omnia peccata mortalia confitetur, quorum ſibi conſcius eſt; non autem ad *extraordinariam*, quâ in caſu neceſſitatis, quo aut nulla, aut paucula ſolùm poteſt exprimere, ùt rectè explicat Stoz. l. 2 n. 96. cum Lugone. Ratio ulterior eſt: quia talis confeſſio non cenſetur eſſe abſentis: cùm adhuc vel ſigna doloris per ſuſpiria, fixos oculorum aſpectus, gemitus &c. det, quæ in neceſſitate pro ſufficiente confeſſione acceptantur; vel ſi nulla det, adhuc tamen vivat, ſic ut motus quilibet aut pro ſigno dubio valere poſſint. Unde his perpenſis vel abſolutè, vel ſub conditione citra violatum Papæ decretum ſecurè abſolvitur. Ex quibus facilè colligitur ſeu ſummæ charitatis, ſeu juſtitiæ titulum exigere, ut omnino, cùm nullum etiam ſignum doloris clarum obſervat Confeſſarius, conditionata ſaltèm abſolutio moribundo tali non denegetur, nè, qui medicum animarum agere debet, agat earum carnificem.

503. Q. 6. *An abſolutio poſſit ab uno ſimul dari pluribus? & viciſſim ab iiſdem peccatis uni ſimul à pluribus?* ℞. Ad 1mum Affirmative. Conſtat ex continua praxi, quâ ante prælium milites multi ab uno ſimul abſolvuntur. Idem ergo fieri poteſt in quacunque urgente neceſſitate, ubi citra ſalu-

tis

tis periculum ſinguli ſeorſim abſolvi nequeunt. Ratio eſt: quia nullum extat oppoſitum præceptum; imò extat præceptum charitatis, quod hoc ipſum præcipit. Tali autem caſu in forma particula: *Te* mutatur in particulam *Vos*. dicendo: *abſolvo vos à peccatis*. Lugo cit. D. 13. S. 7. Tamb. Meth. Conf. l. 2. c. 10. n. 5. Coninck. cum aliis communiter. Eſtque ob hanc ipſam voculam forma virtualiter multiplex, ſicut cùm in forma Baptiſmi plures baptizando dicitur: *ego vos baptizo*. ℞. ad 2. ſimiliter affirmativè, ſi rationabilis cauſa adſit. Sic, ſi pœnitens uni confiteretur venialia, ac dein alteri mortalia, petátque his confeſſis ab utroque abſolvi, validè, & in debitis circumſtantiis licitè ab utroque Confeſſario abſolutio confertur. Sic etiam ſi pœnitens in repentinum mortis periculum incidat, & duo ſe invicem non videntes eum abſolvant, validè, & licitè abſolvunt.

CAPUT VIII.

De Munere Confeſſarii reſpectu Sigilli Confesſionis.

Q. 1. *Quæ obligatio incumbat Confeſſario ſervandi Sigillum Confeſſionis, ſeu non revelandi quidquam ex iis. quæ pœnitens manifeſtat Confeſſario in ordine ad Sacramentalem abſolutionem, animo ſe accuſandi?* ℞. cum 504. Suar.

Suar. de Pœnit. D. 32. S. 1. n. 1. cui alii paſſim concordant, obligationem hanc tantam eſſe, ut in nullo caſu, & propter nullum finem etiam pro tuenda tota Republica à quocunque malo illud violare liceat. Fundamentum, ùt cit. fundatiſſimus Doctor loquitur, hujus veritatis eſt communis conſenſus Eccleſiæ, ejúsque perpetua traditio. Ratio præterea eſt: quia violatio ſigilli manifeſtè repugnat *legi naturali*, quæ ligat ad ſervandum ſecretum. Item ad ſervandum contractum de ſecreto, qualis hic tacitè contingit inter pœnitentem, & Confeſſorem. Repugnat 2dò *legi Divinæ*, ſeu inſtitutioni Chriſti, qui Pœnitentiæ Sacramentum voluit quidem eſſe onus, ſed leve, per conſequens non difficulter portabile; quod tamen per licitam Sigilli violationem graviſſimum, & propriè importabile redderetur. Repugnat 3tiò *Legi Eccleſiaſticæ*, quâ cap. *omnis utriusque*, de pœnit. & remiſs. ſub graviſſima pœna præcipitur, ut Confeſſarius *caveat omnino, nè verbo vel ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem.*

505. Ex his colligitur non ſola peccata pœnitentis, ſed omnia illa, quæ Sacramentali Confeſſioni conjuncta gravem, & odioſam reddere poſſunt Confeſſionem, ſi reverentur, ſub Sigillo contineri. Regin. l. 3. c. 4. n. 45. Stoz l. 2. n. 191. cum communi. Unde revelare non licet 1mo defectus naturales,

les, qui manifeſtantur in Confeſſione ad peccatum explicandum. Gob. tr.7. n. 292. &c. ubi tamen excipit: niſi cæteroquin defectus hi publicè eſſent noti. Lugo Diſp. 23. n. 601. excuſat Confeſſarium, qui ex pœnitentis Confeſſione eum cognoſcens eſſe ſcrupuloſum, ſuis næniis, impertinentiis, minutiis obtundere caput Confeſſarii, hæc ipſa evulgat. Quam tamen ſententiam improbat Gob. n. 793. eò quòd & hæc revelatio reddat Confeſſionem moleſtam, & odioſam. Ex eadem ratione non licet 2dò revelare crimen complicis, tametſi id à pœnitente recenſeatur ſinè neceſſitate. Colligitur 2dò: non prohiberi tantùm violationem ſigilli *verbo*, ſed etiam *facto*; non tantùm *directè*, ſed & *indirectè* exercitam, ſi ità fiat, ut quiſpiam poſſit *prudenti* opinione (imprudens enim & improbabilis non eſt curanda eodem Gob. teſte n. 800.) vel ſuſpicione aſſequi, quiſnam in individuo ſit, quem res narrata attingit? Ratio data eſt; quia omnibus his modis Sacramentum redditur odioſum. Colligitur 3tiò: ſigillum hoc ſic eſſe firmum, ut nec poſt mortem pœnitentis illud violare liceat. Laym. l. 5. tr. 6. c. 14. n. 1. & alii unanimiter cum eo. Colligitur 4tò: Confeſſarium uti poſſe notitiâ Confeſſionis, ſi moraliter certus ſit nec directè, nec indirectè ſigillum eſſe violandum. Suar. de Pœnit. D. 33. S. 7. n. 1. Colligitur

ligitur 5tò: non violari ſigillum à Confeſſario. Si quis animo non confitendi, ſed alio fine e. g. Confeſſarium inducendi in peccatum, vel furti occaſionem captandi &c. peccata ſua recenſeat, & ea Confeſſarius manifeſtet. Suar. D. 33. S. 2. n. 1. Laym. cit. n. 2

506. Q. 2. *Quibus caſibus in particulari violetur Sigillum?* ℞. Violari primò: Si Confeſſarius dicat ſe v. gr. Titio negâſſe abſolutionem. Lugo cit. n. 84. Ratio eſt: quia ex tali dicto prudens oritur ſuſpicio ob crimen grave negatam fuiſſe abſolutionem. Violatur 2dò: Si dicat pœnitentem ſuum eſſe ſpurium quando hic ipſe defectus naturalis detectus eſt in Confeſſione, ut explicaretur peccatum. Gob. cit n. 815. Violatur 3tiò: Si manifeſtet *in particulari* minimum etiam peccatum veniale *in ſpecie* v. gr. verbum otioſum per Confeſſionem cognitum; aut ſi dicat confeſſum eſſe multa mortalia, aut gravia venialia. Stoz. l. 2. n. 191. Coninck, Lugo, Tamb. Violatur 4tò: Si quis dicat pœnitentem confeſſum eſſe mortale reſervatum &c. licèt ſpeciem non addat. Itèm ſi revelet peccatorum circumſtantias. Laym. l. 5. tr. 6. c. 14. n. 4. Limitat tamen Lugo, ſi aliquod nocumentum vel per ſe, vel per accidens poſſint afferre, vel pœnitens eas non libenter extra Confeſſionem manifeſtaret. Violatur 5tò: Si quis ſcriptam confeſſionem reperi-

reperiens eam aliis manifeſtet. Laym cit. n. 19. Dicaſt. Palao &c. Ratio eſt: quia talis ſcripta confeſſio non tantùm continet materiam confeſſionis, ſed etiam ſcripta eſt in ordine ad accuſationem per conſequens in ordine ad Sigillum. Idem eſt de eo, cui pœnitens peccata in ordine ad confeſſionem ſcribenda dictâſſet. Violatur 6tò; ſi manifeſtetur defectus doloris, vel propoſiti emendationis, non reſtituendi, non deſerendi occaſionem proximam. Lugo Diſp. 23. n. 117. Juxta quem etiam violatur 7mò: Si quis volens confiteri per interpretem eidem manifeſtet ſua peccata, interpres verò ea non enarret Confeſſario. Ratio eſt: quia manifeſtatio interpreti facta eſt inchoata confeſſio. Idem eſt de internuntio, cui pœnitens peccatum commiſit ad Confeſſarium deferendum. Violatur. 8vò: Si quis Jurisdictione deſtitutus peccata excipiat, eaque aliis manifeſtet. Stoz. cit. n. 118. Fag. Hurt. &c. Ratio: quia talis confitens verè ſua peccata manifeſtat in odine ad Sigillum. Violatur 9nò: Si quis audiens alterum Confeſſario peccata recenſentem ea aliis recenſeat. Coninck D. 9. n. 36. Laym. cit. n. 17. &c. Ratio hujus, & aliorum omnium enumeratorum eſt: quia tali manifeſtatione Sacramentum redditur exo-

ſum. Ex qua ratione univerſaliter deſumendum eſt principium pro dignoſcendo: an violetur? vel non violetur Sigillum? Proinde ſi dubitetur, án Sigillum violatum ſit? hæc regula eſt attendenda. Caterùm quia faciliimè quædam in colloquiis prorumpunt, quæ Sigillum concernunt, non facilè de confeſſionibus auditis ſermo miſcendus eſt ſinè neceſſitate. Et ſi neceſſitas id exigat, in id cura accuratè referatur, ut pœnitens certus, ac ejus conſtitutio reſpectu Sacramenti nec per prudentem ſuſpicionem innoteſcere poſſit.

507. Hinc facilè deduces ex oppoſito non violari Sigillum, ſi dicas: *Petrus eſt mihi confeſſus Petrum abſolvi.* Itèm: *Petrus eſt mihi confeſſus ſua peccata.* Itèm: *Confeſſus eſt mihi venialia.* Ratio: quia hæc nec pœnitentem infamant, nec Confeſſionem reddunt exoſam: cùm notorium ſit omnes venialiter peccare, & Confeſſione, atque abſolutione indigere. Idem eſt, ſi pœnitentia levis, quæ dari ſolet de venialibus, manifeſtetur. Idem: ſi quis Confeſſario quædam aperiat citta ordinem ad Sacramentalem confeſſionem ſub Sigillo confeſſionis: naturale tunc enim ſolùm obligabit ſecretum. Idem cenſet Gob. tr. 7. n. 795. de caſu, quo quis virtutes pœnitentis in confeſſione cognitas enarrat, quemad-

admodum Confeſſarii nonnulli enarrârunt poſt Pœnitentium ſuorum mortem, teſtando eos totâ vitâ á mortali immunes fuiſſe; virginitatem perpetuò ſervaſſe &c.

Q. 3. *An etiam circa ipſum pœnitentem Sigillum ſervare oporteat?* ℟. Affirmativè, ſi agatur cum ipſo extra confeſſionem; non item ſi agatur cum eo intrà Confeſſionem. Laym. cit. n. 9. cum aliis paſſim. Ratio eſt: quia extra Confeſſionem cedit in confuſionem pœnitenti, & odii in Sacramentum anſam præbere poteſt. Unde, ut bene obſervat Stoz. cit. n. 193. ex Fagund. non licet Confeſſario etiam occultè extra confeſſionem pœnitentem monere de aliquo Sigillum concernente. Ex quo ſequitur duos Confeſſarios unius pœnitentis de ejuſdem peccato colloqui non poſſe, nec unum Confeſſarium de eo loqui poſſe quibus aliunde notum eſt, tametſi à colloquentibus non adverteretur id ex Confeſſione haberi. Bon. Tom. 1. D. 6. S. 5. p. 1. n. 5. Fagund. Lug. &c. Ly. *Extrà Confeſſionem* verò ſic intelligitur, ut non ſolùm indicet Confeſſionem, & abſolutionem, ſed etiam quæ integraliter hæc ſubſequuntur. Unde quæ in continenti poſt datam abſolutionem fiunt, extra confeſſionem fieri non cenſentur; ideóque data abſolutione poteſt adhuc Confeſſarius de peccatis, & quæ ea concerunt, agere etiam 508.

invito pœnitente, ſi neceſſarium exiſtimet; non item, ſi pœnitens è confeſſionali jam receſſit. Suarez. de. Pœn. D. 33. S. 5. n. 1. Ratio eſt: quia tunc non amplius durat Sacramentum.

509. Dixi: *Non item ſi agatur cum eo intra Confeſſionem*, quod aliqui ſolùm intelligendum volunt de illis peccatis, quæ pœnitens in præſenti confeſſione attingit. Rationem dant: quia ſi peccata attingat hocipſo, dat expreſſam licentiam de iis loquendi. Unde cenſent pro aliis petendam eſſe à pœnitente licentiam. Verùm obſtat his praxis paſſim uſitata à piis, expertisque Confeſſariis, qui de quibusvis peccatis, quæ in aliis confeſſionibus exceperunt, ubi rationabilis cauſa adeſt, pœnitenti colloquuntur. Et ratio eſt: quia pœnitens eo ipſo, quòd confiteatur, vult Confeſſarium exercere officium Judicis, Doctoris, & Medici, per conſequens vult in omnibus ad ſalutem ſuam ſpectantibus ab illo inſtrui, adeoque eo ipſo dat ipſi licentiam etiam de aliis conferendi. Ex quo ulterius ſequitur: ſi Confeſſarius in aliis Confeſſionibus erraſſet, licentiâ non petitâ in præſenti Confeſſione colloquendo de iis, circa quæ erravit, errorem corrigere poſſe, imò etiam debere, ùt cenſet cum aliis Lugo D. 22. n. 77.

510. Q. 4. *Quid agendum Confeſſario, ſi errorem*

Digitized by Google

rem commiſſum intrà Confeſſionem corrigere, vel ſaluti pœnitentis conſulere nequeat? ℞. tunc opus eſſe licentiâ non præſumptâ tantùm, aut tacita, aut virtuali, aut interpretativâ, ſed expreſsa ab ipſo pœnitente datâ. Regin. l. 3. n. 60. Lugo &c. Ratio eſt: quia citra expreſſam hanc licentiam facilè daretur anſa, ne odium in Sacramentum pœnitens conciperet. Expreſſa autem cenſeri poteſt, ſi pœnitens non tantùm Confeſſario petenti licentiam verbo conſentiat, ſed etiam ſi facto conſenſum indicet, ùt ſi ipſe de peccatis ſuis confeſſis ſermonem ordiatur. Obſervat tamen circa hanc ipſam expreſſam licentiam Stoz. cit. n. 197. & ſeqq. ex Fag. Leſs. Coninck, Lugone, Palao &c. Imò eam debere eſſe voluntarie & liberè, non coactè datam, aut vi, vel dolo obtentam. 2dò eam eòusque extendi, quo usque pœnitens eam extendi vult. 3tiò eam pro arbitrio pœnitentis poſſe revocari. 4tò non expedire, ut Confeſſarius eam ſcripto expediat. 5tò poſſe licentiam hancà pœnitente etiam aliis dari. 6tò bene attendendum eſſe qualiter pœnitens licentiam tribuat: ſi enim ſic concedat, ut peccati notitiâ ex confeſſione acceptâ ſeu Confeſſarius, ſeu alius utatur velut extra Confeſſionem accepta foret, Sigillum ampliùs non obligabit. E contrà ſi reſtringatur ſic, ut uni, vel alteri

ri ſolùm communicetur, quo pacto ordinariè conceditur, adhuc cenſebitur Sacramentalis, adeoque & Sigillum obligabit. Ratio prima eſt: quia notitia reſpectu aliorum, reſpectu quorum non cummunicatur, adhuc à Confeſſione dependet. Secunda eſt: quia talis licentia manifeſtè eſt limitata; ergo non modo illimitato uſurpanda.

511. Q. 5. *An ex duabus opinionibus de Confeſſionis ſigillo ſemper ſequenda ſit in praxi favorabilis magis eidem Sigillo?* R. Contra Dianam in procem. p. 5. tr. 11. & alios Affirmativè. Ratio eſt primò: quia cauſa ſigilli eſt in favorem pœnitentis, in bonum publicum Eccleſiæ, & honorem, & reverentiam Sacramenti. 2dò: quia minùs favorabilem ſequendo periculum ſubeſt, nè Sigillum violetur. 3tiò: quia ſententia probabilis minùs Sigillo favorabilis cedit in damnum tertii, quod ſi immineat univerſaliter non licet alterutrum ex probabilibus ſequi. Unde in dubio: an violandum ſit Sigillum? non eſt ſequenda regula probabilitates concernente: *in dubio melior eſt conditio poſſidentis.* 4tò: Quia etiam ſequela ſententiæ minùs favorabilis Sacramentum reddit odioſum, utpote impediens a faciliore ejus uſu.

512. Q. ultimò: *An etiam pœnitens obligetur ſigillo ad tacenda ea, quæ in Confeſſione ipſa Confeſſa-*

feſſarius aut dixit . aut egit? ℞. Negativè cum Conink Diſp. 9. n. 37. Tamb. & communi. Ratio eſt: quia Sigilli obligatio impoſita eſt in favorem pœnitentis, cui proinde pœnitens ipſe cedere poteſt. Si tamen dicta, vel facta quædam Confeſſarii ſecretum requirerent, peccabit ea enarrando contra Secretum, niſi lex charitatis, vel jus commune ob bonum publicum jubeat manifeſtare; quod eveniret, ſi pœnitens agnoviſſet Confeſſarium pernicioſum ſeu proximo, ſeu Reipublicæ crimen meditari. Stoz. l. 2. n. 264. cum Tanner & aliis.

INDEX
Rerum & Verborum.
A.

ABortus. An hunc procurare ſit licitum? n. 325.

Abſolutio. Quæ ſint requiſita ad formam abſolutionis? n. 492. Quæ verba ſint de eſſentia abſolutionis? n. 494. An verba formæ proferri debeant modo authoritativo? n. 498. Qui ritus in abſolvendo ſit obſervandus? n. 493. Cur verba: *abſolvo te à vinculo excommunicationis* &c. præmittantur? n. 495. An abſolutio ab excommunicatione impertienda ſit illis, qui ob jus tertii violatum, vel propter notoriam offenſam ſunt excommunicati? n. 496. An abſolutio à cenſuris neceſſariò præmitti debeat abſolutioni à peccatis? n. 497. An abſolutio dari poſſit ſub conditione? n. 499. An quandoque licitum ſit repetere abſolutionis formam? n. 500. Quæ præſentia pœnitentis reſpectu Confeſſarii pro valida abſolutione requiratur? n. 501. An in aliquo caſu confiteri liceat abſenti, eundémque abſolvere? n. 502. An abſolutio

lutio poſſit ab uno ſimul dari pluribus, & viciſſim ab iis peccatis uni ſimul à pluribus? n. 503. An duellantes authoritate privata à quolibet Confeſſario abſolvi poſſint? n. 328.

Acedia. Quid, & quale peccatum? n. 431. Quomodo obſervandum, an pœnitens acedioſus mortaliter peccaverit? n. 432. Quæ remedia adversùs acediam? n. 436.

Actus charitatis. Quomodo dignoſcendum, an pœnitens actum charitatis Dei conformiter præcepto alicuerit? n. 167.

Actus fidei. Præceptum? n. 95. 96. & 97.

Adulterium, vide Luxuria.

Ambitio. Quid? n. 406.

Amor Parentibus debitus, vide Parentes.

Amplexus obſcœni. Quando peccatum? n. 334.

Apoſtaſia. Quid? n. 98. Quomodo ab hæreſi differat? n. 98.

Ars notoria. Quid? n. 130.

Ars ſanitatum. Ibidem.

Aſpectus obſcœnus. Quando peccatum? n. 334

Avaritia. Quid? n. 407. Quæ filiæ avaritiæ, & qualia peccata? n. 408. Quomodo vera avaritia obſervanda? n. 412. Remedia adversùs avaritiam. n. 419.

B.

BEſtialitas, vide Luxuria.

Biblia. An mortaliter peccant Laici ea ſinè licentia legendo, vel retinendo? n. 115.

Blaſphemia. Quid, & quotuplex? n. 203. & 204. Quale peccatum? n. 205. Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens abſolutè dicat ſe blaſphemâſſe? n. 206. Quid ſentiendum de illis, qui dicunt ſe conſuetudine tantùm blaſphemâſſe? n. 207. & 208. Quid de illis, qui dicunt ſe blaſphemâſſe ſinè indignatione ad Deum, ſed ſolum ad hominem, vel jumenta terrenda? n. 209. An pœnitens à conſuetudinaria blasphemia ſit abſolvendus? n. 210. An blaſphemia in Deum, blasphemia in Sanctos, aut alias creaturas ſpecificè differant? n. 211. An blaſphemia peccet, qui ebrium, ſtultum, aut puerum rationis uſu necdum præditum ad blasphemandum inducit? n. 212. Adversùs blasphemiam remedia. n. 213.

Bona dotalia, antidotalia, vel antiphernalia, paraphernalia, ſeu præterdotalia quid? n. 362. Quid caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, adventitia, profectitia, propria? n. 363.

C.

CAſus Bullæ cænæ. An, & à quibus abſolvere poſſint Epiſcopi? n. 109. & 110. An ab iis abſolvere poſſint Regulares? n. 111.

Charitas Dei. Quid? n. 157. Præceptum charitatis quomodo, & quando obliget? n. 158. & 159. Quid agendum ſi pœni-

Digitized by Google

pœnitens dicat : *non amavi Deum ex toto corde?* n. 164. Quid ſi ſe accuſet, quòd Deum dilexerit propter mercedem, aut mala evitanda? n. 165.

Charitas ſui ipſius. Quomodo contra eam peccetur ; n. 161.

Charitas proximi. Quot modis contra eam peccetur? n. 162. & 163. Charitatis in proximum ordo? n. 162. In quibusnam perſonis maximè inveſtigandum ſit ; an contra charitatem in proximum deliquerint? n. 168.

Commutatio juramenti. n. 227. Quomodo differat à diſpenſatione? n. 245.

Compenſatio. An ad compenſationem damni illati obligentur debitores ſolvere tardantes? n. 385. Compenſatio occulta an famulis licita? n. 303.

Complacentia ſimplex, vide Luxuria.

Concubina. Quomodo à meretrice differat? n. 306.

Concubinarius. An abſolvendus? n. 384.

Confeſſarius. Quid ei agendum priùsquàm Confesſiones excipiat? n. 1. & 2. Quid, cùm Miniſterium ſuum aggreditur? n. 5. Quæ pœnitentem rudem interrogare debeat ante Confesſionem? n. 10. Confeſſario cavendum, nè inter audiendas Confesſiones diſtrahatur, aut omnino peccatorum obliviſcatur. n. 11. Quid illi agendum, ſi aliquorum obliviſcatur, aut nihil intellexit? n. 11. Tolerans ſit moleſtia-

ſtiarum n. 12. Abſtinendum ab increpationibus, & exprobrationibus corporis. n. 13. Reſciendus ipſi peccatorum numerus, & circumſtantiæ ſpeciem mutantes, non itèm neceſſariò aggravantes, n. 14. Juvandus pœnitens interrogando & quomodo? n. 15. An ad ponendam Confesſionis integritatem permittere posſit nominari complicem? n. 16. Quando cenſeatur non poſſe facilè haberi n. 17. Superfluæ locutiones reſcindendæ. n. 18. Non nimis citò de properandæ Confesſiones, ut plures audiantur. n. 19. Suavis ſit, & benignus. n. 20. Non ſit præceps in judicio ferendo, nec obligationes imponendo. n. 21.

Confeſſarius pœnitentis indiſpoſiti, à n. 25. Pœnitentis in infidelitatem lapſi à n. 95. Superſtitioſi à n. 123. Peccato contra ſpem obnoxii à n. 149. Peccatis contra Dei, ſui ipſius, vel proximi charitatem irretiti. à n. 157. Sacrilegi, præſertim verò Simoniaci à n. 181. Blaſphemi à n. 203. Peccaminosè juratis à n. 214. De violato voto Rei. à n. 228. Dies feſtivos inhonorantis, à n. 266. Impii in Parentes à n. 282. Homicidæ à n. 308. Luxurioſi à n. 330. Ad reſtitutionem obligati à n. 388. Detractoris à n. 388. Superbi, avari, invidi. à n. 404. Ebrii à n. 421. Iracundi, acedioſi. à n. 429. De violato jejunio ſe accuſantis. à n. 437. Pœnitentiam injungens à n. 459. Abſolvens à n. 491. Sigillo ob-

Digitized by Google

obſtrictus à n. 504. Quomodo error intrà Confeſſionem commiſſus ei ſit corrìgendus? n. 510.

Confeſſio. Quando Confeſſario pœnitentis Confesſione, & dicto ſtandum? n. 22. Confesſio rudium puerorum, & puellarum. à n. 25. Confesſionis integritas quo jure præcipiatur n. 82. Qùæ eſſentialiter ſit requiſita ad Pœnitentiæ Sacramentum? Ibidem. Quæ à materiali integritate excuſent? n. 84. 85. & 87. An dimidians Confesſionem. ex ignorantia culpabili cognito peccato teneatur totam Confesſionem repetere? n. 89. An excuſatus à materialiter integra Confeſſione reticere poſſit, quod ſeu phyſicè, ſeu moraliter ei impoſſibile? n. 90. An mortaliter peccet, qui ſcit undecies ſe, mortaliter peccâſſe, dicit ſe peccâſſe decies? n. 91. Itèm: qui confitetur mortalia uni, venialia alteri? n. 92. Integritatem Confesſionis dignoſcendi modus n. 93.

Contumelia. Quid? n. 388. Quale peccatum? n. 389.

Correctio fraterna. Quando contra eam graviter delinquatur? à n. 176. An pudor, & verecundia ab illo excuſent? n. 179. An, ſi ordo in ea præſcriptus ſervari non posſit, inculpabiliter omittatur? n. 180.

D.

D.

DAmnificatio. An de damnificatione idem ſentiendum quod de furto? n. 364. Quot modis fiat? n. 365.

Debitum conjugale denegando quando peccetur? n. 301.

Defenſio inculpatæ tutelæ, vide Homicidium,

Delectatio moroſa unde dicta, & quale peccatum? n. 332.

Deſperatio, Quid? n. 149. Ejus cauſæ? n. 151. Effectus. Ibidem. Quale peccatum? n. 153. Quomodo agendum cum pœnitente in Deſperationem lapſo? n. 154. Quomodo diſcernendum: an cum plena, vel non plena deliberatione commiſſa ſit? n. 155. Quæ remedia contra deſperationem? n. 156.

Detractio. Quid? n. 388. Quotuplex, & quot modis fiat? n. 390. An inducat obligationem reſtituendi? n. 391. Quid agendum, ſi pœnitens in genere dicat ſe proximi defectus, & peccata alteri recenſuiſſe? n. 392. An detractionis reus, qui notorium crimen propalat? n. 393. Quot perſonas crimen ſcire oporteat, ut notorium cenſeatur? n. 394. An detractionis reus, qui crimen proximi occultum revelat certò tacituris? n. 395. Qui confitetur ſe proximum apud alios compellâſſe avarum, ſuperbum &c. n. 396. Qui crimen proximi

ex

Digitized by Google

ex aliorum narratione ſinè aſſeveratione recenſet? n. 397. An, qui naturales defectus revelat? n. 398. An, qui loquelis detractoriis auſcultat? n. 399. An ad famam reſtituendam obligetur, qui inadvertenter, & ſinè culpa proximum infamat? n. 400. Ad quantam reſtitutionem detractionis reus obligetur? n. 401. Ad quem modum in reſtitutione ſervandum? n. 402. Quid agendum, ſi pœnitens confuſionis metu difficilem ſe exhibeat ad famæ reſtitutionem præſtandam? n. 403.

Dies Feſtivus, vide Feſtum.

Divinatio. Quid? n. 125. Quotupliciter fiat? n. 127.

Dolor. Ex quibus ſignis verus in pœnitente dolor dignoſcatur? n. 53. De quibus pœnitentibus potiſſimum dubium eſſe poſſit: an verum dolorem habeant? n. 54. An veri doloris ſignum, ſi adoleſcens recitet: *Confiteor &c.* cum pectoris percuſſione? n. 55. An, ſi pœnitens dicat: *maledicta peccata, quibus Deum offendi?* n. 56. An ſufficiens, quô quis dolet, quòd peccando infamiam, aut aliud detrimentum temporale incurrerit? n. 57. Quis dolor neceſſarius ad delenda omnia ſimpliciter peccata? n. 58. An referri debeat ad abſolutionem? n. 59. An ſaltèm moraliter cum abſolutione debeat eſſe connexus? n. 60. Quanto tempore moraliter perdurare ſit cenſendus? n. 61. An ad plures abſolutiones ſe extendere poſ-

Digitized by Google

poſſit ? n. 62. An neceſſariò Confesſioni præmittendus ? à n. 63. Quando per peccatum ſubſequens revocetur ? n 66. Quæ motiva ad dolorem de mortalibus ? n. 67. Quæ de venialibus ? n. 68.

Dubium in fide. Quotuplex ? n. 103.

Duellum, vide Homicidium.

E

EBrietas. Quid? n. 422. Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens in genere ſe ebrium fuiſſe confiteatur ? n. 423. Qualiter peccent, qui ad æquales calices ſe ſe provocant, aut juſſù, vel conſilio ad ebrietatem inducunt ? n. 424. An, & quando peccent caupones iis vinum vendentes, quos noverunt inebriandos ? n. 425. An mala commiſſa in ebrietate culpâ vacare cenſeri posſint ? n. 426. An ebrio ad mortis periculum deducto danda ſit abſolutio, & viaticum ? n. 427.

Eleemoſyna. Eam pauperibus negando quando, vel quale peccatum ? n. 175.

Error. Quotuplex ? à n. 234.

Examen conſcientiæ. An Confesſioni præmittendum ? n. 37. Quo jure requiratur ? n. 38. An omnes, & ſemper obliget? n. 39. Quæ diligentia ad illud requiratur ? n. 40. Quod ſufficientis diligentiæ ſignum? n. 41. An omnes obligentur ad æquale ? n. 42. De quibus inſtituendum ? n. 43. Quid

Quid agendum, ſi numerus certus, & determinatus reperiri nequeat? n. 44. An peccata per examen cognita, nè in Confeſſione memoriâ elabantur, ſcripto ſint annotanda? n. 46. Quæ peccata in eo occulta manere ſoleant? n. 47.

F.

FAma. Quid, & quæ illi vitia opponantur? n. 388.

Famulus. An famulis licita ſit occulta compenſatio? n. 303. An contra juſtitiam, & fidelitatem peccent, res Domini furto ſubducentes? n. 304. & 305. Quomodo dirigendi ſint in præſtanda, vel non præſtanda Dominis obedientia? n. 306.

Feſtum. Sanctificandi feſta obligatio. n. 266. Quæ opera die Feſto prohibeantur? n. 267. Quantum obliget præceptum de abſtinendo ab operibus ſervilibus die feſto? n. 268. Quæ ab obligatione hac excuſent? n. 269. Die Feſto Miſſam audiendi obligatio quos ſtringat? n. 270. Quomodo præcepto audiendi Miſſam ſatisfiat? n. 270. Quæ ab hoc præcepto excuſent? n. 271. Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens genericè ſe accuſat, quod diem feſtum non ſanctificaverit? n. 272. An præcepta de Miſſa audienda violet, qui tempore illius libidinosè oculos ad perſonas oppoſiti ſexûs jacit? n. 273. An à præcepto hoc ex-

cuſet Patres, & Matresfamilias domûs cuſtodia? n. 274. An huic præcepto ſatisfiat ſimul audiendo Miſſas duorum Sacerdotum, unius ab initio uſque ad conſecrationem, alterius à conſecratione uſque ad finem? n. 275. An, qui ſub Miſſa per longum tempus confitetur? n. 276. An feſta violent Nobiles notabili tempore venando? n. 277. An ancillæ pro veſtitu ſibi aliqua parando? n. 278. Opifices matutinum tempus veſtibus perficiendis impendendo, barbitonſores, tondendo? n. 279. Domini famulis ſerviles labores imponendo? n. 280. Ludendo, potando, ſaltando, aliisque modis peccantes, an ſpecialem malitiam contrahant? n. 281.

Fides, actus Fidei. Quomodo ad eum eliciendum pœnitens ſit diſponendus? n. 29. Actus fidei præceptus. n. 95. Quando præceptum de actu fidei externo obliget? n. 96. & 97. An fidem opere negent famuli, & ancillæ, qui Dominis hæreticis ſervientes Eccleſiaſtica præcepta violant? n. 117.

Forma Abſolutionis, vide Abſolutio.

Formula Confeſſioni præmittenda. n. 6. Formula pœnitenti ante, & poſt Confesſionem adhibenda. n. 8. & 9.

Fornicatio, vide Luxuria.

Furtum. Quid? Quomodo differat à rapina, & quotuplex ſit? n. 358. An ſemper peccatum, & quale? n. 359. Quæ

quan-

quantitas ad mortale ſufficiat? n. 360. An idem de damnificatione injuſta, quod de furto ſentiendum? n. 364. Quid circa materiam furti ſpecialiter obſervandum? n. 375. Quando occulta compenſatione peccetur? n. 376. Quid agendum Confeſſario ſi advertatur pœnitens rem parvam ſurripuiſſe? n. 377. Quando Religioſus per parva furta mortaliter peccet? n. 378. An peccet, qui furatur ob neceſſitatem? n. 379. Quomodo peccent pauperes in meſſe, aut ſylvis alienis parva furta committendo? n. 380. Quomodo ementes res furtivas? n. 381. Quomodo pecuniam pauperibus commodantes accepto pignore hoc peculium excedente? n. 386.

G.

GAbellæ. An contra juſtitiam, vel fidelitatem peccetur non ſolvendo gabellas? n. 307.

Gentiliſmus. In quibus ſit? n. 98.

Gloria vana. Quale peccatum? n. 414.

Gula. Quid, & quot modis contingat? n. 421. Quotuplex ſit? n. 422. Quæ remedia adverſùs gulam? n. 428.

H.

HÆreſis. Quid? n. 98. Quomodo ab Apoſtaſia differat? Ibidem. Quotuplex? n. 101. Pertinacia hæreſi conjuncta, in quo conſiſtat? n. 101. Hæreſis formalis quando excommunicationi Bullæ Cœnæ ſubjecta? n. 104. & 105. An ab ea occulta Prælati Regulares ſuos ſubditos abſolvere poſſint? n. 112.

Digitized by Google

Hæreticus. Quis caſui reſervato ſubjectus? n. 108. Quomodo à ſua hæreſi abduci debeat? n. 118. Quotuplices ſint hæretici? n. 118. Quid agendum, cùm inſtrui petit? n. 119. Quid in ipſa inſtructione obſervandum? n. 120. Quid in illius Confeſſione? n. 121. Quid circa profeſſionem Fidei? n. 122.

Homicidium prohibitum. Quid? n. 308. Occiſio ſui ipſius an ſemper illicita? 309. An licitum ſe occidere negative? n. 310. Permiſſivè? n. 311. An obligatio incumbat, nè vita abrumpatur, media omnia licita, & exquiſita quærere? 312. Mutilare ſe ipſum quale peccatum? n. 313. An licitum ob vitæ propriæ defenſionem occidere alterum? n. 314. & 315. An licitum duellum? n. 316. An, & quomodo peccet mortem ſibi optans, aut imprecans? n. 317. An peccet Virgo, quæ mortem alioquin incurſura, ſe violari patitur? n. 318. An peccent circumforanei, qui ad remedii efficaciam exhibendam ſumunt venenum? n. 319. Qui, nè militiæ adſcribantur, articulis pedum, vel manuum ſe mutilant? n. 320. Milites, qui navem, quâ vehuntur, aut turrim, in qua morantur, pulvere pyrio ſuccedentes ſe unâ vitâ privant, nè in hoſtium manus deveniant? n. 321. Maritus, qui uxorem in adulterio deprehenſam occidit? n. 322. Qui ad defenſionem honoris cum moderamine inculpatæ tutelæ aggreſſorem interficit? 323. Qui interficit furem ad tuendam rem familiarem? n. 324.

Digitized by Google

n. 324. Mater, quæ, nè ipſa moriatur animati fœtûs abortum procurat? n. 325. Vir nobilis, vel militaris ſiſtens ſe meræ defenſionis gratiâ cum ſpe prævalendi, alioquin ob ſuſpicionem ignaviæ privandus officiô, vel Principis favore? n. 326. Quando rixoſus mortaliter delinquat? n. 327. Ad qualem reſtitutionem obligetur homicida? n. 329.

Honor. Quid? n. 388.

Hypocriſis. Quid, & quale peccatum? n. 415.

I.

JActantia. Quale peccatum? n. 412.

Idololatria. Quid, & quotuplex? n. 124.

Jejunium. Quid, & quotuplex? n. 437. Eccleſiaſticum in quo conſiſtat? n. 438. Refectiunculæ veſpertinæ quæ menſura? n. 439. An, & quale peccatum extra refectionem pomeridianam, & refectiunculam veſpertinam cibum ſumere? n. 440. Qui ad hoc jejunium obligentur? n. 442. Qui excuſentur? à n. 443. Qui cibi die jejunii prohibeantur? n. 441. Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens ſe in genere de violato jejunio accuſet? n. 448. An jejunium violet non jejunans cum dubio, an annum 21. compleverit? vel, qui die, quô eum complevit, non jejunat? n. 449. An voto jejunandi certis diebus toto vitæ tempore obſtrictus deobligetur, ſi cæteroqu in ſenectute à jejunio excuſetur? n. 450.

Digitized by Google

An peccent, qui cibos lardo, vel pinguedine anſerum conditos die jejunii comedunt? n. 451. An, qui non jejunant, quia jejunantes dormire nequeunt? n. 452. An qui actione cæteroquin licita defatigati altera vice plenè ſe reficiunt? n. 453. Quid Confeſſario obſervandum, ſi pœnitentem non jejunâſſe audiat causâ diſpenſationis? n. 454. An peccet Religioſus, ſi ante 21. ætatis annum jejunia Ordinis non obſervet? n. 455. Qui pridie ità replent ventrem, ut die jejunii difficultatem non ſentiant? n. 456.

Ignorantia. Quotuplex? â n. 234. Quomodo de ea pœnitens ſit monendus? n. 23.

Inceſtus, vide Luxuria.

Indiſpoſitio pœnitentis. Quot modis contingere poſſit? n. 24. Indiſpoſitio ob inſufficientiam notitiæ ad pœnitentiæ Sacramentum requiſitæ? à n. 25. Indiſpoſitio pœnitentis ob defectum Examinis? à n. 37. Doloris à n. 52. Propoſiti à n. 70. Integræ Confeſſionis à n. 82.

Indulgentia. Quid? n. 470. Quotuplex? n. 471. Quæ conditiones ad lucrandas Indulgentias requirantur? n. 472. An quis uno opere lucrari poſſit Indulgentias plures? 473. An, ſi feſtum transferatur, etiam ſimul transferantur Iudulgentiæ? n. 474. Quando incipiat tempus Indulgentiarum, quæ pro variis Eccleſiis concedi ſolent ad ſeptem annos?

Digitized by Google

annos ? n. 475. Quid ſentiendum de Indulgentiis pro Defunctis ? n. 476.

Infidelitas vitium fidei oppoſitum. n. 98. Quotuplex ſit ? Ibidem.

Inimicitia. Quomodo Confeſſario procedendum cum pœnitente, qui ſe dicit inimicitias habuiſſe cum proximo ? n. 170. An aliquando licitum ſit de malo inimici gaudere, vel de bono triſtari, n. 171. & 172. Quomodo inimicitia dignoſcenda ? n. 173. An veniam ab inimico petere conſilii tantùm ſit ? an præcepti ? n. 174. Remedia contra inimicitiam. n. 175.

Inimicus. Quomodo diligendus ? n. 163.

Integritas Confeſſionis, vide Confeſſio. Quæ ignorantia à Confeſſione materialiter integra excuſet ? n. 87. An Culpabilis ſucceſſu temporis fieri poſſit inculpabilis. n. 88.

Interrogare. Interrogandi pœnitentem modus. n. 15.

Interrogatio. Interrogationes univerſaliores Confeſſario quandoque adhibendæ. n. 50.

Interrogatorium ad interrogandi, uti & examinandi laborem facilitandum. n. 51.

Invidia. Quid ? n. 409. Filius illius. n. 410. An invidi cenſendi mercantes, qui triſtantur, quòd emptores ſe neglectis ad alios accedant merces empturi ? n. 417. Quomodo vera invidia dignoſcenda ? n. 413. Remedia contra invidiam. n. 420.

Digitized by Google

Ira. Quid ? n. 429. An ſemper, & quale peccatum ? n. 430. Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens ſe iratum fuiſſe dicat ? n. 432. Quando vindicta injuſta cenſeri debeat ? n. 433. Adversùs iram remedia. n. 435.

Jubilæum, quid, & quotuplex ? n. 477. Quid circa Jubilæum anni Sancti ſit obſervandum ? n. 478. Quæ ad Jubilæum lucrandum requiri ſoleant ? n. 479. Quid obſervandum de Confeſſione pro Jubilæo requiſita ? n. 480. Quid de oratione ? n. 481. Quid de jejunio, & eleemoſyna ? n. 482. Quid de Proceſſione, & viſitatione Templorum ? n. 483. Quæ facultates Indulgentiis Jubilæi ſint annexæ, & quid circa illas notandum ? n. 284. & ſeqq. An, & quomodo itinerantes peregrini, impediti Jubilæum lucrari poſſint ? n. 487. Quid intelligatur per Indulgentiam in forma Jubilæi ? n. 488 Quando Indulgentiæ expirent ? 489. An Indulgentiæ Regularium à Paulo V. revocatæ cenſeri poſſint revalidatæ ? n. 490.

Judaiſmus. In quibus ſit? n. 98. An vitia Judaismi clavibus ſubjaceant ? n. 99.

Judæus. In quibus caſibus Judæis communicare illicitum ſit ? n. 100.

Judicium temerarium. Quid? n. 388. Quale peccatum ? n. 389.

Jurare, & Juramentum. Quid ? n. 214. Quotuplex? n. 215. Ad licitum quæ conditio-

ditiones requirantur? n. 216. Promiſſorium de quibus rebus contingat, & quid circa illud obſervandum? n. 217. Juramentô firmata promiſſio neceſſitate, aut metu extorta an obliget? n. 218. An licitum ſinè animo jurandi? n. 219. An licitum factum cum amphibologia, ſeu reſtrictione mentali? n. 220. Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens abſolute dicat ſe jurâſſe? n. 221. & 222. An illicitè jurent Politici, qui ſimul ambulaturi jurant ſe non ituros ad dextram &c. victi tamen politiâ ad dextram procedunt &c. n. 223. Quid judicandum de juramentis comminatoriis Parentum erga filios, vel Dominorum erga famulos? n. 224. Quid de mercatoribus, qui jurant mercem tanti conſtare, ſed alio ſenſu, quàm emptor intelligat? n. 225. Quid de Officialibus Dominorum jurantibus ſe delaturos Dominis, quos damnificatores bonorum deprehenderint, ut mulctentur? n. 226. Juramenti irritatio, diſpenſatio, relaxatio, & commutatio? n. 227.

Jurisdictio. An quivis Confeſſarius eam habeat in infides baptizatos? n. 108. & 109. A quo in talem infidelem pœnitentem peti, & obtineri debeat? n. 109.

L.

Lectio librorum hæreticorum. An ubique caſus reſervatus? n. 113. An ſpeciatim

 in

in Diœceſi Wratislavienſi? n. 114. quando lectio librorum hæreticorum excommunicationi ſit ſubjecta? n. ibidem.

Literæ S. Pœnitentiariæ. Eas expetendi, & exequendi praxis. à n. 261.

Luxuria. Quid, & quotuplex? n. 330. An venialis eſſe poſſit ob levitatem materiæ? n. 331.

Adulterium. Quid, & an peccatum conſentiente parte altera? n. 337.

Beſtialitas. Quid, & quomodo differat à Sodomia, & concubitu cum dæmone? n. 346. An audito beſtialitatis peccato inquirere oporteat cum quali beſtia ſit commiſſum? n. 356.

Diſtillatio. Quid, & quale peccatum? n. 344.

Fornicatio. Quid, & an jure naturali prohibita? n. 336.

Inceſtus. Quid, & qui gradus in conſanguinitate, ac affinitate prohibiti? n. 338

Motus venereos non reprimere quando peccatum? n. 333.

Oſcula & amplexus? n. 334.

Peccatum contra naturam. Quid, & quotuplex? n. 342.

Pollutio ſeu mollities. An jure naturæ prohibita? n. 332. In cauſa quando mortalis? n. 342. & 343. An peccet deſiderans pollutionem honeſto fine? n. 348. Qui pollutionem involuntariè paſſus eam non reprimit, vel involuntariè inceptam pro-

Digitized by Google

protrudendo reliquias ultimas promovet? n. 349. Remedia contra pollutionem habituatam. n. 350.

Raptus. Quid, & quomodo differat à ſtupro? n. 340.

Sacrilegium. Quid, & qualem malitiam ſuperaddat fornicationi? n. 341. Quomodo cum eo agendum, qui copulam terminis involutis, ac ignotis confitetur? n. 352.

Simplex complacentia, ſeu delectatio moroſa. Quando peccatum? n. 332. Quid Confeſſario agendum, quando pœnitens præcisè confitetur turpes cogitationes. n. 347

Sodomia, quid & quotuplex? n. 345.

Stuprum. Quid, & quomodo differat â fornicatione? n. 339.

Turpiloquium. Quando peccatum? n. 335. Quomodo cum eo, qui verbô, vel factô coram aliis contra caſtitatem ſe peccâſſe fatetur? n. 351. Quomodo pœnitens circa hoc vitium Confeſſarii laborem facilitare poſſit. n. 353. Remedia univerſalia adversùs luxuriæ peccatum? n. 357.

M.

MAgia. Quid, & quotuplex? n. 130.

Maleficium. Quid, & quotuplex? n. 130. An illud petere liceat, ut ſolvatur? n. 131. An licitum ſit maleficii ſignum deſtruere? ibidem. An ſignum contrarium pone-

ponere? ibidem. Remedia contra maleficia. n.147. Quid ſi hæc non profecerint? n. 148.

Miſſa, ſeu Miſſæ ſacrificium, vide Feſtum.

Modus diſponendi pœnitentem ad actum fidei practicè eliciendum. n.29. Modus inducendi pœnitentem ad dolorem. n. 35. Ad explicitum propoſitum. n. 36. Modus diſponendi pœnitentem ad propoſitum peccata vitandi. n. 81. Modus dignoſcendi in pœnitente Confeſſionis integritatem. n. 93.

Mollities. vide Luxuria.

Motiva ad dolorem de mortalibus. n. 67. De venialibus. n. 68.

Mutilatio. vide homicidium.

N.

NOtitia. Quomodo ſufficientia illius ad Pœnitentiæ Sacramentum in pueris, & puellis ſit dignoſcenda? n. 27.

Numerus peccatorum. Quid agendum pœnitenti, ſi in numerum certum devenire nequeat? n. 44. Quouſque particulæ: plùs, minùs, vel circiter &c. cùm numerus eſt incertus, ſe extendant? n. 45.

O.

OBedientia Parentibus debita, vide Parentes.

Obligatio audiendi Miſſam; die Feſto. n. 270.

Digitized by Google

n. 270. Obligatio Confeſſarii pœnitentem interrogandi. n. 50. Dolorem, ſi deſit, in eo procurandi. n. 52. Propoſitum. n. 70. Confeſſionis integritatem. n. 86. Admonendi pœnitentem de peccato, quod ex ignorantia invincibili ab eo ignoratur. n. 94. Obligatio filiorum erga Parentes, & viciſſim. Mariti erga uxorem, Tutorum, & Curatorum erga Pupillos, Principum, Dominorum, ac Superiorum erga Subditos, Parochorum, & Præceptorum, ac viciſſim, vide Parentes. Obligatio juramenti, vida Juramentum.. Obligatio ſanctificandi Feſta, vide Feſtum. Obligatio voti, vide Votum.

Occiſio ſui ipſius, & proximi. vide Homicidium.

Odium DEI. Quomodo contingat? n. 160. Quale peccatum? ibidem. Quid agendum, ſi de hoc pœnitens ſe accuſet? n. 166.

Opera ſervilia. Quæ? n. 267. Quæ liberalia? ibidem.

Oratio ante audiendas Confeſſiones utiliter recitanda. n. 3.

P.

PAganiſmus. In quibus ſit? n. 98. An vitium Paganiſmi clavibus ſubjaceat? n. 99.

Parentes. Qui nomine Parentum intelligan-

ligantur? n. 282. Quæ illis à prolibus ſint exhibenda? à n. 283. Quomodo peccetur contra amorem, reverentiam, obedientiam, & ſuſtentationem? à n. 283. Obligatio Parentum erga filios, n. 287. Quomodo contra hanc peccetur? n. 288. Obligatio Mariti erga uxorem, & viciſſim, n. 289. Quomodo contra hanc peccetur? n. 290. Tutorum, & Curatorum erga pupillos. n. 291. Quomodo contra hanc peccetur? n. 292. Obligatio Principum, Dominorum, ac Superiorum erga Subditos. n. 293. Quomodo contra hanc peccetur? ibidem. Obligatio Parochi, Parochiani, Præceptorum, & Diſcipulorum. n. 294. Quomodo contra hanc peccetur? ibidem. Quid agendum, ſi pœnitens in genere ſe accuſet, quòd ſe Parentibus irreverentem, & inobedientem exhibuerit? n. 295. Quid agendum, ſi à pœnitente ex adulterio, vel fornicatione prolem progenitam in Confeſſione reſciat? n. 296. Quæ obligatio Parentum reſpectu prolis ex adulterio, vel fornicatione conceptæ? n. 297. & 298. Quid talibus conſulendum de hæreditate juſtè diſpertienda anxiis? n. 299. An furtum filiorum novam malitiam addat contra pietatem in Parentes? n. 300. Quid agendum, ſi uxor in genere dicat debitum conjugale à ſe fuiſſe denegatum? n. 301. Quomodo peccent Religioſi Superiores, qui leves defectus

Digitized by Google

ſubditorum diſſimulant? n. 302. Quomodo peccent Domini alimenta famulo ægrotanti, aut ſtipendium tempore ægritudinis negando? n. 303.

Peccatum. Peccatorum numerus incertus quomodo in Confeſſione explicandus? n. 44. An peccata per examen cognita, ne in Confeſſione memoriâ elabantur, ſcripto ſint annotanda? n. 46. Quæ in diſcuſſione conſcientiæ occulta manere ſoleant? n. 47. 48. & 49.

Peccatum contra naturam. Quotuplex? n. 342.

Pœnitentia Sacramentalis. An omnibus, ac ſingulis pœnitentibus pœnitentiam aliquam injungere oporteat? n. 459. Caſus, in quibus Confeſſarius abſolvere poteſt nullâ injunctâ? n. 460. Qualis pœnitentia ſit injungenda? n. 461. Quæ, & qualia opera in pœnitentiam injungenda? n. 462. An quandoque imponi poſſit omiſſio ſacræ Communionis, matrimonium, opus pro animabus in Purgatorio, orationes ſub ſacro præcepto perſolvenda? n. 463. An per clauſulam: *Quidquid boni egeris* &c. eleventur omnia pœnitentis opera ad ſatisfactionem? n. 464. Quomodo pœnitentiarum acerbitas à Confeſſario ſit condienda? n. 465. An, & quando pro peccatis gravibus leviores pœnitentiæ imponi poſſint? n. 466. Quænam pœnitentiæ ſint utiliores? n. 467.

467. An pœnitentia, & vitæ emendatio abſolutioni ſit præmittenda? n. 468. Quomodo pœnitentia â pœnitente implenda? n. 469.

Pollutio, vide Luxuria.

Præſumptio. Quid, & quotuplex? n. 149. An hæreſi poſſit eſſe conjuncta? n. 152. Quale peccatum? n. 153. Quomodo agendum cum pœnitente in præſumptionem lapſo? 154. Quæ remedia contra præſumptionem? n. 156.

Pretium Simoniacum, vide Simonia.

Principia Generalia Confeſſarium durante Confeſſione dirigentia. n. 11.

Propoſitum. Quale requiratur, ut verum cenſeri poſſit? n. 71. Quando cenſeri poſſit inſufficiens? n. 72. An extendere ſe debeat ad omnia peccata in particulari? n. 73. An à Confeſſario propoſitum explicitum ſit procurandum? n. 74. An æquale requiratur pro venialibus, ac pro mortalibus? n. 75. & 76. An habens ſolùm venialia propoſitum expreſſum habere debeat non peccandi mortaliter? n. 77. An de venialibus requiratur univerſale? n. 78. Quale de illis ſufficiat? ibidem. An de venialibus extendere ſe etiam debet ad occaſiones proximas venialium? n. 79. An, ſi de his univerſale non ſit, etiam ea, ad quæ ſe non extendit, remittantur per abſolutionem? n. 80. Quomodo

Digitized by Google

modo pœnitens ad propoſitum diſponendus? n. 81.

R.

RAptus, vide Luxuria.

Regula ad dignoſcendum in pueris, & puellis rationis uſum. n. 26.

Relapſus. An inſufficientis propoſiti ſignum? n. 81.

Relaxatio Juramenti. n. 227.

Religio. Ad quid obſtrictus votô ingrediendæ Religionis obligetur? à n. 239. An gravatus ære alieno, vel obligatus ad aliquid in favorem alterius poſſit ingredi Religionem? n. 242. An Parentibus in gravi neceſſitate conſtitutis? n. 243.

Remedia adversùs acediam. n. 436. Adversùs avaritiam. n. 419. Adversùs blasphemiam. n. 213. Deſperationem, & præſumptionem. n. 156. Gulam. n. 428. Contra inimicitiam. n. 173. Contra Invidiam. n. 420. Iram. n. 435. contra Pollutionem habituatam. n. 350. Univerſalia contra luxuriam. n. 357. contra maleficia. n. 147. Superbiam. n. 418. Remedia univerſalia contra peccata. n. 458.

Reſtitutio famæ, vide Detractio.

Reſtitutio ob furtum, vel damnificationem. Quid? n. 365. Ad qualem reſtitutionem obligetur homicida? n. 329. Poſſeſſor bonæ, & malæ fidei quis? n. 365.

Digitized by Google

Quid reſtituendum? n. 366. Reſtitutionis radices. n. 367. Quid Poſſeſſori malæ fidei reſtituendum? n. 368. Quid Poſſeſſori bonæ fidei? n. 369. An cooperantes ad damnum obligentur ad reſtitutionem? n. 370. Qui cooperantes cenſeantur? Idem. Claſſes cooperantium. n. 371. Cui poſſeſſor malæ fidei reſtitutionem facere debeat? n. 372. Quo tempore? n. 373. Quæ à reſtitutione excuſent? n. 374. An ad reſtitutionem obligandus, qui colludentem re ſua privavit? n. 382. An mandans, & conſolens furtum, ſi mandatum, vel conſilium revocârunt? n. 383. An, qui per actionem turpem lucrum acquiſivit? n. 384. An ad compenſationem damni illati obligentur debitores ſolvere tardantes? n. 385. An ob dilatam ſolutionem res venditas cariùs taxantes, quàm præſenti pecunia exſolutas? n. 387.

Rixoſus. Quando mortaliter peccet? n. 327.

Reſtrictio mentalis quotuplex? n. 220.

Reverentia Parentibus debita, vide Parentes.

Rudis. Quid cum eo agendum, ſi neceſſaria neceſſitate medii non capiat? n. 30. Si vim, virtutem, & finem Pœnitentiæ Sacramenti ignoret? n. 31. Si nullum peccatum recenſere noverit? n. 32. Si, tanquam peccata, quæ peccata non ſunt, vel venialia tanquam mortalia, & viciſſim confiteatur? n. 33. Si materia ſufficiens

elici

Digitized by Google

elici nequeat ? n. 34. Quomodo inducendus ad dolorem ? n. 35. Quomodo ad explicitum propoſitum ? n. 36.

S.

SAcrilegium, vide Luxuria.

Sacrilegium. Quid, & quotuplex ? n. 181.

Scandalum. Quid circa hoc Confeſſario obſervandam ? n. 169.

Sententia. Sententiæ benignæ quando adhibendæ ? n. 20. Sententiæ ſpeculativè probabiles, in praxi damnatæ, ad quid deſerviant ? n. 69.

Sigillum Confeſſionis. Quæ obligatio incumbat Confeſſario ſervandi Confeſſionis ſigillum ? n. 404. Quæ ſub ſigillo contineantur ? n. 505. Quibus caſibus ſigillum violetur in particulari ? n. 506. Quibus caſibus non violetur ? n. 507. An etiam circa ipſum pœnitentem Sigillum ſervare oporteat ? n. 508. An ſervandum ſi agatur cum illo intra Confeſſionem ? n. 509. An etiam pœnitens obligetur Sigillo ad tacenda ea, quæ in Confeſſione Confeſſarius dixit, aut egit ? n. 512. An Confeſſario ſequenda ſit opinio in praxi magis favorabilis Sigillo ? n. 511.

Signum. Signa veri doloris in pœnitente. n. 53.

Digitized by Google

Simonia. Quid? n. 182. Quotuplex? n, 183. An Simonia, quando temporale datur pro ſpirituali non ùt pretium, ſed ùt motivum, aut gratuita, & liberalis compenſatio? n. 184. An Simonia gratitudinis liberæ, ſeu antidoralis? n. 185. An Simonia rem temporalem, quæ annexa eſt ſpirituali, dare, vel accipere? n. 186. An Simoniam pecuniam dare, vel accipere pro ingreſſu in Religionem? n. 187. Pro officio, quod non habet rationem beneficii Eccleſiaſtici? n. 188. An Simonia, ſi à tertio titulus menſæ pretio procuretur? n. 189. An Simonia, ut quis ad beneficium admittatur, promittere ſe ſumptus ſuos collaturum ad ædificandam, vel reſtaurandam Eccleſiam? n. 190. An Simonia Parentibus, amicis, vel aliis procuratoribus munera offerre cum intentione impetrandi matrimonium? n. 191. An Simonia vendere Reliquias, calices, veſtes ſacras Deum benedictum? n. 192. An, res Sacras pro pretio elocare, aut oppignorare? n. 193. Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens genericè confiteatur Simoniam à ſe commiſſam? n. 194. Quæ Simonia, & quas pœnas incurrat? à n. 195. An pretium per Simoniam acquiſitum ſit reſtituendum, & cui? à n. 198. Quis à Simonia abſolvere, & à pœnis diſpenſare poſſit? n. 201. & 202.

Sodomia vide Luxuria.

Spes. Quotupliciter contra eam peccetur? n. 149. Spei præceptum n. 150. Quando obliget? n. 404.

Superbia. Quid? n. 388. Quotuplex? n. 405. Filiæ Superbiæ n. 406. Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens dicat ſe fuiſſe ſuperbum? n. 411. In veſtitu, & ornatu corporis ſibi complacere quale peccatum? n. 416. Remedia adverſus ſuperbiam. n. 418.

Superſtitio. Quid, & quotuplex? n. 123. Quomodo Confeſſario cum pœnitente ſuperſtitioſo agendum? n. 132. Superſtitio quando mortalis? quando venialis? n. 132. Quid ſi dicat ſe non niſi res ſacras ad effectus, quos ſemper experitur, adhibere? n. 133. Quid illi agendum circa formaliter ſuperſtitioſum? n. 134. & 135. Circa quæ divinatores, magos, maleficos, examinare oporteat? n. 136. Ad quid tales obligentur? n. 137. Qui pœnitentes, ſi ipſi nihil ſuperſtitioſi confiteantur, utiliter de hac materia examinentur? n. 138. Reſolutiones de quibusdam caſibus, an ſuperſtitionem redoleant? à. n. 139.

Stuprum, vide Luxuria,

Suſpicio temeraria quid? n. 388.

Suſtentatio Parentibus debita, vide Parentes.

Suſurratio. Quid? n. 388.

U.

VAna obſervantia. Quid, & quotuplex? n. 128.

n. 128. Quæ regulæ ad eam dignoſcendam? n. 129.

Venia. Eam ab inimico petere an conſilii tantùm ſit, an præcepti? n. 174.

Vindicta. Quando injuſta cenſeri debeat? n. 433.

Virga divinatoria. n. 145.

Unguentum armarium. n. 139. & 140.

Votum. Quid, & quas conditiones requirat? n. 228, Quotuplex ſit? n. 229. Quæ ex voto obligatio oriatur? n. 230. Quando voti obligatio urgeat? n. 231. Voti transgreſſio quale peccatum? n. 232. Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens abſolutè dicat ſe votum violâſſe? n. 233. Quando ob ignorantiam, vel errorem votum invalidetur? à n. 234. Quando defectu materiæ? n. 237. Quomodo dirigendus pœnitens, qui dubitat de voto, aut voti obligatione? n. 238. Obſtrictus votô ingrediendæ Religionis. n. 239. Quomodo peccet, qui votum de multis materiis parvis violat? n. 244. Quid circa voti commutationem obſervandum? à n. 245. Quid circa diſpenſationem? à n. 252. Quibus delegata diſpenſandi poteſtas conveniat? à n. 257.

Uſus rationis. Quæ regula ad eundem in pueris & puellis dignoſcendum? n. 26.

FINIS.

BIBLIOTECA ... IN ROMA
Digitized by Google

Digitized by Google